FUNDAMENTA SCIENTIARUM,

Seu

PRINCIPIA,

Et Axiomata, partim Philosophica, partim Theologica, suis explicationibus

à M. JACOBO PAULO

RADLINSKI,

Polono, Sacræ Theologiæ Doctore ejusdemq́; nuper in Conventu Cracoviensi ad S. Hedvigim Professore, nunc autem Ordinis Canonicorum Regularium, Custodum Sacrosancti Hierosolymitani Sepulchri, Præposito Generali Infulato

ILLUSTRATA.

C R A C O V I Æ

Typis Michàëlis DYASZEWSKI, *S. R. M. Typographi.*

Annô Domini 1753.

A Canonizatione autem S. Stanislai Martyris, & Episcopi Cracoviensis, Sæculô Quintô,

Sublimitatis inexplicabilis, Divinum facta es FUNDAMENTUM. *S. Germanus Archi-Episcopus Oratione in Beata Dormitione B. V. MARIÆ.*

Gaude gaudii PRINCIPIUM, & execrationis terminus. *Idem Orat: in Nativitate B. V. M.*

Tu Festi nostri PRINCIPIUM: Tu Medium, Tu Finis. *S. Methodius Homil: de Purificat: V. MARIÆ.*



SOLI.

SOLIDISSIMO
SCIENTIARUM
FUNDAMENTO,
PRIMO
Post CHRISTUM Salutis Humanæ
PRINCIPIO,
Beatissimæ Virgini MARIÆ Immaculatè Conceptæ,
PRÆSERTIM
In Imagine Ecclesiæ Nostræ *Tuligłoviensis* innumeris gratiis, & beneficiis populorumq; concursu Celeberrimæ,
Et per Decretum
Illustrissimi, Excellentissimi, & Reverendissimi Domini Domini Venceslai Hieronymi,
De Bogusławice
SIERAKOWSKI,
DEI & S. Sedis Apostolicæ Gratiâ, Episcopi Premisliensis, &c. A. D. 1747. die 9na Junii latum,
PRO GRATIOSA DECLARATÆ.
Hanc de Principiis opellam indignissimus Author
D. D. D.
CARMEN DEDICATORIUM.
Quæ propono, fero mea Fundamenta sciendi,
Hæc Tibi Sacra dico, Pura, MARIA Parens!
Te FUNDAMENTUM Sapientûm mundus adorat,
In quo post CHRISTUM stat stabilita Fides,
In quo nituntur DOCTORUM oracula Sacra,
In quo subsistunt, dogmata quæq; sua:

Hôc FUNDAMENTO, mea supplex fulcio dicta,
Hôc cunctos sensus, verbaq; firmo simul:
Nam mea dicta, levi folio leviora manerent,
In Te si nunquam fixa, locata forent:
Principium vitæ, recolit Te Ecclesia tota,
Principiis benedic summa Magistra meis!
PONTIFICI pariter benedicas cælitus Illi,
Cujus Decretô dulcis Imago Tua,
Culta magis floret, florebit notior orbi,
Et populis sparget munera plura suis.
Ordinis & nostri, Virgo benedicito Plantam,
Ejus felicem fac, tribuasq; statum!
Ut Te continuò Immaculatam prædicet ore,
Utq; Tuas laudes ampliet, atq; sonet.
Ut de virtute, in virtutem crescat, & omnis
Fiat virtutis regula, norma, gradus!
Quam verò cladem Vulcanius attulit ignis,
Quæ Templi attrivit culmina, flamma vorax:
Hæc per Te Virgo, primam revocentur ad augem,
Phænix de flammis, surgat ad alta suis!
Ut post hac Templi maneat firmissima forma,
Ne minuatur ibi, cultus, honorq; DEI:
Illius Templi Dotem Tu protege, serva,
Ne maneat graviter læsa, minuta nimis!
Me verò minimum supremo mortis inactu,
Auxiliô salvum, redde MARIA Tuô.
Quiq; Tuæ Sacræ deduxit Imaginis ortum,
Gratiæ & Ipsius ritè probavit opes:
Illum de mundo Victorem, Virgo corona:
Sedibus inducas, deliciisq; Poli!

PRÆ-

PRÆFATIO

Ad Benevolum Lectorem.

PLùs quàm ante viginti annos, conscripsi Opusculũ de Principiis & Axiomatibus, illiusq; Approbationẽ Ordinariam obtinui, sed partim continua infirmitate gravatus, partim alijs negotijs impeditus, aliorũq; Librorũ impressione occupatus, non potui illud imprimere. Dum autem Annô 1745. die 19 Aprilis, contigit fatale incendium Ecclesiæ, & Conventûs Generalis Miechoviensis, tunc sicut alii mei Libri impressi, ita & Manuscriptum Opusculum meum, de principiis & axiomatibus, cum Approbatione Ordinaria, in favillas redactum est. Ne autem meus tenuissimus labor, totaliter periret, censui conveniens esse, ut prædicta principia & axiomata, iterum colligerem, & in aliqualem ordinem redigerem. Quantum ergo memoria, & ætas prope septuagenaria, ac infirmitas, huic ætati planè congenita, permisit, tantum brevissimè collegi, relictis omnibus, quæ de memoria exciderunt, nec tam facilè inveniri, vel recuperari potuerunt. Quidquid ergo collegi, id totum benevolo Lectori porrigo. Certum autem volo esse Amicum Lectorem, quòd hîc nullas subtilitates, vel novitates inveniet, sed tantùm ea, quæ videbantut planiora, & usitatiora, eaq; non intendo proponere consummatis, & perfectis Philosophis, vel Theologis, sed Tyronibus & Incipientibus. Quoniam autem hoc minimum Opusculum, decrevi consecrare, B. V. MARIÆ Immaculatè Conceptæ, ideo ab initio, visum est mihi adferre principia, & universales propositiones, ex quibus probari solet eadem Immaculata Conceptio: tum deinde ad alia principia & axiomata progredior. In hoc etiam præcaveo Doctissimum Lectorem, quòd sub Articulis, non præmiserim titulos: hoc autem ideo feci, quia plerumq; sub uno eodemq; articu-

ticalo reperiuntur 10. vel plura axiomata, hæc autem in titulis regestrare, longum esset. Ne autem ex hac intermissione titulorum, oriatur aliqua legentibus incommoditas, subjungo hîc Indicem articulorum.

INDEX
ARTICULORUM.

IN articulo primo reperiuntur principia & Propositiones universales de Immaculata Conceptione.

In articulo 2do, 3tio, 4to, 5to, 6to, 7mo, 8vo, 9no, 10mo, Continentur axiomata initiata à litera A.

In articulo 11mo continentur axiomata à litera B. initiata.

In articulo 12mo, 13tio, 14to, continentur axiomata à litera C. initiata.

In articulo 15, 16, &c. continentur axiomata à litera D. initiata.

In articulo 18vo continentur axiomata à litera E. initiata.

In articulo 19no continentur axiomata à litera F. initiata.

In articulo 20. continentur axiomata à litera G. initiata.

In articulo 21. continentur axiomata à litera H. initiata.

In articulo 22, 23, & 24, continentur axiomata â litera I. initiata.

In articulo 25. agitur de illo principio: *Quæ sunt eadem uni 3tio, sunt eadem inter se*: item de illo altero: *Implicat de identificatis realiter adæquatè verificari prædicata contradictoria*, & de alijs. Ex occasione horum principiorum in eodem articulo, tractatur de modo salvandi Mysterium SSmæ Trinitatis per suam supereminentiam, cum adminiculo distinctionis rationis.

In articulo 26, & 27, proponuntur Objectiones contra modum salvandi Mysterium Trinitatis.

In articulo 28vo tractatur quæstio, utrum per aliquam distinctionem realem, salvari possit Mysterium SSmæ Trinitatis ab argumentis Infidelium?

In

In articulo 29. tractatur, utrum per admirabilem distinctionem ipsarum Personarum Divinarum inter se, salvari possit Mysterium Trinitatis contra Infideles?

In articulò 30. continentur axiomata sub literis L. & M.

In articulo 31, 32, 33tio, 34, & 35, continentur axiomata à litera N. initiata.

In articulo 36, 37, 38, continentur axiomata initiata à litera O.

In articulo 39, continentur axiomata à litera P. initiata.

In articulo 40, & 41, continentur axiomata à litera Q. initiata.

In articulo 42, continentur axiomata à litera R. initiata.

In articulo 43, continentur axiomata à litera S. initiata.

In articulo 44, continentur axiomata à litera T. initiata.

In articulo 45, continentur axiomata à litera U. initiata.

In articulo 46, usq; ad Articulum ultimum, tractatur de distinctione reali intentionali Bacconica.

In articulo ultimo concluditur testimonijs de Immaculatą Conceptione: sicut primus articulus procedit de eadem materia. His ergo omnibus Amice Lector gratiosè, utere, & pro me Maximo peccatore DEUM Optimum Maximum exora.



FACULTAS ORDINARIA.

FUNDAMENTA Scientiarum, (ut ex titulo hujus operis patet,) suis claris & solidis explicationibus, Authore Perillustri Reverendissimo M. JACOBO PAULO RADLINSKI, Sacræ Theologiæ Doctore, Ordinis Canonicorum Regularium SSmi Sepulchri Præposito Generali, ut honore Infulato, Adornato, ita eruditione Literatis Admodum Commendato, de sua Religione Canonica Emeritissimo, illustrata, attentiùs lecta. Fidei Christianæ ac bonis moribus, minimè contraria adinventa, ut in lucem publicam, & in usum Scientiarum Cultorum, mediante prelo manifestata redderentur, facultas concessa. In quorum Fidem Datum Cracoviæ, in Collegio Majori, Studii Generalis Universitatis Cracoviensis. Die 16. Junij 1752.

M. Casimirus PAŁASZOWSKI, Sacræ Theologiæ Doctor & Professor, Collega Major, Canonicus Cathedralis Cracoviensis, Librorum per Diœcesim Cracoviensem Ordinarius CENSOR.

mpp:



ARTICVLVS I.

ANtequam alia principia explicanda proponemus, primò & principaliter de Immaculata Conceptione B. Virginis MARIÆ, aliquot principia præmittemus, ut nostri minimi laboris auspicium, sit eadem Immaculata Conceptio. Primum ergo Principium sit.

Ubi de peccatis agitur, nulla est habenda quæstio de B. Virgine Maria. Hoc principium desumpsi ex S. Augustino, qui libr: de natura & gratia, Cap: 36. inquit. *Exceptâ itaq; Sanctâ Virgine Mariâ, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quod Ei plùs gratiæ collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quia Eum concipere, & parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. Hâc ergo Virgine exceptâ, si omnes illos Sanctos, & Sanctas, cum viverent congregare possemus, utrum essent sine peccato, sic fuisse responsuros putamus, si hoc interrogari potuissent, una voce clamâssent. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas non est in nobis.* Hoc ipsum sentit Marianus Doctor, Subtilis Scotus, qui libr: 3. distin: 3. quæ: 1. tractando de Immaculata Conceptione, eamq; concludendo, citat pro sua sententia verba S. Augustini superius relata.

Confirmatur 1mò Authoritate Sacri Concilij Tridentini, quod Ses: 5ta in fine Decretorum, de peccato originali, sic inquit: *Declarat tamen hæc ipsa Sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur Beatam & Immaculatam Virginem Mariam DEI genitricem, sed observandas esse Constitutiones, felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis Constitutionibus contentis quas secundo innovat.*

Confirmatur 2dò. insigni, & pijssimô factô S. Ignatij

Fundatoris Soc: Jesu, cui dum primæ Theses à suis Professoribus defendendæ, præsentarentur, ut eis benediceret; & in illis proposita esset quæstio Princeps, ac principalis hæc: *Utrum Virgo Maria esset immunis à peccato originali?* tunc S. Ignatius, quam primùm vidit, & legit quæstionem principalem, mandavit ut tolleretur, & alia substitueretur, nempe ut quod sine controversia, erat futurum in Societate, non esset primum, quod Romæ controverteretur, ac proinde jussit, ut è Thesibus, alia quæstio seligeretur, quæ esset princeps, & non per modum *quæsiti*, sed per modum *conclusionis* ageretur de Immaculata Conceptione. Ita testatur Joannes Absolon Soc: Jesu in libr. suo, de Immaculata Conceptione, quæst: unicâ prolegomenâ.

Infertur ex dictis. Quoniam SS: Patres nolebant instituere quæstiones, de Immaculata Conceptione B. Virginis Mariæ, proinde & nobis, non convenit eas instituere, sed saluberrimum est, tenere & credere id de Immaculata Conceptione, quidquid tenet, & credit, Sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia.

Secundum principium sit: *Sicut in Cælo qualis Pater, talis Filius, ita in terra qualis Mater, talis Filius DEI secundùm carnem.* Hoc pariter principium est S. Augustini, qui serm: 20. ad Fratres in Eremo, inquit: *Propterea Maria electa est, & super omnes creturas prælecta, omnibûs gratijs fæcundata, omni virtute & sanctitate in utero repleta, ut de mundissima Matre, mundissimus Filius nasceretur. Et sicut in Cælo Filius, habuit Patrem immortalem, & æternum, sic & in terra, haberet Matrem omni corruptione carentem. Igitur in Cælo, qualis est Pater talis est Filius; & in terra, qualis est Mater talis est secundùm carnem Filius.* Cui principio subsumo Minorem. Sed si Virgo, esset in peccato originali concepta, tunc in terra, non talis esset Filius,

lius, qualis Mater: quia Mater esset peccatô originalî coinquinata, Filius autem Matris, nempe Christus non esset coinquinatus peccatô, quia Christo repugnat omne peccatum. Ergo &c.

Tertium. *Is qui in adulta ætate nullum peccatum fecit, in infantili ætate, peccatum non contraxit: & ideo Christus peccatum etiam major fecisset, si parvulus habuisset.* Sunt verba S. Augustini lib: 5. contra Julianum cap: 9. & cap: 15. Cui principio subsumo minorem. Sed B. Virgo Maria juxta omnes SS. Patres, Doctores, & Theologos, nullum peccatum fecit in adulta ætate (& hoc expressè probat S. Thomas 3. parte, quæ 27. Art: 5. ut patebit inferiùs) Ergo B. V. Maria in infantili ætate, nullum peccatum contraxit etiam originale.

Quartum *Major gratia impenditur illi, cui conservatur innocentia, quàm cui remittitur culpa.* S. Augustinus super Genesim ad literam. Ex quo loco S. Augustini sic argumentor. DEUS majorem dedit Gratiam Bmæ V. Mariæ, quàm omnibus creaturis, ut constat ex illis Angeli verbis: *Ave gratia plena:* & ita communiter docent omnes Doctores. Sed si DEUS non conservaret innocentiam B. V. Mariæ, tunc illi non daret majorem gratiam quàm omnibus creaturis: quia in casu, in quo contraxisset peccatum originale, ita illi remitteret pænam, sicut remittit omnibus alijs, & ita B. Virgo esset peccatrix, sicut & alij omnes, qui peccatum originale contraxerunt. Ergo DEUS conservavit innocentiam Bmæ V. Mariæ.

Quintum. *Decens erat ut Beata Virgo Maria, eâ puritate niteret, quâ major sub DEO, nequit intelligi.* Hoc principium est S. Anselmi, qui libro de Conceptione Virginis, & peccato originali cap: 10. inquit: *Nempe decens erat, ut eâ puritate, quâ major sub DEO nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui DEUS Pater unicum Filium suum, quem*

de corde suo, æqualem sibi genitum, tanquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat, ut unus idem esset Communis, & consubstantialis Dei Patris, & Virginis Filius, & quam ipse Filius, substantialiter sibi facere Matrem eligebat. Sed si B.V. Maria fuisset in peccato originali Concepta, tunc non niteret eâ puritate, quâ major sub DEO nequit intelligi, quia illa puritas esset major, quæ careret peccatô originalî. Ergo &c.

Consonat his Doctor Angelicus S. Thomas qui 1. Senten: dist: 44. quæ: 1. Art. 3. inquit: *Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquid creatum inveniri, quô nihil purius in rebus creatis esse potest, si nulla contagione peccati inquinatum sit. Et talis fuit puritas Virginis Gloriosæ, quæ ab originali, & actuali culpa libera fuit, hæc tamen puritas sub DEO fuit, quoniam nisi præservaretur, peccare potuit.* Idem S. Thomas in expositione salutationis Angelicæ inquit: *Maria purissima fuit, quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.*

Sextum principium. *Quos DEUS ad aliquod munus insigne, & excelsum eligit, hos ita præparat, & disponit, ut ad id, ad quod eliguntur inveniantur idonei.* Porro B. V. Maria electa fuit ad excelsum munus, & summam prærogativam Maternitatis Filij DEI, adeoq; illam DEUS ita præparavit, & disposuit, ut ad Maternitatem Filij DFI electa, inveniretur idonea. Non esset autem idonea, si peccatô originalî inquinata fuisset. Hoc principium est S. Thomæ qui 3. par: quæ: 27. art: 5. inquit: *Respondeo dicendum, quòd illos, quos DEUS ad aliquid eligit, ita præparat, & disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei secundùm illud.* 2da ad Corinth: 3. Idoneos nos fecit Ministros novi testamenti. *Beata autem Virgo, fuit electa Divinitus, ut esset Mater DEI, & ideo non est dubitan-*

dum

dum, quòd DEUS per suam gratiam, tam ad hoc idoneam reddiderit, secundùm quod Angelus ad eam dicit. Invenisti gratiam apud DEUM, Ecce concipies &c. *Non autem esset idonea Mater si peccâsset aliquando.* Tum quia *honor Parentûm redundat in prolem.* Secundùm illud Proverb: 13. Gloria Filiorum Patres eorum. *Unde & per oppositum ignominia Matris ad Filium redundâsset. Tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit.* Dicitur autem 2. ad Corinth: 6. *Quæ conventio Christi, ad Belial? Tum etiam quia singulariter, DEI Filius, qui est DEI sapientia, in ipsa habitavit, non solùm in anima, sed etiam in utero. Dicitur autem sapientiæ primo:* In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Idem principium S. Bernardinus Senensis sermone 1. de S. Joseph proponit his verbis. *Omnium singularium gratiarum alicui rationabili Creaturæ communicatarum generalis Regula est, quod quandocunq; Divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem seu ad aliquem sublimem statum, omnia charismata donet quæ illi Personæ sic electæ, & ejus officio necessaria sunt, atq; illam copiosè decorant.*

Dices S. Thomas locô immediatè citatô, id tantùm docet, probat, & infert; quòd B. Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale, ut sic in ea impleatur, quod dicitur Cant: 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in Te.* Non docet autem, quod caruerit peccatô originalî.

Respondeo, Quæcunq; rationes à S. Thoma adductæ probant, quòd B̄ma Virgo Maria, nullum commiserit peccatum actuale, mortale, & veniale eædem omnes probant, quòd B. Virgo caruerit etiam peccatô originalî, ut patet vel modicè reflectenti, ad rationes à S. Thoma adductas. Ergo si B. V. nullum peccatum actuale, mortale, & veniale commisit, tunc etiam non incurrit

currit peccatum originale. Præterea S. Thomas eô fine, & motivô docet B. Virginem non commisisse ullum peccatum actuale, mortale, & veniale ut impleatur in illa, quod dicitur Cant: 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in Te.* Sed si B Virgo contraxisset peccatum originale, tunc non esset tota pulchra, & non posset dici, quòd nulla macula in ea fuerit, siquidem in dato casu, fuisset in illa peccatum originale. Ergo &c.

Septimum. *Quantò aliquid magis appropinquat principio, in quolibet genere, tantò magis participat, effectum illius principij.* Ita S. Thomas 3. parte quæ: 27. art. 5. Ubi probando veritatem istam subjungit immediate verba sequentia: *Unde Dionysius dicit 4. Cap: Cælestis Hierarchiæ, quòd Angeli qui sunt DEO propinquiores, magis participant de Bonitatibus Divinis, quàm homines, Christus autem est principium gratiæ, secundum Divinitatem authoritativè, secundum Humanitatem verò instrumentaliter: Unde & Joannis 1mo dicitur:* Gratia & veritas per JESUM CHRISTUM facta est. *Beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit, secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam: & ideo præ cæteris majorem debuit, à Christo gratiæ plenitudinem obtinere.*

Ex quo principio, & tota doctrina S. Thomæ sic Argumentor 1mò: B. Virgo Maria fuit propinquissima Christo, secundùm humanitatem, & ideo præ cæteris, majorem debuit à Christo gratiæ plenitudinem obtinere. Sed nihil repugnat, ut obtineret gratiam Immaculatæ Conceptionis, & gratiam præservativam à peccato originali. Ergo illam debuit obtinere. Argumentor 2*dò.* quæcunque ratio probat, quòd B. Virgo MARIA, majorem debuit præ cæteris obtinere gratiæ plenitudinem, eadem probat, quòd debuit obtinere gratiam præservativam, à peccato originali. Ergo si majorem præ cæteris

teris obtinuit gratiæ plenitudinem, tunc etiam obtinuit gratiam præservativam à peccato originali. Probatur Antecedens. Tota ratio propter quam B. V. MARIA debuit obtinere majorem præ cæteris gratiæ plenitudinem, est hæc: quia fuit propinquissima Christo secundùm humanitatem. Sed etiam hæc ratio militat, & sufficit, pro præservatione à peccato originali, & per hanc præservationem, fit V. Maria propinquior Christo altiùs, & perfectiùs. Ergo &c.

Octavum. *Si tenetur B. Virginem non ex vi Conceptionis, sed ex gratia singularissima, in ipso instanti infusionis animæ, præservatam ab originali peccato, quod tunc incurrisset, nisi illa gratia adfuisset, nihil contra fidem tenetur, sed specialis modus redimendi, ac salvandi à peccato originali, Christo attribuitur respectu suæ Matris.* Ita Eminentissimus Cardinalis Cajetanus 3. par. quæ. 21. Ar. 2. Cui doctrinæ subsumo Minorem. Atqui Authores defendentes Immaculatam Conceptionem, defendunt B. Virginem, non ex vi Conceptionis, sed ex gratia singularissima in ipso instanti infusionis Animæ, præservatam ab originali peccato. Ergo nihil defendunt contra fidem, sed specialem modum redimendi, ac salvandi á peccato originali, Christo attribuunt, respectu suæ Matris.

Nonum. *Illud est tribuendum B. V. MARIÆ, quod est excellentius.* Est hæc doctrina subtilis Scoti qui in 3. distin: 3. quæ: 1. § ad quæstionem inquit. *Dico quòd DEUS potuit facere, quòd ipsa nunquam fuisset in peccato originali, potuit etiam fecisse, ut tantum in uno instanti esset in peccato, potuit etiam facere, ut per tempus esset in peccato.* Tandem in fine concludens dicit: *Videtur probabile, quod excellentius est tribuere MARIÆ.* Et licet in hoc loco dicat Scotus esse probabile, tamen in alio loco, nempe in 3. dist. 18. quæ: unica §. *Hoc viso*: inquit:

Est

Est ibi (nempe in beatitudine) *etiam*, *B. V. Mater DEI, quæ nunquam fuit inimica actualiter, ratione actualis peccati, nec ratione originalis: fuisset tamen, nisi fuisset præservata.* Præterea licet antea Scotus, dixerit probabile esse id, quod est excellentius, attribuere MARIÆ, tamen modò, id certissimum est, post tot Bullas Summorum Pontificum, & tot Authoritates Conciliorum, & SS. Patrum.

Cui doctrinæ Scoti subsumo Minorem. Sed Bmām Virginem Mariam esse Immaculatè Conceptam, & à peccato originali præservatam, est excellentius. Ergo id tribuendum est B. V. MARIÆ. Plura videri possunt apud eundem Scotum, qui se præcipuum exhibuit defensorem Immaculatæ Conceptionis B.V. MARIÆ

Decimum. *Certum est S. Ecclesiam Catholicam nunquam errare posse (dirigitur enim ab infallibili agente Spiritu Sancto, est etiam firmamentum veritatis, & columna fidei) Quidquid igitur ipsa determinavit, & inviolabiliter tenendum concludit, piè servandum est. Cum tandem Festum Immaculatæ Conceptionis S. Ecclesia solemniter celebrari constituerit, ut constat ex Breviario Romano: Summus deinde Romanus Pontifex Sixtus, ejus Nominis IV. amplissimis indulgentiis, eandem solemnitatem dotavit, Anno Domini 1476. ut Christi fideles, eo alacriùs & devotiùs, ad recolendam DEI benignitatem, & misericordiam (quam in hujus S. Virginis ab omni labe præservatione, specialiter ostendere, atq; exhibere pro sua in mortales pietate dignatus est) permoverentur, à S. Ecclesiæ Sanctione recedere, grandis impietas est.* Ita Noster Stanislaus à Łowicz, in altera parte sui Enchiridij in qua deducit mirabilem Virginis MARIÆ, à lege communi exemptionem, singulari DEI gratiâ. Hoc principium tanto firmius est, quantò non tantùm Sixtus IV. sed etiam multi alij Summi Pontifices, multas Bullas ediderunt, in favorem Immaculatæ Conceptionis, quas

videre

videre licet ad finem libri, Stanislai à Łowicz A. D. 1747. per me reimpressi, Cracoviæ.

Vndecimum. *Quidquid testatur excellentiam Xsti, hoc illi tribuendum est.* Sed Virginem Matrem sine originali culpa Conceptam asserere, & firmiter tenere, excellentiam Christi ostendit: igitur eám fuisse immunem ab hoc malo, tenendum est. Ita idem Stanislaus à Łowicz, in altera parte Enchiridij pag: 36. Plura apud eundem legi possunt, in toto Enchiridio ipsius, conscripto, & impresso de Immaculata Conceptione.

Duodecimum, *Decebat DEUM, puritatis & Sanctitatis amatorem, talem sibi facere Matrem, quæ omnino esset pura & Sancta, & ab omni peccato aliena. Ita Eximius Suarez. in 3. partē D. Thomæ Tom: 2dô* quæst: 27. Art: 2. disputatione 3. Sect: 5. pag: 27. Quòd si decebat DEUM, ut sibi formaret Matrem Sanctam, & ab omni peccato alienam? tunc credendum est, DEUM id fecisse juxta illam doctrinam S. Augustini libr: 3. de libero arbitrio cap: 5. dicentis: *Quidquid Tibi vera ratione, melius occurrerit, id scias fecisse DEUM.*

Decimum tertium. *Nullum gratiæ beneficium alicui puræ creaturæ collatum, Virgini negatum est:* Ita idem Suarez locô supra citato, pag: 28. Cùm ergo primi Parentes creati sint in gratia, & Angeli: certissimum est, id beneficium concessum fuisse, B. V. MARIÆ. Videantur plura apud eundem Suarez gloriosissimè, & solidissimè tractantem de Immaculata Conceptione.

Decimum quartum. *Tam præconiorum, quàm Argumentorum, pro Immaculata Beatissimæ V. MARIÆ Conceptione asserenda, centrum est Maternitas DEI.* de qua S. Thomas 1. par: quæ: 25. Arti: 6. ajt: *Dignitas Divinæ Maternitatis, est in suo genere infinita*: quia est suprema quædam conjunctio, cum Persona infinita: Ut enim Filius

DEI hominum & Angelorum, de se prodeuntium, centrum habetur, ita & Mater Filij DEI, nominum & rationum, de dignitate Maternitatis emanantium. Ita Benedictus Sprusżynski Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci in libr: Stromatum Conceptioni Immaculatæ V. MARIÆ Sacrorum, cap: 1.

Decimum quintum principium seu veriùs conclusio pro Immaculata Conceptione sit hæc: *Existentia Immaculatæ Conceptionis, nota est quò ad nos, ac infertur ex principio, ex terminis per se noto.* Ita Joannes Absolon Soc: Jesu librô superiùs citato sub Thesi prima, ubi illustrando suum assertum inquit. *Candor intaminatus Conceptionis Marianæ, luculentissimè innotescit, ex Sacræ Scripturæ Sententijs, ac Mysterijs, Patrum scriptîs, Sanctorum gravissimis Judicijs, Pontificum Bullîs, ac favoribûs, Conciliorum Decretîs, Doctorum & Academiarum propè omnium Suffragijs, placitîs, juramentîs, Imperatorum, Regum, ac Principum studijs, & Sanctionibûs. Orbis demum fere totius unanimî, & pientissimô consensu, ad hæc ex revelationibus, miraculis, & gratijs Cœlestibus, id est Cœli testimonijs, ex gravibus deniq; ac nervosis rationum momentis.* Hactenus prædictus Author, qui præfatam assertionem suam, in toto libro suo probat. Quòd autem existentia Immaculatæ Conceptionis, inferatur ex principio ex terminis per se, noto, deducit solidissimè idem Joannes Absolon, sed hoc longum esset referre: sufficiat hîc id dicere, quòd termini per se noti, ex quibus hæc existentia Immaculatæ Conceptionis infertur, sint termini *Matris & Filij*, qui DEUS est, & principium omnis gratiæ.

Decimum sextum. Principium seu conclusio sit hæc: *Radix, exigentia, ac veluti essentia Metaphysica, omnium perfectionum Marianarum, adeoq; & Immaculatæ Conceptionis, est Maternitas DEI.* Ita Joannes Absolon in lib: suo supra

citato

citato, sub Thesi 2da, quam conclusionem suam probat, in sua dissertatione ad finem libri posita, præsertim in propositione 21. ubi confitetur, hanc assertionem se desumpsisse, ex S. Thoma, Cajetano, Durando. Suarez tom: 2. in 3. part: disp: 1. Sect: 2. & alijs plurimis, ibi citatis. Hoc ipsum ibidem probat, in propositione 22. ubi inquit: *Maternitas est forma nobilior, quôcunquè donô supernaturali gratiæ, etiam Visionis beatificæ.*

Pro hac assertione immediatè relata, potest etiam citari noster Stanislaus à Łowicz, S. Th: Doctor olim Ecclesiæ Archi-Presbyteralis Cracovien: Ordinarius Concionator, tandem Conventûs Nostri Gnesnensis Præpositus, qui in Enchiridio suo de Immaculata Conceptione impresso, Anno Dñi 1538. deducit Immaculatam Conceptionem ex Maternitate Filij DEI, dum inquit: *Nemo pius credat Dominum JESUM, suam dilectissimam Matrem, in tantas fœdissimi peccati sordes, & in iram DEI cadere permisisse, quando arctiùs, magisq; Matrem suam dilexit Christus, quàm unquam aliquis Filius, in universo mundo. Unde credendum est, eam honorâsse in omnibus, quantùm potuit, & idcirco tantô eam dignatus est honore, ut confusa non fuerit coram Diabolo, ex originali peccato. Quis ergò impius asserere audebit, Templum Domini, Sacrarium Spiritûs Sancti, & Unigeniti Filij DEI (in quo Pater sibi complacuit) verum & dulcissimum reclinatorium, totiûs sæculi propitiatorium, mox in suæ Conceptionis exordio, Spiritûs S. gratiâ destitutum?*

Hoc ipsum clarissimè & sufficientissimè deducit, Eminentissimus Cælestinus Sfondratus ex Ordine S. Benedicti primò Sacri Romani Imperij Princeps, & Abbas S. Galli, deinde S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis in libro cui titulus: *Innocentia vindicata:* §. 8 pag: 207. ubi inter alia dicit: *Quidquid ergò privilegiorum MARIÆ collatum, id omne infra Matrem est. Si ergò quæras, cur sine peccato Na-*

ta? quia Mater est, cur nulli peccato obnoxia? quia Mater est, cur post partum Virgo? cur in Cœlos assumpta? cur ante omnes creaturas dilecta? quia Mater est. Et Eximius Suarez in 3. par: tom: 2do quæ: 27. Sec: 2. fol. 6. inquit: *Ex hac Matris dignitate colligunt Patres omnes, B. Virginem non solùm excellentem gratiam accepisse, sed etiam omnes gratias & virtutes, & omnia dona, & privilegia gratiæ, inter alios Sanctos divisas ac distributas, in una Virgine fuisse simul congregatas.*

Decimum Septimum. De qua Virgine decrevit Pater Æternus, Filium suum Unigenitum Dominum Nostrum JESUM Christum, nasciturum in tempore, illa Virgo debuit esse Immaculata, & nullo peccatô originalî, & actuali fœdata. Ratio est: Ista propositio: *Aliqua Virgo, de qua decrevit Pater Æternus, Filium suum Unigenitum Dominum Nostrum JESUM Christum, nasciturum in tempore, debuit esse maculata, & peccatô originali, vel actuali fœdata:* est falsa, & scandalosa, si ab aliquo publicè proferretur, post multas decisiones Summorum Pontificum, in hac materia editas. Ergo ista altera propositio: *De qua Virgine decrevit Pater Æternus, Filium suum Unigenitum, Dominum nostrum JESUM Christum, nasciturum in tempore, debuit esse Immaculata, & nullò peccatô originali, & actuali fœdata:* est vera, quia est una ex contradictorijs.

Cui propositioni verissimæ subsumo minorem: Sed de Virgine MARIA, decrevit Pater Æternus, Filium suum Unigenitum, Dominum nostrum JESUM Christum, nasciturum in tempore (& defacto de illa natus est, ut certum ex fide) ergo Beata Virgo MARIA, est Immaculata, & nullo peccatô originali, vel actuali fœdata.

Confirmatur. Generatio Æterna Filij DEI, ex Patre Æterno, est Immaculata. Ergo etiam generatio Filij Dei, ex Matre Virgine, est Immaculata. Probatur Consequentia.

tia. Sicut Pater Æternus, gloriosum fecit Filium suum origine, & generatione suâ Paternâ, ita eundem Filium, voluit facere gloriosum, generatione Materna. Ergo &c. Probatur Antecedens. Henricus de Hassia, & Dionysius Carthusianus de laudibus Virginis inquit: *DEUS omnium Artifex, ad MARIÆ formationem in utero, supernaturaliter concurrit, Filioq; dignum habitaculum fabricat, in quo omnem artem, atq; industriam exercuit, ut fieret Maternitas Filij existente jam Paternitate, ejusdem Filij. Respexit nimirum DEUS, electurus Filio Matrem, ad suam Paternitatem, ad Cujus excellentiam, quantùm fas Creaturæ tetendit dignitatem Maternitatis, ut sic Filius DEI, qui Paternâ erat gloriosus origine, fieret non indecorus & Maternâ, ideoq; Paternitati suæ, apposuit Maternitatem.*

Decimum Octavum. *Quidquid non repugnat Sacræ Scripturæ, Concilijs, Sanctis Patribus, Fidei, & rectæ rationi, id totum tribuendum est B. Virgini MARIÆ.* Est Communis Sensus Doctorum. Ratio præterea est: quidquid non repugnat Scripturæ, Concilijs SS. Patribus, Fidei, & rectæ rationi, id est tribuendum Christo Domino. Ergo pariter quidquid non repugnat prædictis omnibus, illud totum est tribuendum B. V. MARIÆ. Probatur consequentia. Quæcunq; dignitas, vel prærogativa competit Filio, omnis illa competit & Matri Filij, cujus dignitatis, & prærogativæ Mater est capax, ut certum est ex lege naturæ, & lege communi. Sed Beata V. MARIA, est capax hujus dignitatis, & prærogativæ, ut sit Immaculatè Concepta, sicut & Christus ejus Filius, fuit Immaculatè Conceptus. Ergo illi hæc dignitas & prærogativa concedenda est: Ergo ulterius &c.

Decimum Nonum. Quando omnes Sancti Patres docent, Bmam Virginem Mariam, esse Immaculatè Conceptam, tunc illa est Immaculatè Concepta. Sed omnes

Sancti

Sancti Patres, docent Beatissimam Virginem MARIAM esse Immaculatè Conceptam. Ergo &c. Major est certa apud omnes, minor probatur. Si non omnes Sancti Patres, docerent B. V. MARIAM esse Immaculatè Conceptam, tunc essent illi Sancti Patres, qui antea videbantur, tenuisse contrariam sententiam. Sed etiam hi, qui antea videbantur tenuisse contrariam sententiam, modò tenent Bmam V. MARIAM, esse Immaculatè Conceptam. Ergo &c. Probatur Minor: Si Sancti Patres, qui antea videbantur tenuisse contrariam sententiam, resurgerent, & viderent, tot Bullas Summorum Pontificum, pro Immaculata Conceptione editas, tunc sequerentur sensum, & decisiones, Summorum Pontificum: pariter si viderent tot Sanctos Patres, post se subsequentes, docentes, & defendentes, Immaculatam Conceptionem, sine dubio illis subscriberent: tandem si viderent sensum omnium populorum, & totiùs Orbis, sine dubio illis acquiescerent: consequenter piè credendum est, quòd hoc ipsum modò sentiant, teneant, & videant in Cælo regnantes. Ergo &c. Probatur Antecedens: Sicut Sancti Patres erant obedientes Ecclesiæ, quando vivebant, ita & modò si resurgerent, essent obedientissimi eidem Ecclesiæ. Unde S. Bertrandus Sacerrimi Ordinis Prædicatorum magnum lumen, dicere solebat: *Si antiqui Patres modò viverent, dicerent, scriberentque, id quod & nos sentimus, de Immaculata Reginæ Cæli Conceptione* ut testatur Vincentius Justinianus, Antistius, in Additione ad vitam ejusdem cap: ultimô. Hanc veritatem solidissimè probat Joannes Absolon sub Thesi 7. ubi inter alia inquit: *Ita cui favet DEUS, & omnes Sancti* (favent) *absolvunt MARIAM, etiam qui accusant, commendant insontem, etiam dum condemnant, ut sontem: destruunt ipsi, quæ adstruunt.* Et inferiùs addit: *Mortuus est Thomas Episcopus Anglus, pro tuenda immunitate Ecclesiæ; moreretur*

nisi

nisi immortalis jam esset, Doctor Angelus, pro immunitate Deiparæ.

Jam verò Eminentissimus Cælestinus Sfondratus superiùs citatus, Librum edidit sub titulo: *Innocentia Vindicata:* in quo solidissimè probat, & deducit ex multis locis S. Thomæ, quòd idem S. Thomas, expresse docuerit Immaculatam Conceptionē Bmæ V. MARIÆ, ubi § 1. enumerando locos S. Thomæ pro Immaculata Conceptione inquit. Primus locus S. Thomæ, habetur 1. Sententiarum 44. quæ: 1 Art: 3. (quem locum hîc citavimus sub principio 5to) Secundus locus D. Thomæ habetur in cap: 3. Epist: ad Galatas Lect: 6 ubi S. Thomas sic inquit: *Non inveni mulierem à peccato originali, vel actuali omnino immunē, præter purissimam, & omni laude dignissimam Virginem MARIAM.* Tertius locus S. Thomæ est ex opusculo 4. de salutatione Angeli, quem locum citavimus sub principio 5to. Quartus locus D. Thomæ est in Epistola ad Romanos cap: 5. ubi idem S. Thomas sic inquit: *Omnes in Adam peccaverunt, exceptâ B. Virgine, quæ nullam contraxit maculam originalis peccati.* Ita legitur in manuscripto codice Bibliothecæ Sfortianæ, reperto sub Urbano VIII. quodq; producitur ab Eusebio Nierembergio in exceptionibus Concilij Tridentini fol: 188. Quòd autem præfatus textus S. Thomæ repertus fuerit in manu scripto codice Bibliothecæ Sfortianæ, tunc idem Eminentissimus Cardinalis Sfondratus, adducit testimonium Ferdinandi Gvevarræ, Confessarij, ac Theologi, Cardinalis de Trexo, Annô 1625, quod testimonium est tenoris sequentis.

Ego Don Ferdinandus Gvevarra & Adorno, natione Siculus, ex fidelissima Civitate Cæsaraugustana jam incorporatus, & ut ita dicam, naturalizatus, ac omnium privilegiorum in Regno Castellæ capax, eò quòd in dicto Regno Castellæ, fuerim Capellanus Regiæ Majestatis 23. Annîs, in suo Regio Senatu Castellæ, Canonicus & dignitas Ecclesiæ Asturicensis, & Abbas S. Jaco-

Jacobi de Penalva: Testificor ac fidem facio, quòd dum Romæ vixi Annô Redemptionis 1625. in Domo Eminentissimi Cardinalis de Trexo, suæ Eminentiæ Theologi & Confessoris munus subiens, omnes exploravi Bibliothecas, ut aliquem librum invenirem, qui mihi conducat, ad explanandam Pyramidem, in platea S. MARIÆ, de populo sitam, mihiq; uberiorem lucem, & notitiam aperiret, de re tam antiqua, obscura, ac penè inexplicabili, ob Hieroglyphicorum characterum varietatem. Postquam verò intravi Bibliothecam Eminentissimi Cardinalis Sforza, quendam librum inveni fortuitò, ex operibus S. Thomæ, super Epistolas S. Pauli, ad magnitudinem unius Missalis, ex litera per antiqua, tabulis coopertum. Ego quippe singulari devotione permotus, illum textum exquisivi. Omnes in Adam peccaverunt &c. *Super quem textum, asserit Sanctus, ut patenter vidi.* Unâ exceptâ Beatâ Virgine, quæ nullam contraxit maculam originalis peccati. *Quamobrem obnixè supplicabam Eminen: D. Cardinali Sforza, ut mihi faceret copiam, ferendi mecum dictum Commentarium S. Thomæ, per dimidium horæ, mox utiq; in suum proprium locum restituendum. Cæterum quia hic Tomus fuit ex Bibliotheca secreta, sua Eminentia in principio fortiter reluctabatur, donec tandem ardenti meo desiderio, urgentioribus precibus, & instantijs acquievit. Ego confestim hunc librum, ostendi Eminentissimo Domino, ac D. Cardinali de Trexo, qui magnâ lætitiâ affectus, quòd viderit rem tam antiquam, ac Doctorem Angelicum, excipientem ad literam illiûs textûs:* Omnes peccaverunt in Adam: *Virginem Beatissimam; absq; mora decrevit adire Summum Pontificem Urbanum VIII. felicis mem: eumq; de hac re admonere. Verùm ego replicabam dicendo, congruum fuisse, antequam ad suam Sanctitatem accederet, ut experiretur, si fortè aliæ editiones modernæ, super prædictas Epistolas S. Pauli, quæ fuissent ejusdem Authoris D. Thomæ, cum illa antiqua concordâssent, quod ita effectum est, nam adhibitâ, diligentiâ, tres Tomos invenimus,*

ac in-

ac inspeximus novæ editionis, ac ejusdem Sancti Thomæ, super relatas Epistolas Pauli, quorum unus excusus fuit Romæ, alter Mediolani, & tertius Neapoli, in nullo tamen invenimus, verba Doctoris Angelici, super textum illum Sancti Pauli: Omnes in Adam peccaverunt &c. *quæ in Tomo illo antiquo ipsius Sancti, manifestè vidimus. Unde prædictus D. Cardinalis de Trexo, cum majore animi determinatione, ac proposito præcepit, statim sibi adduci lecticam, licèt pluvia instar torrentis cecidisset, adiitq; continuò suam Sanctitatem, secum ferens Librum antiqvum, & recentiores jam relatos, rogavitq; cum magna animi teneritudine, reverentia, & humilitate, ut sua Sanctitas, veritatem cernere dignaretur, ac judicare, quam opinionem, aut mentem habuerit Sanctus Thomas. Qui sinè æquivocatione, aut plurium verborum ambage, illa jam supra relata clarissimè asseruit:* Unâ exceptâ Beatâ Virgine, quæ nullam contraxit maculam originalis peccati. *Quæ omnia verba modernis defuerunt impressionibus, quemadmodum sua Sanctitas luculenter videbat, qui propterea demiratus, muniendo se sæpiùs signô Sanctæ Crucis, dixit: Rem esse magni momenti, ac consideratione dignam, sibiq; magnam novitatem, àc admirationem attulisse, scireq; voluit, ubinam fuit inventus dictus liber, quisve eum Domino Cardinali tradiderit? Respondit sua Eminentia, suum proprium Confessorem, ac Theologum, Dominum Ferdinandum Gvevarra, & Adorno, ei monstrâsse, ac dedisse librum hunc, sub conditione tamen, quòd illico proprio suo Domino restituatur.* Hactenus testimonium Ferdinandi Gvevarræ, ex quo constat, vera, propria, & genuina Sententia Doctoris Angelici, de exceptione Beatissimæ Virginis MARIÆ, à peccatô originalî.

Vigesimum. *Quando Immaculata Conceptio Beatissimæ Virginis MARIÆ, est revelata, tunc est firmiter tenenda, defendenda, & asserenda.* Sed prædicta Immaculata Conceptio est revelata. Ergo &c. Major patet. Quia quid-

quid est revelatum, illud est firmiter tenendum, & asserendum. Minor etiam constat, ex revelationibus, & miraculis, quas & quæ referunt passim Authores, quibus ego nolo immorari, quia longum esset ista enumerare, & satis luculenter ista miracula enumerat, Eminentissimus Cælestinus Sfondratus in libro suo superiùs citato § 7. pag: 153. & sequentibus.

Vigesimum primum. *Privilegia Principum sunt latè interpretanda. Cum ergo Dominus in privilegio suo (quod Ei mittit per Angelum) dicat:* Gratia plena: *nullam specificando, erit pro omnibus interpretandum. Præterea DEUS infundit suam bonitatem, unicuiq; secundùm suam virtutem, & capacitatem, ut patet Math: 25. de Domino, qui tradit servis suis bona sua, unicuiq; secundùm propriam virtutem. Ergo quæcunq; creatura est capax omnis gratiæ, cujus est capax pura creatura, illa erit plena omni gratia. Talis autem creatura fuit B. V. MARIA. Ergo ipsa plena est omni gratia, cujus particeps potest esse omnis creatura. Ita S. Antoninus 4. part: titu: 15. cap: 16.*

Ex quo principio sic argumentor: Ex una parte privilegia Principum sunt latè interpretanda: Ex altera: Beatissima V. MARIA erat talis creatura, quæ fuit plena omni gratia. Ergo habuit & gratiam præservationis à peccato originali, quòd si illam non haberet, tunc non esset plena omni gratia.

Vigesimum 2dum. *Princeps legibus solutus est, Augusta autem, licet legibus soluta non est: Principes tamen eadem illi privilegia concedunt, quæ ipsi habent.* L. Princeps 31. FF. de LL. Cum ergo Christus Dominus sit Princeps, & B. V. MARIA sit Augusta, & Imperatrix, proinde illi hic Princeps & Filius, concessit majora privilegia, quàm suis quibuscunq; subditis: adeoq; licèt alij subditi non sint liberi, à peccato originali, B. V. MARIA fuit liberrima,

exem-

exempta, & præservata per speciale Privilegium Christi Domini, Filii sui & Principis.

Vigesimum 3tium. *Omnis homo prudenter agens, si ipsi optio detur, ut sibi eligat Matrem quamcunq; voluerit, tunc sine dubio eligeret, potius incorruptam, integram, & famæ optimæ fœminam, quàm corruptam, & infamem.* Ita Eminentissimus Sfondratus in lib: *Innocentia vindicata.* § 8. ñro 4to. Quis prudentiùs elegit sibi Matrem quàm Christus Filius DEI, proinde potiùs sibi elegit Matrem Sanctam, puram, & à peccato originali liberam, quàm peccatricem, & peccato originali infamem.

Vigesimum 4tum. *Anima Christi & Christus, inquantum Homo, transcendit omnem ordinem puræ creaturæ, seu creatæ naturæ. Gradus autem Matris, conformis est ipsi Homini Christo, cujus humanatio intantum transcendit omnem ordinem primæ conditionis, quòd est omnino extra, & supra integritatem ordinis universi: propterea nòn potuit ab universo capi: sed dignitas Maternitatis DEI sic operi Incarnationis connexa est, quòd omnino aliter non potuit dari.* Ita S. Bernardinus Senensis Tom. 4. Sermon: inter Marianos 13. Art. 1. C. 6. Ex qua doctrina S. Bernardini sic arguo: Gradus Matris Christi est conformis, ipsi Homini Christo: Humanitas autem Christi transcendit omnem ordinem primæ conditionis, & est supra integritatem ordinis universi. Ergo & gradus Matris Christi (siquidem est conformis ipsi Christo) transcendit proportionatè (nempè quantum creaturæ fas est, & concedi potest) omnem ordinem primæ conditionis, & est supra omnem integritatem ordinis universi. Porro gradus Matris Christi, non transcenderet omnem ordinem primæ conditionis, & non esset supra integritatem ordinis universi, si Mater Christi fuisset peccato originali obnoxia. Unde Joannes Absolon superiùs citatus Propositionem 24tam hîs verbîs

profert: *Dignitas Maternitatis Divinæ est secundùm quid infinita, sed excellentissimô modô, ita ut transcendat alia omnia entia purè creata, possibilia, exceptis operationibûs Theandricis: adeoq; debetur illi infinitudo suprema in genere entis secundùm quid infiniti.* Rationes hujus propositionis assignat, quia Virgo Sacerrima est DEO maximè conjuncta, maximè affinis, maximè propinqua &c. &c. citatq; ibidem pro se Doctissimum Patrem Morawski, quæst: 1. Art: 4. conclu: 4. & alios plures.

Tandem hæc omnia concludo Verbis S. Jacobi Minoris, Apostoli, Primi Episcopi Hierosolymitani Patriarchæ Ordinis Nostri in cujus Liturgia, (quæ habetur in Bibliotheca Veterum PP.) Tom: 2do sic dicitur: *Dignū est ut Te verè Beatam dicamus Deiparam, semper Beatam, & omnibus modis Immaculatā, & Matrem DEI nostri honorabiliorem, quàm Cherubim, & gloriosiorem, quàm Seraphim: quæ sine corruptione DEUM Verbum peperisti, Te reverà Deiparam magnificamus.* Hîs præmissis pro honore Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ, descendimus ad alia principia proponenda.

ARTICVLVS II.

25. O*Mnis anima, omni corpore melior est.* Ita Sanctus Augustinus Libr: 83. quæstionum quæst: 54. quod hâc ratione probat: *Melius est enim quod vivificat, quàm quod vivificatur.* Ratio præterea dari potest, quia omnis anima, est forma sui corporis, determinans illud, ad hoc, vel aliud in specie compositum. Sed forma taliter determinans, est melior, quàm corpus. Ergo &c.

26. *Omne agens est nobilius patiente.* Colligitur ex S. Augustino 12. super gentes, ad literam Cap: 16. & ex S. Thoma 1. par: quæst: 79 Arti: 2. ad 3tium: tandem ex Aristotele 3. de anima. Hoc axioma variè varii explicant,

plicant, mihi dicendum videtur, omne agens quatenus est agens, esse nobilius patiente: nobilius est enim agere, quàm pati, sicut nobilius est producere quàm produci, juxta illud, scripturæ: *Beatius* (seu perfectius est) *dare, quàm accipere.*

27. *Agens fortius est patiente.* Ita S. Augustinus in 12. super gentes apud Albertum magnum quæst: 107. Hoc axioma est simile præcedenti, quare pariter intelligendum. Ratio est, quia agens dum agit, indiget virtute fortiori, ad agendum, quàm patiens faciliùs est enim pati, seu recipere aliquid, quàm agere.

28. *Nemo Beatus, qui non amat, quod habet, etiamsi optimum sit.* Ita S. Augustinus Libr: 1mo de moribus Ecclesiasticis Cap: 3. Ratio est, quia beatitudo, consistit præter alia etiam in amore proindè qui non amat aliquid, ex illo Beatus esse non potest.

29. *Agens tantò efficaciùs, & majori virtute agit, quantò potentiam magìs remotam ab actu, ad actum reducit.* Est S. Thomæ, 1mò contra gentes, Cap: 43 illudq; probat inductione, quia majori virtute opus est ad vincendum totum exercitum, quàm unum militem. Et ignis majori virtute indiget, ad comburenda ligna humida, quàm desiccata.

30. *Quantò aliquod agens est virtuosiùs, tantò minorem dispositionem requirit in passo.* Est apud S. Thomam in quæstionibus disputatis quæst: 3. de charitate arti: 1. Qui in responsione ad 2dum docet, agens majoris virtutis, non prærequirere minorem dispositionem, sed inducere, sic ignis magnus, est sufficiens etiam ad ligna minus desiccata comburenda. Cæterum addo id principium valere in naturali ordine, non autem in supernaturali. Sic DEUS est agens virtuosissimum, & tamen in homine requirit omnimodam dispositionem, ad infunden-

dendam eidem gratiam ſanctificantem, & alia dona ſupernaturalia.

31. *Omnis actio ſpeciem ſuam accipit à principio, paſſio verò à termino.* Eſt S. Thomæ 1. 2. quæſt: 1. Artic: 3. ſicq; explicari poteſt: Omnis actio ſpeciem ſuam accipit à principio, vel efficiente, vel morali, non tamen à principio paſſivo, nempe à materia prima. Et ratio eſt, quia materia prima, eſt eadem in omnibus compoſitis, ergo ab illa non poteſt actio, accipere ſuam ſpeciem.

32. *Modus actionis, ſequitur diſpoſitionem agentis.* Probat hoc axioma S. Thomas, 1ma 2dæ quæſt: 55. art. 2. Et ratio eſt, quia omne agens non agit aliter, niſi habeat præviam diſpoſitionem ad agendum, & omnia requiſita. Ergo & actio ejusdem agentis debet ſequi hanc diſpoſitionem.

33. *Quantò aliqua virtus activa eſt fortior, tantò in remotiora extendit ſuam actionem.* Eſt S. Thomæ 1. contra Gentes Cap: 70. Explicatione & ratione non indiget, ſed patet experientia: ſic quantò ignis eſt vehementior, amplior, & intenſior, tantò fortiùs agit in corpora remotiora, niſi aliunde impediatur, & ſic de aliis.

34. *Ab actu ad potentiam valet conſequentia.* Axioma iſtud, quamvis ſit apud omnes certum, tamen ſic limitari, & explicari poteſt: Ab actu ad potentiam valet conſequentia viâ, *affirmativa* non autem viâ *negativâ*. Ratio primæ partis eſt. Rectæ ſunt apud omnes iſtæ conſequentiæ, viâ affirmativâ procedentes: *Mundus exiſtit, ergo poteſt exiſtere. Aliqua duo ſecum actu identificantur. Ergo aliqua duo, poſſunt ſecum identificari.* Et ſic de alijs, ſimilibus, conſequentijs quibuscunq;. Ergo ab actu ad potentiam, valet univerſaliter conſequentia, viâ affirmativâ. Ratio 2dæ partis eſt: Non rectæ ſunt iſtæ conſequentiæ, viâ negativâ procedentes: *Petrus non exiſtit, Ergo Petrus non*

poteſt

potest existere. Petrus non movetur. Ergo Petrus non potest moveri. Et sic de alijs, quibuscunq; consequentiis. Ergo ab actu ad potentiam, non valet consequentia viâ negativâ.

35. *Actus secundus præsupponit primum.* Circa hoc axioma adverto: Authores illi, qui in Tractatu de Jure, & Justitia docent, quòd in instanti donationis absolutæ, dominium rei donatæ plenum & perfectum, sit penes duos, scilicet & penes donantem, & penes donatarium, præfatum axioma absolutè supponunt, voluntq; esse innegabile. Qui verò Authores, negant in instanti donationis absolutæ, dominium rei donatæ, plenum & perfectum, esse penes donantem, & penes donatarium, hi prædictum axioma non concedunt, sine omni limitatione, sed illud ita explicant: Actus secundus *liber non destructivus primi*, præsupponit primum, concedunt. Actus secundus liber, *destructivus primi*, præsupponit primum. Negant, & dicunt: Verum esse, quòd actus secundus liber, non destructivus primi, supponit primum: tamen actus secundus liber, destructivus primi, non supponit eundem in instanti donationis, sed potius destruit. Porro donatio libera rei in instanti donationis, est actus secundus liber, destructivus primi, nempè dominii quòd fuit immediatè, penes donantem, adeoq; in prædicto instanti donationis, non tam supponi debet dominium penes donantem, quàm potiùs actualiter destrui, per actualem donationem rei.

ARTICVLVS III.

36. AB *indifferenti ut indifferenti, non potest oriri determinatio.* Allatô immediatè principiô, doctissimi & solidissimi Thomistæ, contendunt evincere præ-

deter-

determinationem physicam. Alij autem Doctores contrarium sentientes, illud explicant. Sciendum ergo est: Principium seu ens indifferens est duplex; aliud indifferens *indifferentiâ merè & purè passivâ*, aliud indifferens indifferentia *activâ*. Deinde principium indifferens indifferentiâ activâ, duplex est: Unum indifferens indifferentiâ incompletionis, & insufficientiæ, ad ponendum effectum, quod tunc est, quando principium caret aliquô complementô, seu comprincipiô prærequisitô, ad producendum effectum, vg. quando caret concursu generali Omnipotentiæ Divinæ, vel debitæ applicationis, vel alio quocunq; requisitô, aut conditione essentiali. Alterum principium est indifferens indifferentiâ *dominij, in effectum, ac libertatis*, ad eundem effectum, seu indifferentiâ liberi arbitrij, potentis pro placito ponere effectum. Vel si placet aliter: Indifferentia duplex est, alia propria libero arbitrio, alia propria causis necessarijs. His præsuppositis.

37. Dico. Ab indifferenti ut indifferenti, indifferentiâ *merè purè passivâ* item ab indifferenti indifferentiâ *incompletionis, seu insufficientiæ*, non potest oriri determinatio: potest tamen oriri ab indifferenti, *indifferentiâ activâ dominij in effectum, ac libertatis, seu liberi arbitrij, ad ponendum eundem effectum.* Seu clariùs. Ab indifferenti indifferentiâ propriâ causis necessarijs, non potest oriri determinatio, potest tamen oriri, ab indifferenti indifferentiâ propriâ libero arbitrio. Alij sic explicant: Ab indifferenti indifferentiâ negativâ, hoc est non potente se determinare, non potest oriri determinatio, potest tamen oriri, ab indifferenti, indifferentiâ positivâ, hoc est potente se determinare.

38. Ratio primæ partis est: Principium indifferens, indifferentiâ merè passivâ, est vg. materia prima. Sed

hæc

hæc non poteſt ſe ipſam determinare, ad receptionem formarum, vel alium effectum, niſi aliunde determinetur (& idem dicendum de alijs principijs merè, & purè paſſivis) Ergo &c. Dixi *indifferenti, indifferentiâ merè & purè paſſiva:* nam ſi aliquod principium ſit indifferens indifferentiâ paſſivâ, & ſimul activa, tunc à tali principio, taliter indifferente, poteſt prodire determinatio: & tale principium, eſt voluntas creata, quæ licèt ſit indifferens ad aliquos actus, indifferentiâ paſſivâ, tamen ſimul eſt indifferens indifferentiâ activâ, ideo ab illa poteſt prodire aliqua determinatio.

39. Ratio ſecundæ partis eſt: Quod principium caret comprincipiô, vel requiſitô eſſentiali, ad ponendũ vel determinandum effectum, ab illo non poteſt oriri determinatio, ſed principium indifferens indifferentiâ incompletionis, caret aliquo principiô, vel requiſitô eſſentiali, ad ponendum effectum, per principium enim incompletionis, nihil aliud intelligitur, niſi principium incompletum, carens aliquo requiſito eſſentiali, Ergo à principio indifferenti indifferentiâ incompletionis, non poteſt oriri determinatio.

40. Ratio 3tiæ partis eſt: Principium indifferens, indifferentiâ liberi arbitrij, eſt vg. ipſa voluntas noſtra creata, imo & Divina. Sed voluntas Divina, & creata, poteſt ſe ipſam determinare. Ergo &c. Major eſt apud omnes certa, Minor quo ad primam partem eſt pariter certa, ſecuda probatur; primo ex ſcriptura, nam Eccleſiaſtici 15. dicitur: *DEUS ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui: adjecit mandata, & præcepta ſua: ſi volueris ſervare mandata, ſervabunt te &c. Appoſui tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam.* Sed qui relictus eſt in manu conſilij ſui, ille poteſt ſe ipſum determinare, juxta placitum ejuſdẽ

consilij sui, aliàs & esset relictus in manu consilij sui, & non esset. Ergo &c.

41. Secundo probatur ex Concilio Tridentino Sessio: 6ta cap: 5. dicente: *Tangente DEO cor hominis, neq; ipse homo nihil omnino agit, inspirationem recipiens, quippe qui illam, & abijcere potest.* Sed qui potest inspirationem abijcere, ille potest se ipsum determinare, ipsa enim abjectio inspirationis, supponit determinationem propriam ad abijciendum. Ergo &c. Canone autem 4. idem Concilium dicit: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à DEO motum & excitatum, nihil coöperari, assentiendo DEO excitanti, atq; vocanti, quô ad justificationis gratiam se disponat, neq; posse resentire si velit anathema sit.*

42. Tertio Eadem pars secunda minoris probatur ex SS. Patribus: nam S. Augustinus lib: de Spiritu & litera inquit: *DEUS suasionibûs agit, ut velimus, & credamus.* S. Thomas Distin: 39. quæ: 1. Art: 1. in ☉ inquit: *Ipsa voluntas quantùm in se est, indifferens est ad plura, sed quòd determinatè exeat, in hunc actum, non est ab alio determinantè, sed ab ipsa voluntate.* Item quæst: 1. de potentia Art: 4. ad 3tium inquit: *Dicendum quòd licet causa prima, maximè influat in effectum, tunc ejus influentia per causam proximam determinatur, & specificatur.* Ergo &c. Præterea ratio intrinseca est: quia causa libera est illa, quæ habitîs omnibûs ad agendum requisitîs, potest agere, vel non agere, ex propria determinatione. Sed voluntas creata est causa libera, ut certum ex fide. Ergo &c.

43. *Ab uno, inquantum est unum, immediatè non provenit, nisi unum.* Axioma istud sic potest explicari: Ab uno agente univoco, inquantum est unum, seu univocum, non provenit immediatè nisi unum, unitate ejusdem speciei; non potest autem sic explicari, & intelligi. Ab uno agente, inquantum est unum, non provenit immedi-

mediatè nisi unum, hoc est unus numerô effectus. Ratio primæ partis est: Ab agente univoco vg. humano seu homine, non provenit, nec provenire potest immediatè, nisi homo unius ejusdemq; speciei: pariter ab agente equino, bovino, asinino, & sic de alijs: homo enim non potest generare bovem, aut bos hominem &c. Ergo ab agente univoco, inquantum est unum, seu univocum, non potest immediatè provenire, nisi unum unitate ejusdem speciei. Ratio 2dæ partis est: quia unum idemq; agens, producit multos effectus diversos, vg. ignis, producit alterum ignem, item producit calorem, siccitatem, lucem &c. pariter homo producit hominem, item producit ratiocinationes, sensationes, volitiones, nolitiones, &c. Ergo allati axiomatis non est sensus, quasi verò unum agens, non possit producere nisi unum numerô effectum.

ARTICVLVS IV.

44. *ABstrahentium neq; est error, neq; mendacium.* Antequam aliquid proferam de isto axiomate, præsuppono. Abstractio seu præcisio est duplex, alia formalis, alia objectiva. Præcisio formalis est cognitio inadæquata ejusdem objecti, inadæquatione ipsiusmet actus, seu cognitionis. Præcisio objectiva, est cognitio inadæquata, inadæquatione objecti realiter indivisibilis, seu est cognitio, vi cujus una formalitas, objecti apparet in intellectu, & ab illo cognoscitur, alijs formalitatibûs objecti ejusdem, ex parte ipsiusmet objecti, penitùs per eandem cognitionem incognitis. His præmissis.

45. Dico: Abstrahentium *formaliter*, non est ullus absolute error, aut mendacium: abstrahentium verò *objectivè*, reputatur ab aliquibus esse error, saltim inevi-

dens, non est tamen ullatenus mendacium. Ratio primæ partis est: Abstractio, seu præcisio formalis, nihil aliud in objecto & circa objectum facit, nisi hoc, quòd totum idem objectum, quidquid illi identificatur, cognoscit, cæterum tamen, non habet cum objecto tantam similitudinem, ut quidquid sit objectum realiter & physicè, hoc totum ipsa sit intentionaliter, seu cognitio præcisiva formaliter, est illa, quæ à parte rei unam formalitatem objecti attingit, & repræsentat discretivè & expresse, alteram verò formalitatem attingit implicitè, & confusè. Sed in hoc, nullus est absolutè error, vel mendacium, nam quòd cognitio præcisiva, unam formalitatem objecti repræsentet, alteram non repræsentet, hoc non provenit ex eo, quasi verò unam formalitatem separet, vel distingvat realiter ab altera, sed ex eo, quia non potest objectum, comprehensivè cognoscere, adeoq; nec repræsentare, Ergo &c.

46. Ratio 2dæ partis est: Illi qui præscindunt objectivè, unam formalitatem ab altera, tribuunt identificatis realiter adæquatè prædicata contradictoria: nempe quòd unum ex identificatis, vg. animal possit cognosci, cognitione A. jam verò rationale eidem animali identificatum realiter adæquatè, non possit cognosci eadem cognitione A. Sed tribuere identificatis realiter adæquatè prædicata contradictoria (præsertim in creatis) censetur ab aliquibus, & multis esse probabiliter aliquis error, saltem inevidens: quia implicat, de idenficatis realiter adæquatè, verificari prædicata contradictoria, non solùm Physica, sed etiam Logica, & 2do intentionalia extrinseca enti, qualia sunt hæc vg. cognosci animal cognitione A. non cognosci animal eadem cognitione A. ut communiter deducitur ab illis, qui negant præcisiones objectivas. Ergo &c. Sed ego nemini hâc in parte errorem tribuo.

47.

47. Ratio 3tiæ partis eſt: Mendacium eſt judicium illud, quô quis prælucente dictamine conſcientiæ, & rationis rectæ, judicat aliquid eſſe tale, & tamen negat eſſe tale. Sed qui præſcindunt objectivè unum identificatum ab altero, nihil tale committunt, putant enim & judicant, innixi rationibus ſuis, quòd inter identificata realiter adæquatè, verè dentur præciſiones objectivæ, oppoſitam verò ſententiam, vel cenſent abſolutè, non ſubſiſtentem, vel tantùm probabilem. Ergo &c.

ARTICVLVS V.

48. A *Privatione ad habitum, non datur regreſſus.* Iſtud axioma eſt Ariſtotelis in poſtprædicamentis cap: de oppoſitis, quod ut intelligatur, ſciendum eſt: Privatio alia eſt habitûs infuſi, quem aliquis à DEO infuſum habuit: alia eſt privatio habitûs acquiſiti, quē aliquis conſecutus eſt, per actus frequentatos. Alia eſt privatio formæ, in ſubjecto capaci, ſicut eſt privatio viſûs, auditûs &c. Sciendum 2do. Regreſſus ad habitum acquiſitum, duplex cogitari poteſt, videlicèt vel ad eundem numerô habitum, qui fuit antea acquiſitus, vel ad alium, per alios actus frequentatos acquiſitum, ſimilem tamen illi priori. Hîs præmiſſis.

49. Dico A privatione habitus infuſi, vel acquiſiti, non datur regreſſus, ad eundem numerô habitum infuſum, vel acquiſitum, datur tamen ad alium ſimilem, per actus frequentatos acquiſitum, vel acquirendum, vel à DEO infundendum. Ratio quo ad habitum infuſum eſt hæc: Qui per peccatum infidelitatis perdidit habitū infuſum fidei, poteſt illum iterum obtinere, redeundo per pænitentiam ad veram fidem. Sed hic habitus infuſus, non eſt idem numerô, qui ante fuerat. Ergo &c.

50.

50. Ratio quo ad habitum acquisitum est: Qui habuit habitū acquisitū ebrietatis, & postea eundē perdidit, atq; per actus oppositos, assecutus est habitum sobrietatis, hic potest ita esse ebriosus, sicut anteà fuerat, sed hic habitus ebrietatis, non est idem numerô, cum illo priore, quia ille prior, jam penitus evanuit, hic autèm perseverat: deindè ille prior per alios actus ebrietatis, fuerat acquisitus qui pariter præterierunt: hic verò habitus de novo acquisitus, pariter per alios actus frequentatos invaluit. Ergo à privatione habitûs acquisiti, non datur regressus, ad eundem numerô habitum acquisitum.

51. Ratio ultimæ partis est: Qui perdidit habitū acquisitum ebrietatis, potest iterum eundem illi priori similem & ejusdem speciei acquirere: nam qui antea erat ebriosus, potest esse sobrius, deinde potest ad eandem ebrietatem redire, ut constat experientiâ. Ergo à privatione habitûs acquisiti, datur regressus ad eundem habitum similem, & ejusdem speciei cum priore.

52. Dico 2do. A privatione formæ in subjecto capaci, quæ forma est naturaliter congenita subjecto capaci, non datur naturaliter regressus, ad eandem formā, datur tamen supernaturaliter. Ratio est: qui privatur integrè formâ visûs, vel auditûs, item qui privatur forma ipsius vitæ, per mortem, non potest ad hæc omnia naturaliter redire, potest tamen Divinitus. Ergo &c.

53. *A specie ad genus valet consequentia.* Hoc axioma ita intelligendum est: A specie spectante ad suum genus & contenta sub illo genere, valet consequentia viâ affirmativâ, non autem negativa. Ratio est: Omnes consequentiæ, in quibus à specie contenta sub genere suo, ad idem genus arguitur, viâ affirmativâ, sunt rectæ & infallibiles, ut patet inductione: *Est homo, ergo est animal. Est bos, ergo est animal,* & sic de cæteris. E contra omnes

omnes consequentiæ, in quibus à specie prædicta, ad genus arguitur viâ negativâ, non sunt rectæ, ut patet in his: *Non est homo, ergo non est animal. Non est bos, ergo non est animal*, & sic de cæteris. Potest enim non esse bos, & non esse homo, & tamen potest esse animal. Ergo &c.

54. Quæres. Utrum etiam à genere, valet aliquando consequentia ad speciem? respondeo: A genere ad speciem determinatè talem, non valet unquàm consequentia, valet tamen ad speciem indeterminatam, hanc vel illam. Ratio primæ partis est: Non potest ostendi ulla talis consequentia, quæ procedat à genere, ad speciem determinatam, & tamèn sit recta; quæ enim est talis consequentia? Ratio 2dæ partis est: Rectæ sunt istæ consequentiæ: *Est animal ergo vel est homo, vel bos, vel asinus, vel leo &c. Item est ens, ergo vel est substantia vel accidens, vel DEUS, vel creatura*, & sic de alijs. Sed hæ consequentiæ, & aliæ similes, procedunt à genere ad speciem indeterminatam, & sunt rectæ. Ergo &c.

55. *A termino restricto, ad irrestrictum, valet consequentia*. Sic est limitandum: A termino restricto valet universaliter consequentia, viâ affirmativâ ad irrestrictum quando terminus restrictus pro prædicato ponitur, seu quando terminus restringens, restringit ipsum prædicatum, quando autem terminus restringens, restringit ipsum subjectum, & quidem ita, ut ratione illius ejusdem restrictionis, conveniat subjecto prædicatum, tunc à termino taliter restricto, non valet consequentia ad irrestrictum, etiam viâ affirmativâ.

56. Ratio 1mæ partis est: Rectæ sunt hæ consequentiæ. *Petrus est homo doctus, ergo Petrus est homo*. Item: *Petrus est animal rationale, ergo Petrus est animal*. Item: *Omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est animal*,

& sic

& ſic de alijs. Sed in his omnibus terminùs reſtringens afficit, & reſtringit prædicatum per affirmationem ut eſt evidens. Ergo &c.

57. Ratio 2dæ partis eſt: Non ſunt rectæ hæ conſequentiæ: *Omnis homo Sanctus ſalvabitur, ergo omnis homo ſalvabitur.* Item: *Omnis homo in peccato lethali mortuus damnabitur, ergo omnis homo damnabitur.* Item: *Omnis homo doctus promovebitur pro Doctoratu, ergo omnis homo promovebitur pro Doctoratu*: & ſic de alijs. Sed in his omnibus reſtringitur ipſum ſubjectum per terminum reſtringentem, prædicatumq; in ſingulis prædictis propoſitionibus, convenit ſubjecto, propter terminum reſtringentem additum eidem ſubjecto, ut eſt evidens, quòd enim in iſta vg. propoſitione: *Omnis homo Sanctus ſalvabitur*, prædicatum iſtud *Salvabitur:* verè conveniat ſubjecto, nempè homini, id non aliter verum eſt, niſi propter ſanctitatem, quæ in eadem propoſitione, per terminum reſtringentem exprimitur, ergo quando terminus reſtringens, reſtringit ipſum ſubjectum, & quidem ita, ut ratione illius reſtrictionis, prædicatum conveniat ſubjecto, tunc à termino taliter reſtricto, non valet conſequentia, etiam viâ affirmativâ, ad irreſtrictum.

ARTICVLVS VI.

58. *Actiones ſunt ſuppoſitorum.* Circa hoc principium, fuſiſſimè & ſolidiſſimè tractat Doctiſſimus Joannes de Ulloa, Diſp: 3. in Prodromo cap: 1. ñro 1. & ſequentibus, tandem concludit verum eſſe 1mò ſi ſermo ſit de ſuppoſitis prout coincidentibus cum ſingularibus. Unde in hac acceptione principium iſtud: *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, habet ſenſum iſtum: *Actiones ſunt ſingularium*, conformiter ad mentem Ariſtotelis. 2do. Præfatum

fatum principium verum esse, si significet actiones esse denominativè suppositorum, non elicitivè, ita ut sensus sit: *Actiones sunt denominativè suppositorum*: hoc est licèt supposita, & subsistentiæ, nihil ph sicè agant, operentur, & producant, attamen illis tribuuntur operationes, non ideo quòd illas verè producant, sed ideo quòd supposita, subsistentiæ, suppositalitates, sint conditio actionum, sinè qua conditione, à natura elici non possunt: tum ideo quòd suppositalitas, sit forma moralis operationum, quas natura producit: Sicut enim gratia Sanctificans, citra omnem influxum physicum, extollit opera honesta, subindeq; est forma moralis earundem: ita licet subsistentia, nullam prorsus haberet prioritatem, respectu cæterarum operationum, tamen potest esse forma moralis ipsarum: Nam crescente subsistentiæ perfectione, crescit cæteris paribus operationum perfectio, & illa decrescente, decrescit hæc, siquidem quò nobilior est persona operans, eò cæteris paribus, nobiliores sunt actiones.

59. *Actus & potentia, non faciunt multa, sed unum.* Istud axioma sic est limitandum: Actus & potentia non faciunt multa composita, sed unum compositum, cum adminiculo unionis vel physicæ, si est compositum physicum, vel aggregationis, si est compositum aggregatum, vel moralitatis, si est compositum morale. Non est autem sic intelligendum. Actus & potentia non faciunt multa, seu plura entia, sed unum ens: siquidem enim actus & potentia, sunt entia distincta realiter inter se, ideo eo ipso sunt multa, seu plura entia, nempe duo entia, non autem unum: Ubi enim intervenit distinctio realis, ibi necesse est intervenire multitudinem, seu pluralitatem realem.

60. *Actus melior est, seu prior quàm potentia.* Antequam hoc axioma explicem præsuppono *1mo.* Unum al-

terô poteſt eſſe melius, & perfectius dupliciter, videlicèt vel in ratione ſubſtantiæ, vel in ratione determinationis. Unũ alterô tunc eſt perfectius in ratione ſubſtantiæ, quando una ſubſtantia eſt entitativè perfectior, quàm altera: ſicut *vg.* ſubſtantia Angeli, eſt perfectior quàm ſubſtantia muſcæ. Unum alterô tunc eſt perfectius, in ratione determinationis, quando aliquod unum, habet capacitatem determinandi alterum, ad aliquid, jam autem alterum, non habet ſimilem capacitatem, ſed tantùm eſt determinabile ab altero. Præſuppono 2*do*. Actus alius eſt phyſicus & materialis, alter ſpiritualis. Actus phyſicus & materialis, eſt forma materialis, educta de potentia materiæ. Actus phyſicus ſpiritualis, eſt forma ſpiritualis, creata à DEO, qualis eſt anima rationalis in homine. His præmiſſis.

61. Dico Actus phyſicus materialis, eſt nobilior in ratione determinandi, quam potentia ſua materialis, non eſt autem nobilior, in ratione ſubſtantiæ. Ratio 1mæ partis eſt, quia illud eſt in ratione determinandi perfectius alterô, quòd habet vim determinandi, illud autem alterum non habet talem vim determinandi. Sed actus phyſicus etiam materialis, habet rationem determinandi potentiam phyſicam, ad rationem compoſiti, idemq; compoſitum conſtituendi, in tali, vel tali ſpecie, potentia autem phyſica id non habet. Ergo actus phyſicus eſt perfectior &c. Major patet, Minor etiam conſtat, quia actus phyſicus, ſeu forma phyſica, eſt pars compoſiti, determinans potentiam phyſicam, ad rationem talis, vel talis compoſiti, ut certum omnibus. Ratio 2dæ partis eſt: quia actus phyſicus materialis ſubſtantialis, eſt ſubſtantia ejusdem ordinis, cum potentia phyſica ſubſtantiali, nempe cum materia prima: ſicut enim materia prima, eſt ſubſtantia materialis, ita prædictus actus phyſicus eſt ſubſtantia materialis. Ergo &c.

62. Dico 2dò: Actus phyſicus ſubſtantialis ſpiritu-

alis, eſt perfectior etiam in ratione ſubſtantiæ, quàm potentia materialis. Ratio eſt: quia actus phyſicus ſpiritualis ſubſtantialis, eſt ſubſtantia ſuperioris ordinis, quàm materia prima, quia hæc eſt rationalis & ſpiritualis, illa verò materialis, & carens uſû rationis. Ergo &c.

ARTICVLVS VII.

63. *Actus & potentia debent eſſe in eodem genere.* Axioma iſtud ſic limitari & explicari poteſt: Actus phyſicus ſubſtantialis, & potentia phyſica ſubſtantialis debent eſſe in eodem genere partis incompletæ, tum in genere ſubſtantiæ, & entis, non debent autem eſſe in eodem genere affirmationis, & negationis. Ratio primæ partis eſt: quia ſicut actus phyſicus, ita & potentia phyſica, ſunt partes incompletæ, unius ejusdemq; in particulari compoſiti phyſici. Ergo ſunt in eodem genere partis incompletæ. Ratio 2dæ partis eſt: Actus phyſicus & potentia phyſica, ſunt partes compoſiti ſubſtantialis phyſici, ſed hæ partes debent eſſe ſubſtantiales, & debent eſſe entia realia. Ergo &c. Ratio 3tiæ partis eſt: Quæ diſtingvuntur inter ſe realiter, illa non ſunt in eodem genere affirmationis, & negationis, hoc eſt non ſunt talia entia, ut quidquid ſit affirmabile, vel negabile de actu phyſico, idem ſit affirmabile, vel negabile de potentia, ſed actus & potentia phyſica, diſtingvuntur inter ſe realiter. Ergo &c. Hîc adverto, quod actus phyſicus accidentalis, non debet eſſe in eodem genere, cum potentia, ut conſtat ex terminis: eô enim ipſò, quia eſt actus accidentalis, & potentia ſubſtantialis, nequeunt eſſe in eodem genere ſubſtantiæ.

64. *Actus eſt, qui ſeparat, & diſtingvit.* Hoc axioma ſic intelligendum eſt; Actus phyſicus eſt, qui ſeparat & diſtin-

distingvit *specie unum ens*, *seu compositum physicum ab altero.* Ratio est: In quolibet composito physico, reperiuntur tria essentialiter, materia, forma, & unio, sed materia, & unio, non distingvunt specie unum compositum, ab altero. Ergo restat ut distingvat forma physica, seù actus physicus. Major certa, Minor etiam constat, quo ad utramq; partem: Materia enim prima, est ejusdem speciei in omnibus compositis, tàm cælestibus, quâm sublunaribus, ut communiter docetur in Physica: Unio pariter, ut dicatur esse diversæ speciei, in ijsdem compositis, vel ut habeat vim distingvendi specificè unum compositum ab altero, nullum est hujus fundamentum. Ergo &c.

65. *Actus aliquis prior est quâvis potentiâ.* Hoc axioma taliter intelligendum est: Actus aliquis, nempe DEUS optimus maximus, est prior quavis potentiâ. Ratio est: quia causa prima, est prior omni alia causâ secundâ, tàm activâ, quàm passivâ: ut certum ex fide. Utrum autem aliquis actus creatus, vg. actus physicus, seu forma substantialis physica, sit prior quâvis potentiâ? dici potest quod sit prior, seu perfectior in ratione determinationis, ad speciem seu in hoc, quòd quælibet forma substantialis physica, habeat vim determinandi materiam primam, ad hoc, vel illud in specie compositum, juxta dicta superiùs, hanc autem vim, & qualitatem, non habet potentia, seu materia prima.

ARTICVLVS VIII.

66. AD *præteritum non datur potentia.* Hoc principium ita intelligendum est. Ad præteritum non datur potentia etiam in DEO, in hoc sensu, ut quod est præteritum, non sit præteritum: seu etiam

DEUS

DEUS ad hoc non habet potentiam, ut quod jam præterijt, non præterierit; ad idem autem præteritum datur potentia, in hoc ſenſu, ut illud iterum cauſetur, reproducatur de novo, & conſervetur. Ita Doctor Angelicus 1ma parte quæ: 25. Art: 4. Vasquez 1. part: diſp: 105. cap: 2. Cajetanus, Joannes de Ulloa Diſp: 4. Prodrom: cap: ñro 168. & ſequentibus.

67. Ratio primæ partis eſt: Etiam DEUS O. M. non habet potentiam, ad componenda duo ſimul contradictoria, reſpectu eodem, & circa idem omnino ſubjectum: Sed ſi in DEO daretur potentia ad præteritum, in hoc ſenſu, ut quod jam eſt præteritum, non ſit præteritum, tunc daretur in DEO potentia, ad componenda duo ſimul contradictoria, reſpectu eodem, & circa idem ſubjectum. Ergo &c. Major certa, Minor probatur. Eſſe præteritum & non eſſe præteritum, idem omnino, & reſpectu eodem, ſunt prædicata contradictoria. Sed ſi DEUS haberet potentiam ad id, ut quod eſt præteritum, non ſit præteritum, tunc unum idemq; reſpectu eodem, & eſſet præteritum, ut ſupponitur, & non eſſet, quia DEUS faceret, vel facere poſſet, ut non ſit præteritum, in ſenſu compoſito præteritionis. Ergo &c.

68. Ratio 2dæ partis eſt: DEUS defacto poteſt illa de novo cauſare, reproducere, & conſervare, quæ ſunt præterita, ſic poteſt, mortuos ſuſcitare, cæcos illuminare &c. Ergo ad præteritum datur in DEO potentia, in hoc ſenſu, ut præteritum, poſſit de novo cauſare, reproducere, & conſervare.

69. *Ad veritatem propoſitionis disjunctivæ ſufficit, ſi vel una illius pars, ſit vera.* Eſt commune axioma dialecticum, apud omnes uſitatiſſimum: cæterùm poteſt ſic explicari. Ad veritatem propoſitionis disjunctivæ, ſufficit, ut vel una pars illius ſit vera, *quando propoſitio disjunctiva*

ctiva non est directiva, *nec præceptiva:* quando autem propositio disjunctiva, *est directiva, vel præceptiva alicujus*, tunc ad veritatem illius, non sufficit, ut vel una pars illius, vera sit. Quod ut intelligatur sciendum est: Propositio disjunctiva est duplex; alia directiva, seu præceptiva, alia non directiva, nec præceptiva. Propositio Disjunctiva directiva, seu præceptiva, est illa in qua præscribitur regula, vel doctrina docens aliquid: qualis est ista vg. propositio disjunctiva: *Syllogismus demonstrativus, debet constare præmissis, vel scientificis, vel probabibus.* Item *definitio debet constare, vel genere proximo vel differentia ultima.* Propositio disjunctiva non directiva, nec præceptiva est, in qua non præscribitur regula, docens aliquid, sed est propositio merè speculativa, & intendens solam veritatem, qualis est vg. ista: *Petrus vel currit, vel studet &c.* Ad veritatem ergo propositionis disjunctivæ, non præceptivæ, nec regulativæ, sufficit, si vel una pars illius vera sit, id tamen non sufficit ad veritatem propositionis disjunctivæ regulativæ, directivæ, seu præceptivæ, qui enim docet, debet omnes partes doctrinæ suæ veras adferre, sive illas partes copulativè proferat, sive disjunctivè, si enim vel una pars doctrinæ illius esset falsa, ei non crederetur, & ex doctrina tali disjunctiva, major confusio, & dubitatio, quàm instructio haberetur. Sic major confusio habetur exinde, si quis doceret populum, quod DEUS sit vel Creator mundi, vel creatura, vel substantia, tali enim doctrina nemo in fide confirmaretur, sed dubijs, & perplexitatibus impleretur. Quare ut doctrina disjunctivè prolata sit vera, & recta, debent omnes illius partes esse veræ.

70. *Omne agens agit, inquatùm est actû, seu unum, quodq; operatur, secundùm quod est in actu.* Principium istud est D. Thomæ qui 1. par: quæ: 25. Ar: 1. in ☉ inquit: *Mani-*

Manifestum est enim, quod unumquodque, secundùm quod est in actu, & perfectum, secundùm hoc, est principium activum alicujus. Patitur autem unumquodque, secundum quod est deficiens, & imperfectum. Præterea 1. part: quæ: 30. Art: 5. in ⊙ inquit. *Quia enim unumquodque operatur, secundùm quod est actu, operatio indicat modum esse ipsius.*

71. Istud ergo principium ita explicandum censeo. *Omne agens seu efficiens physicè, intantum agit, inquantum est verè propriè, & realiter*: non tamen omne agens *finale, seu causa finalis.* Ratio 1mæ partis est: Causa efficiens physica, non potest agere physicè nunc, dum non existit physicè nunc, ut communiter docetur in Physica: Ergo omne agens, seu efficiens physicè, intantùm agit, inquantùm est verè, propriè, & realiter in actu. Probatur antecedens. Causa physica, quæ est solum extitura, tempore subsequente, seu causa quæ non existit nunc, sed tantum existet inmediatè post, non potest, nunc physicè causare effectum, ut certum omnibus. Ergo etiam eadem causa physica, quæ existit tempore solum præcedente, seu quæ non existit nunc, sed tantum extitit immediatè ante, non potest causare nunc physicè effectum. Antecedens constat apud omnes, consequentia probanda omnimoda paritate.

72. Ratio 2dæ partis est: Causa finalis non habet existentiam actualem, sed nonnisi agit inquantum nos movet, ad aliquid agendum, ùt præcognita à nobis, & tamen est verum agens, in sua sphæra. Ergo non omne agens, intantùm agit, inquantùm est realiter actu, seu inquantum existit actualiter.

73. *Agens tantò efficacius, & majori virtute agit, quantò potentiam magis remotam ab actu, ad actum reducit.* Est S. Thomæ 1. contra Gentes Cap: 43. illudq; probat inductione quia majori virtute opus est, ad calefa-

lefaciendam aquam, quàm àërem. Et majori virtute opus eſt, ad vincendum totum exercitum, quàm unum militem. Et ignis majori virtute indiget ad comburenda ligna humida, quàm deſiccata.

74. *Perfectius eſt agens ſinè medio, quàm cum medio.* Eſt S. Thomæ 1. Sent: ad Hannibaldum diſt: 17. quæ: 1. Ar: 1. ad 1mum. Unde DEUS eſt agens perfectiſſimum, quia agit, & agere poteſt ſine medio: licèt autem aliquando agat per medium, & per varia media, tamen exinde non deſinit eſſe agens perfectiſſimum. Quia DEUS agit per media ſinè neceſſitate, & ſinè indigentia, ſed ex ſola libertate, & bonitate ſua, utendo ſcilicet creaturis ad varios effectus, quos poſſet facere ſine creaturis.

75. *Quantò aliquod agens eſt virtuoſius, tantò minorem diſpoſitionem requirit in paſſo.* Eſt apud S. Thomam in quæ: diſputatis quæ: 3. de Charitate Art: 1. Qui in reſponſione ad 2dum docet: Agens majoris virtutis non prærequirere minorem diſpoſitionem, ſeu inducere: ſic ignis magnus, eſt ſufficiens etiam ad ligna minus deſiccata comburenda. Cæterum addo, id principium valere in naturali ordine, non autem in ſupernaturali. Sic DEUS eſt agens virtuoſiſſimum, & tamen in hominè requirit omnimodam diſpoſitionem, ad infundendam eidem gratiam ſanctificantem, & alia dona ſupernaturalia.

ARTICVLVS IX.

76. A *Senſu diſtribntivo, ad collectivum non valet conſequentia.* Quid intelligitur per ſenſum diſtributivum, & collectivum, ſuppono ex Dialectica: hîc tantum reſtat iſta difficultas, utrum præfatum principium, ſit omnino univerſaliter verum, an verò in aliquibus tantum materijs valet, in aliquibus autem non valet.

77.

77. Certum ergó eſt, quòd à ſenſu diſtributivo, ad collectivum, aliquando non valeat conſequentia: aliquando autem valeat, & eſt limitata illatio, à ſenſu diſtributivo ad collectivum. Quòd à ſenſu diſtributivo ad collectivum, non valeat plerumq; conſequentia, ratio eſt, quia oſtendibiles ſunt multæ argumentationes tales, quæ procedunt à ſenſu diſtributivo ad collectivum, & tamen non ſunt rectæ, & tales argumentationes ſunt ſequentes: *Singuli milites, non poſſunt ſuperare munitam arcem, vel fortalitium. Ergo totus exercitus, non poteſt ſuperare munitam arcem vel fortalitium.* Item: *Singuli nautæ non poſſunt ducere, navem oneratam mercibus. Ergo omnes ſimul nautæ, non poſſunt eandem ducere navem*: & ſic de alijs. In allatis ergo argumentationibus manifeſtum eſt, quod illæ procedant à ſenſu diſtributivo ad collectivum, & tamen antecedentia illorum ſunt vera, conſequentiæ autem falſæ.

78. Qvòd autem à ſenſu diſtributivo ad collectivum valeat etiam aliquando conſequentia, ratio eſt: quia oſtendibiles ſunt tales argumentationes, quæ licèt procedant à ſenſu diſtributivo ad collectivum, tamen illæ ſunt rectæ, & legitimè concludunt. Sic vg. rectæ ſunt hæ conſequentiæ: *Quælibet creatura ſeorſim ſumpta, eſt eſſentialiter dependens à DEO. Ergo tota ſeries & multitudo, ac collectio creaturarum, eſt eſſentialiter dependens à DEO.* Item: *Singuli homines & animalia, conſtant materiâ & formâ. Ergo tota collectio hominum conſtat materiâ eſt formâ*: & ſic de alijs ſimilibus. In his ergo argumentationibus conſtat, quòd illæ procedant à ſenſu diſtributivo ad collectivum, & tamen ſicut antecedentia ſunt vera, ita & conſequentiæ ſunt veræ.

79. Suppoſito ergo quòd à ſenſu diſtributivo, ad collectivum aliquando non valeat conſequentia, & aliquando valeat, ut immediatè deduximus: ſtatuenda eſt

regula universalis, & principium, quando, & quomodò valeat universaliter consequentia, à sensu distributivo ad collectivum, & quando non valeat? quæ Regula siquidẽ multiplex est apud Authores, ideo singulas referre censui.

80. Prima ergo Regula rectæ consequentiæ, à sensu Distributivo ad collectivum, est hæc: Tunc temporis valet consequentia, & argumentatio, à sensu distributivo ad collectivum, quando fit per tale prædicatum, quod nec decrescit, nec tollitur, per additionem alterius individui, sed potius crescit: Sic vg. rectæ sunt hæ universaliter consequentiæ. *Singuli homines sunt claudi, ergo tota collectio hominum est clauda. Singuli homines sunt cæci, ergo tota collectio hominum est cæca.* Item: *Singuli homines sunt surdi, & muti. Ergo tota collectio hominum est surda, & muta.* Rectæ inquam sunt hæc, & aliæ similes consequentiæ, quia prædicatum vg. claudi, cæci, surdi, & muti, non decrescit, nec tollitur per additionem plurium individuorum, etiam infinitorum, sed potiùs crescit: etiamsi enim mille, vel infiniti addantur cæci, per illorum additionem, non evadit tota collectio videns: sed ita tota collectio est cæca, sicut & singuli homines supponuntur esse cæci. Item dicendum de prædicato claudi, surdi, & muti, alijsq; similibus, quos superiùs adduximus; nempe: *Quælibet creatura seorsim sumpta, est essentialiter dependens à DEO. Ergo tota collectio creaturarum, est essentialiter dependens à DEO.*

81. Tunc autem non est recta consequentia, à sensu distributivo ad collectivum, quando illa fit per prædicatum tale, quòd decrescit, vel tollitur, per additionem alterius individui, ad prius individuum: & sic vg. non est recta hæc consequentia: *Singuli milites non possunt capere arcem, vel unam cohortem superare. Ergo totus exercitus, non potest capere arcem, vel cohortem superare.* Non est in-

inquam recta hæc consequentia, quia prædicatum seu impotentia capiendæ arcis, vel unius cohortis superandæ, decrescit & tollitur, per additionem militis ad militem, siquidem per præfatam additionem militis ad militem, vel totius exercitûs, crescit potentia, & virtus capiendæ arcis, vel superandæ cohortis, quilibet enim miles habet potentiam ad capiendam arcem, vel superandam unam cohortem, sed hæc potentia est insufficiens, & incompleta, ad capiendam arcem, vel superandam cohortem. Similiter discurrendum, de singulis nautis, qui singuli seorsim sumpti, sunt impotentes ducere, vel dirigere navim, quando tamen adduntur plures, vel omnes, tunc illa impotentia eorum, in ducenda & dirigenda navi, decrescit, & tollitur, per additionem aliorum nautarum: consequenter licèt singuli nautæ sèòrsim, & distributivè sumpti, non possent ducere & dirigere navim, possunt tamen omnes, adeoq; in prædicto casu, & alijs similibus inductionibus, valet consequentia à sensu distributivo, ad collectivum.

82. Secunda Regula universalis consequentiæ à sensu distributivo ad collectivum, ab Authoribus varijs datur hæc: Quoties aliquod prædicatum, omnibus distributivè partibus convenit, præcisè inquantùm entitas sunt, & non inquantum sunt partes, & prædicatum est tale, quod non importat quantitatem physicam, aut virtualem, sed præscindit ab omni specie, & affectione quantitatis, hoc est à majoritate, & minoritate finitudine, & infinitudine, paucitate, & multitudine, duratione & successione, loco, situ, & alijs similibus, quantitatem aliquam importantibus, toties tale prædicatum, dici potest de partibus, etiam collectivè sumptis, seu de tota collectione illarum. Et hoc ipsum probatur universali inductione: sic vg. rectæ sunt istæ consequentiæ, à sensu distributivo,

 ad

ad collectivum procedentes. *Singuli homines ſunt viventes. Ergo tota collectio hominum eſt vivens. Singuli homines ſunt creati, ergo tota collectio hominum eſt creata. Singuli homines ſunt eſſentialiter dependentes à DEO, ergo tota collectio hominum, eſt eſſentialiter dependens à DEO &c.* Rectæ inquam ſunt hæ conſequentiæ, quia prædicatum *viventis, creati, eſſentialiter dependentis à DEO,* omnibus diſtributivè partibus convenit, præciſè inquantùm entitas ſunt, & non inquantùm ſunt partes, & hæc prædicata: *Viventis, creaati, eſſentialiter dependentis à DEO,* ſunt talia, quæ non important quantitatem phyſicam, aut virtualem, ſed præſcindunt ab omni ſpecie, vel affectione quantitatis, hoc eſt à majoritate, vel minoritate, finitudine & infinitudine, paucitate ac multitudine, duratione, ſucceſſione, loco, ſitu, & alijs ſimilibus quantitatem aliquam importantibus, non enim unus vg. homo, eſt magis vivens, quam alter, tandem unus homo, non eſt magis dependens à DEO, quam alter, ut nemini dubium.

83. Tertia Regula rectæ conſequentiæ, à ſenſu diſtributivo, ad collectivum datur à R. P. Joanne Baptiſta de Benedictis Tom: 3. Philoſophiæ lib: 1. cap: 4. §. 2. Regula autem juxta illum eſt hæc: Tunc conſequentia valet, à partibus diſtributivè ſumptis, ad totum, quando eſt argumentatio, in prædicatis importantibus, puram perfectionem eſſentialem, ſeu quando prædicata convenientia partibus diſtributivè ſumptis, ſunt illis eſſentialia, illisq; eſſentialiter conveniunt, non autem accidentaliter. Ratio hujus Regulæ juxta prædictum Authorem, prima eſt hæc: quod non poſſit infringi ullâ inſtantiâ extra controverſiam tali. *2da* ratio eſt inductio univerſalis, ſic vg. rectæ ſunt hæ conſequentiæ; à partibus diſtributivè ſumptis ad totum procedentes: *Singuli homines ſunt rationales, diſcurſivi, viventes, riſibiles, ſenſitivi,* & ſic de

alijs

alijs prædicatis essentialibus. *Ergo tota collectio hominum, est rationalis, discursiva, risibilis, sensitiva:* repugnat enim ut aliqua perfectio essentialis, conveniat parti vel partibus, distributivè sumptis, & illa non competat toti collectioni patium: sic vg. repugnat, ut singuli homines, sint viventes, & tota collectio hominum non sit vivens.

84. Quarta regula rectæ consequentiæ, à sensu distributivo ad collectivum, assignatur à R. P. Francisco Amico, quem plures seqvuntur & docent: Naturam infiniti esse talem, ut non liceat quidem in illo argumentari, à sensu distributivo ad collectivum, in talibus prædicatis, quæ conseqvuntur infinitum, ut infinitum. Unde mala est hæc argumentatio. *In collectione mille hominum, reperitur terminus, ergo & in collectione infinita hominum, reperitur terminus.* Licet tamen argumentari in talibus prædicatis, quæ conseqvuntur essentiam ipsam, rerum infinitarum, quia sicut hæc non mutatur per rationem infiniti, rebus ipsi accidentaliter advenientis, ita nec ejus intrinseca essentialia prædicata. Unde bona est hæc argumentatio. *Singuli homines etiam infiniti sunt risibiles. Ergo tota collectio hominum est risibilis.*

85. Quinta regula ab alijs assignatur hæc: Quod tunc valeat consequentia, à sensu distributivo ad collectivum, sub aliquo prædicato, quando prædicatum est capax utriusq; sensus, tàm distributivi, quàm collectivi, & præterea si non potest esse verum in sensu distributivo, nisi sit verum in sensu collectivo. Sic vg. bona est argumentatio hæc: *Singuli homines dependent essentialiter à DEO. Ergo tota collectio, hominum dependet essentialiter à DEO.* Bona inquam, & recta est præfata argumentatio: quia prædicatum dependentis essentialiter à DEO, est capax utriusq; sensus, tàm distributivi, quàm collectivi, & præfatum prædicatum, non potest esse verum in sensu distributivo, nisi sit verum in sensu collectivo.

ARTICVLVS X.

86. *AB ijsdem principijs debet effectus pendere in statu absoluto, à quibus pendet in statu conditionato.* Hoc principium non indiget explicatione, cæterum pro majori claritate potest sic explicari: *Quæcunq; sunt principia per se, seu necessaria requisita rei, in statu absoluto existentis, eadem sunt & in statu conditionato.* Sic vg. principia hominis in statu absoluto, sunt materia prima, & anima rationalis, juxta alios etiam unio, hæc etiam omnia sunt principia hominis, in statu conditionato.

87. Dices: Res in statu conditionato existens, pendet à conditione, non pendet autem in statu absoluto, quia status absolutus, est ille in quo res existit, independenter à conditione. Respondeo 1mò: Conditio non est principium rei, sed requisitum essentiale ejusdem rei. Respondeo 2dò: Distingvendo secundã partẽ antecedentis. Res non pendet in statu absoluto à conditione, *modo primum implenda & ponenda*, Concedo. Non pendet à conditone, *impleta vel jam posita*. Nego, & dico: Tàm status absolutus, quàm conditionatus pendet à conditione, sed diversô modô: status conditionatus, seu res in statu conditionato existens, pendet à conditione implenda & ponenda, status autem absolutus, seu res in statu absoluto existens, pendet à conditione jam impleta & posita.

88. *Affirmatio unius non est negatio alterius.* Præfati axiomatis sensus est: Quando unum prædicatum affirmatur de aliquo subjecto non eo ipso negatur alterum prædicatum de eodem subjecto sic vg. dum de Petro affirmatur, quod sit Philosophus, non eo ipso negatur, quod sit Theologus vel Doctor. Affirmatio tamen unius contradictorij, de aliquo subjecto, est simul negatio saltem implicita, vel arguitiva alterius contradictorij, de eodem subjecto,

bjecto, quia duo contradictoria, non possunt prædicari de una eademq; re, ut nemini dubium.

89. *Omne agens agit propter finem.* Allatum axioma sic explicandum. Omne agens *præditum usu rationis & voluntatis*, agit propter finem: non autem omne agens *carens usu rationis, & voluntatis.* Ratio primæ partis est: Agentia prædita usu rationis, & voluntatis, sicut cognoscunt finem, ita eligunt media sibi proportionata, ad eundem finem consequendum, teste ipsa experientiâ. Sed taliter agere, est agere propter finem. Ergo &c. Ratio 2dæ partis est: Bruta carentia usu rationis, non possunt cognoscere finem, nec cognoscunt, sed tantùm ductu appetitûs naturalis, ducuntur ad aliquid agendum, vel fugiendum, ergo non agunt proptet finem, vel si agunt, hoc agunt impropriјssimè, ut potè destituta beneficiô prudentis cognitionis.

90. *Nihil agit in se ipsum.* Actio duplex est, alia perfectiva, alia corruptiva. Actio perfectiva est, quâ agens perficitur per suam operationem, & exercitium sibi conveniens, qualiter intellectus perficitur sua intellectione, voluntas volitione, memoria recordatione objectorum præteritorum, vel præsentium. Actio corruptiva est, quâ agens corrumpitur, destruitur, & atteritur, qualiter vg. homo nimijs laboribûs consumitur, & tandem ad mortem pervenit. Nihil ergo agit in se ipsum, actione corruptiva, agit tamen in se ipsum, actione perfectiva. Ratio 1mæ partis est: Omnia agentia fugiunt suum contrarium, sui destructivum, sic aqua fugit ignem, ignis fugit frigus, & unum ab altero expellitur, & sic de alijs. Ergo &c. Ratio 2dæ partis est: Omnia agentia naturalia, tendunt semper ad suam perfectionem, & operationes exercendas, à natura sibi debitas, sic intellectus tendit ad intellectiones, & voluntas ad volitiones exercen-

cen-

cendas, ignis ad ignitionē aqua ad humefactionē. Ergo &c.

91. Dices: Viri perfectionis studium amantes, agunt in se ipsos, partim disciplinis, catenis, jejunijs, & varijs affectionibus corporis. Unde & S. Paulus dixit: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*: quæ omnes actiones videntur esse corruptivæ, & attenuativæ corporis. Ergo agens potest agere in se ipsum actione corruptiva.

92. Respondeo: Omnes istæ actiones Virorum perfectionem amantium, sunt extrinsecæ, neq; congenitæ, aut connaturales corpori; corpus enim appetit delicatè nutriri, tractari, & conservari, adeoq; istas actiones refugit, abhorret, & detestatur, consequenter corpus non agit in se ipsum, sed homo perfectionis studiosus, corpus rebelle affligit, mortificat, & cruciat, ut per has mortificationes, perfectionem in anima consequatur: Contingit aliquando quod homines desperati, se ipsos suffocent, occidant, & mergunt, adeoq; agunt in se ipsos, sed hæ actiones sunt contra naturam, & exigentiam agentium naturalium: omne enim vivens, exigit vivere, non autem mori: quando autem violentia infertur viventi, cogitur mori, contra suam exigentiam, appetitum, & naturā.

ARTICVLVS XI.

93. *Illud cujus participatione sunt bona cætera, quæcunq; sunt, non per aliud, sed per se ipsum bonum est.* Ita S. Augustinus in quæst: libr: 83tio quæst: 24. Et hoc totum patet in DEO nostro Gloriosissimo, à quo sicut omnia alia bona creata, bonitatem participant, ita DEUS est per se ipsum bonus, non per aliquid aliud.

94. *Summe illud bonum est, cujus participatione, cætera bona sunt.* Verba sunt S. Augustini libr: octoaginta trium quæstionum apud Alensem, 1. parte summ: quæst: 26. mebr. 3. Artic: 3. 95.

95. *Bonum nunquam totum corrumpitur, per malum.* Eſt S. Auguſtini in Enchiridio Cap. 12. & S. Thomæ primâ parte quæſt: 49. Art: 4. ſic limitandum eſt: bonum ſubſtantiale phyſicum, nunquam corrumpitur totum, quia corruptâ formâ, manet materia: bonum tamen morale, nempè juſtitia hominis juſti, corrumpitur, tota per unum peccatum mortale: juxta illud S. Jacobi Minoris in Epiſtola Catholica, dicentis: *Qui in uno deliquit, factus eſt omnium reus.*

96. *In ijs quæ non mole magna ſunt, hoc eſt majus eſſe, quod eſt melius eſſe.* Eſt S. Auguſtini libr: 6. de Trinitate Cap: 8vo Verba Sancti Auguſtini ſunt ſequentia: *Corpora quippe adjunctione ſua creſcunt, quamvis enim, qui adhœret uxori ſuæ unum corpus ſit, majus tamen corpus ſit: quàm ſi ſolius Viri eſſet, aut ſolius Uxoris. In rebus autem ſpiritualibus, cum minor majori adhœreſcit, ſicut creatura Creatori, illa ſit major quàm erat, non Ille, In his enim, quæ non mole magna ſunt: hoc eſt majus eſſe, quod eſt melius eſſe. Melior autem ſit, ſpiritus alicujus creaturæ, cum adhœret Creatori quàm ſi non adhœreat: & ideo etiam major, quamvis ſiat ille, qui adhœret Dño. In ipſo igitur DEO, cum adhœret æquali Patri, Filius æqualis, aut Spiritus Sanctus, Patri & Filio æqualis: non ſit major DEUS quàm ſinguli Eorum: quia non eſt, quô creſcat illa perfectio.*

97 *Bonitas ſpeciei, excedit bonitatem individui.* Ita S. Thomas 2. contra Gentes Cap: 48. ſed facilè colligi non poteſt, in quo gradu bonitas ſpeciei, excedat bonitatem individui, quare prædictum axioma ſic limitari & explicari poteſt. Bonitas ſpeciei, excedit bonitatem individui, quo ad hoc, quòd ſpecies latiùs pateat, & habeat ſub ſe individua: non autem quo ad prædicata eſſentialia æqualitèr ſpeciei, & individuo competentia: ſic *vg. homo* eſt ſpecies, *Petrus* eſt individuum, ſicut ergo homini

mini, ita & Petro competit esse animal rationale, sed tamen *homo* latiùs patet, quàm *Petrus*.

98 *Nulla est res bona, per extrinsecam denominationem*. Sic explicari potest: Nulla res est *intrinsecè* bona, per extrinsecam denominationem: multæ tamen res sunt *extrinsecè* bonæ, per extrinsecam denominationem: sic *vg*. Rex est bonus extrinsecè, per extrinsecam denominationem, nempè per electionem liberam. Sic omnes Senatores Regni, sunt extrinsecè boni, per suas dignitates quibus adornantur.

99. *Ejusdem est providere bona, & cavere mala*. Habetur, apud S. Thomam 2. 2dæ Art: 8. sensus est: Ad eundem hominem spectat facere bona, & fugere mala; aliàs si faciat bona, & fugiat mala, nihil ipsi proderit? unde Psal: 1. dicitur: *Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit, sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte*. Et Psalmo 33. *Diverte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam*.

100. *Omnis perfectio boni, est bona*. Habetur apud S. Thomam in quæst: disputatis de malo. quæ: 12. Arti: 2do in O. Hoc axioma sic explicari potest: Omnis perfectio boni, *moderatè & juxta regulas prudentiæ facta*, est bona non autem bona est illa perfectio boni, quæ est *excessiva & immoderata*: sic *vg*. qui prosequitur mortificationem corporis, tunc ejus prosecutio est bona, si sit moderata, si verò sit nimia & talis per quam se reddit incapacem, ad opera charitatis, erga salutem proximi, tunc redditur vitiosa. Si autem hoc axioma intelligatur de perfectione identificata bono, tunc non non subjacet explicationi.

101. *Omne bonum intantum est simile majori bono, inquantum est bonum*. S. Anselmus lib: contra insip: sensus

est:

est: Ad hoc ut omne bonum sit simile majori bono, non requiritur ut sit æqualiter majus bonum, sed sufficit ut sit positivè bonum.

102. *In bonis ut quod similius est meliori, est melius, ita quod similius est pejori, est pejus.* S. Bonaventura 2. senten: dist: 27. quæ: 5. Hoc axioma sic limitari potest: Quod est similius meliori, est melius geometricè, non autem arithmeticè: sic *vg.* Angelus est similior DEO, quàm homo, & tamen idem Angelus, non est arithmeticè melior, sicut est melior DEUS, sed à D E O infinitè distat.

103. *Bonum, & ens convertuntur.* Aristoteles 4. Metaphy: sic explicandum: Bonum, & ens sunt secum mutuò convertibilia, ita ut ab uno valeat consequentia, ad alterum: Unde bene sic arguitur: *Est bonum, ergo est ens. Est ens, ergo est bonum.* Præfatum enim axioma non intelligitur de bonitate morali, sed transcendentali entis, quæ bonitas, est proprietas entis essentialis: Proprietates autem entis essentiales, convertuntur cum ente.

104. *Optimo opponitur pessimum.* Est Aristotelis 8. Ethicor: & habetur apud S. Thomam 1ma 2dæ. quæst: 39. Artic: 4. sic est intelligendum. Optimo opponitur pessimum, & aliquando etiam malum, concedendum, optimo opponitur tantùm pessimum. Negandum, sic DEO optimo, non tantum opponitur peccatum mortale, sed etiam veniale: pariter DEO repugnat, non tantum imperfectio maxima, sed etiam minima.

105. *Illud quod est optimum, nullô additô, potest fieri melius.* Sic limitandum: Illud quod est optimum *increatum* nullô additô potest fieri melius: quod autem est optimum *creatum*, illud additô aliquô, potest fieri melius: omne enim optimum creatum, nunquàm est ita optimũ, ut nunquàm melius fieri possit.

106. *Bonum intrinsecum homini est melius illi, quàm extrin-*

trinsecum. Non eſt univerſaliter verum, quia gratia ſanctificans, eſt bonum intrinſecum, homini: DEUS autem eſt bonum extrinſecum, & tamen DEUS eſt melior homini, quàm gratia ſanctificans.

ARTICVLVS XII.

107. OMnis cauſa, efficiens eſt: Hoc dictum S. Auguſtini lib: 83. quæſtionum, quæſt: 28. propter Authoritatem ejusdem S. Auguſtini, explicat Suarez in Metaphyſica Diſp: 17. Sec: 3. num: 5. & docet: S. Auguſtinum eſſe locutum, de cauſalitate extrinſeca, ibi enim loquitur de DEO, quæ cauſalitas, nunquam eſt ſine cauſa efficienti: non tamen intendit S. Auguſtinus excludere, quin cum illa cauſa poſſit conjungi, aliud cauſandi genus, ut cauſa finalis in DEO. Alij dicunt: S. Auguſtinum locutum eſſe, de cauſa ſtrictè, prout dicit relationem, ad effectum ſtrictè ſumptum, & denominatum à verbo efficiendi. Addunt aliqui aliam explicationem, omnem cauſam efficientem eſſe, ſi efficiens non ſumatur ſtrictè, ut diſtingvitur ab alijs cauſis, ſed quolibet concurſu, & influxu ad ſuum effectum, quô pactô etiàm materia & forma, aliquid efficiunt, ſi non phyſicè & propriè, ſaltem grammaticaliter. Ita refert Aloyſius Novarienſis lib: 47. fol: 280. Ego autem præfatum S. Auguſtini dictum ſic explico: Omnis cauſa efficienter phyſicè agens, eſt efficiens. Concedo: Omnis cauſa non efficienter phyſicè agens, eſt efficiens. Nego.

108. *Cognitio fieri non poteſt niſi cognoſcenda præcedant.* Ita colligitur ex S. Auguſtino, lib: 4. in Geneſim ad literam Cap: 32. Ratio eſt: Effectus fieri non poteſt, niſi cauſa efficiens præcedat, ergo pariter cognitio objecti, fieri non poteſt, niſi objectum cognoſcendum præcedat.

109. *Quantùm cognoſcis, tantùm diligis.* Eſt S. Auguſtini apud Alenſem 2. part: ſumm: quæſt: 97. mebr: 2. Art: 4. ſic explicandum: Quantùm cognoſcis tantùm diligis, *ſi adeſt voluntas* diligendi, *ſi autem non adeſt*, tunc non tantùm diligimus, quantùm cognoſcimus: poſſumus enim multa cognoſcere, & tamen illa non diligere. In Beatis tamen, gloriâ æternâ fruentibus, id verum eſt: quia Beati, quantùm cognoſcunt Deum, tantùm Eum diligunt.

110. *Quod conſequitur ad aliquid, non facit ipſum.* Eſt S. Thomæ in 4. Diſt: 28. quæſt: 1. Art: 2do. Senſus eſt, quod ſequitur poſt aliquid, non eſt cauſa illius alicujus, quia ſupponitur poſterius eſſe, nihil autem poſterius, poteſt eſſe cauſa prioris.

111. *Unumquodq; nobilius invenitur in cauſa, quàm in effectu.* Eſt S. Thomæ 1mò contra Gentes cap: 23. Poteſt ſic explicari: Unumquodq; nobilius invenitur in cauſa æquivoca, quàm in effectu, non autem in cauſa univoca: ſic in DEO qui eſt cauſa æquivoca omnium creaturarum, inveniuntur nobiliùs multæ perfectiones, quàm in creaturis; in Patre autem creato generante Filium, nihil reperitur nobilius, quàm in Filio.

112. *Nihil eſt cauſa ſui ipſius.* Hoc axioma ſic poteſt explicari: Nihil eſt cauſa ſui ipſius, *quò ad primum eſſe:* poteſt autem aliqua cauſa, eſſe cauſa ſui ipſius, *quò ad 2dum eſſe*, & hoc intelligendum de cauſa efficiente phyſica. Ratio 1mæ partis eſt: Cauſa efficiens phyſica, ſupponitur habere ſuum primum eſſe, antequam phyſicè cauſet. Ergo dum habet aliunde ſuum primum eſſe, non poteſt illud ſibi ipſa dare, aliàs illud haberet, & non haberet, quod implicat. Ratio 2dæ partis eſt: Omnis homo providens ſibi moderatè debita alimenta, quibus vivit, dat ſibi ipſi vitam, & conſervationem illius: item medicus porrigens, & præſcribens ſibi medicamenta, dat

ſibi

sibi sanitatem & vitam. Sed hæc conservatio vitæ, sive per alimenta, sive per medicamenta, est secundum esse hominis. Ergo aliqua causa, potest esse causa sui ipsius, quò ad secundum esse.

113. Confirmatur 2da pars. In Canone Missæ dicitur: *Per quem hæc omnia Domine, semper bona creas.* Hoc est: *Per quem*, id est Christum, *hæc omnia* nempè Sanctissimum Sacramentum Corporis, & Sangvinis creas. Sed hæc creatio seu confectio, Sanctissimi Sacramenti Corporis, & Sangvinis Christi, non fit per Christum, quò ad primum esse, ergo fit quò ad secundum esse. Ergo &c.

114. Adverto præterea. Causa finalis, seu finis, potest esse causa sui ipsius, in esse diverso, finis enim inquantùm habet esse intentionale, est causa sui ipsius in esse reali: sic vg: sanitas cognita & intenta, causat se ipsam, quia movet ægrotum, ad applicanda medicamenta, quæ si adhibeantur debitè, causatur sanitas.

115. *Effectus sunt notiores suis causis.* Hoc axioma sic explicandum: Effectus sunt notiores suis causis, *quò ad intellectum humanum, non autem quò ad intellectum Divinum*, quia Divinus intellectus, æquæ clarissimè cognoscit causas, & effectus, nec ipsum quidquam latere potest, intellectus autem humanus, cum omnia cognoscat imperfectè, & dependenter à sensibus, magis & clariùs cognoscit effectum causarum, quàm ipsas causas.

116. *Positâ causâ ponitur effectus, eaq; sublata tollitur.* Hoc axioma sic explicandum: Posita causa *necessaria*, cum omnibus suis requisitis essentialibus, & cum debita sui applicatione, nec aliunde, vg: à DEO impedita, ponitur effectus: posita autem causâ libera, etiam cum omnibus requisitis essentialibus, non ponitur semper effectus. Ratio primæ partis est: Causa necessaria, habens omnia requisita essentialia, ad ponendum effectum, non potest

non

non agere, sed omnino debet agere, per hoc enim distingvitur, & differt à causa libera. Ergo &c. Ratio 2dæ partis est: Causa libera est illa, quæ habitîs omnibûs ad agendum requisitîs essentialibûs, potest agere, vel non agere. Ergo &c. Secunda pars axiomatis semper est vera, nec subjacet explicationi.

117. *Qualis causa, talis effectus.* Causa est duplex, alia univoca, alia æquivoca. Qualis ergo est causa univoca, talis est effectus, non autem qualis causa æquivoca, talis est effectus. Ratio primæ partis est: Causa univoca est, quæ producit effectum, unius ejusdemq; speciei, vg. homo producit hominem, bos bovem, eqvus eqvum, & sic de alijs. Sed in talibus productionibus, & generationibus, talis est causa, qualis est effectus. Ergo &c. Ratio 2dæ partis est: Causa æquivoca est illa, quæ producit effectum diversæ speciei. Sicut vg. DEUS Optimus Maximus, creavit hominem, & omnia quæ sunt in mundo, & sicut sol producit varios effectus, à se diversos. Sed in his productionibus, effectus specie differunt à causis suis. Ergo &c.

118. *Quod est causa causæ, est etiam causa causati.* Istud axioma sic est limitandum: quod est causa causæ, est etiam causa causati, quando causa causæ, concurrit, *consultivè, svasivè, approbativè, vel præceptivè ad causatum*, quando autem *nec consultivè vel svasivè, nec approbativè, vel præceptivè, concurrit ad causatum*, tunc causa causæ, non est causa causati. Illustratur: DEUS Optimus Maximus, est causa causæ, vg. est causa cujuslibet hominis, & tamen dum homo peccat, non est causa peccati, idq; ideo, quia illud peccatum, neq; consulit, neq; svadet, neq; approbat, neq; præcipit, imò illud detestatur, & prohibet: Pariter Pater est causa, causæ nempè Filij, qui Filius dum peccat vidente Patre, & Pater consulit, vel svadet,

det, vel approbat, aut præcipit peccatum, tunc est causa peccati filialis, si autem pater, neq; consulit, neq; svadet, neq; approbat, nec præcipit peccatum, imò illud prohibet tunc pater non est causa peccati sui filij.

119. *Omnis causa distingvitur à suo effectu.* Istud axioma verum est, de causa *extrinseca* non tamen de causa *intrinseca:* quia partes totius collectivè sumptæ, sunt causa totius intrinseca, & tamen illæ non distingvuntur, à suo toto, ut communiter docet Philosophia, exceptîs Scotistîs, qui contrarium docent.

120. *Causæ, sunt sibi invicem causæ.* Non est sensus, quasi verò una causa, mutuò producat alteram, sed quod una causa, indiget demonstrari per alteram, sic vg. ex effectu demonstratur causa, & ex causa demonstratur effectus

ARTICVLVS XIII.

121. *Contrariorum eadem est disciplina seu* (ut alij loqvuntur) *eadem est scientia.* Hujus axiomatis non est sensus hic: Contrariorum eadem formaliter & identicè est scientia, quasi verò actus scientiæ de uno contrario, sit omnino realiter cum actu scientiæ, de altero contrario, sed potiùs sensus hic: *Ad unam eandemq; scientiam, spectat tractare, de utroq; contrario.* Sic vg: Logica dum tractat de veritate propositionum, tractat etiam & de falsitate illarum, dum tractat de legitimis sylogismis, tractat etiam de sophismatibus. Physica pariter tractans de ente sensibili, nempe de corpore, tractat etiam de spirituali, nempe de anima. Metaphysica tractans de ente reali, tractat etiam de negationibus & chymæris. Theologia agens de Virtutibus Theologicis, tractat etiam de peccatis, tractans de Gratia, simul agit de privatione gratiæ ejusdem, tractans de Angelis bonis, tra-

tractat etiam de malis, tractans de justitia, etiam agit de injustitia. &c.

122. *Contraria non possunt esse in eodem subjecto.* Ad hujus intelligentiam sciendum est. Contraria duplicia cogitari possunt, alia in gradu summo, & intensissimo, nempè in gradu octavo, alia in gradu remisso, minori & temperato. Contraria ergò in gradu summo, & irremisso, non possunt esse in eodem subjecto, vg· ignis & aqua in gradu octavo. Contraria tamèn in gradu remisso, & moderato, possunt esse simùl in eodem subjecto: sic in aqua tepida. est simul calor, & frigus, in crepusculo, & diluculo, sunt simul tenebræ, & lux.

123. *Contrariorum semper est unum, privatio alterius.* Hoc axioma sequitur ex præcedenti, eô enim ipso, quia unum contrarium in gradu summo intensum, non potest simul esse cum altero, est privatio & exclusio alterius. Porro hìc per privationem, non intelligitur stricta, & formalis negatio formæ in subjecto capaci, sed intelligitur privatio laxior, ut videlicèt sit, vel privatio alterius, vel saltem aliqua ipsius contrarij impeditio, vel defectus.

124. *Contrariorum, contrariæ sunt causæ.* Præsuppono hìc: Effectus cujuslibet causæ, alius est per se, alius per accidens. Effectus per se, est ille, ad quem ex natura sua, causa est determinata, & ordinata ut illum producat, sic vg. ustio, est effectus per se ignis, & dies est effectus per se solis. Effectus per accidens est ille, ad quem causa, ex natura sua non est determinata principaliter, tamen illum per accidens producit. His præmissis dicendum est: Contrariorum effectuum per se, contrariæ sunt causæ, effectuum tamen per accidens, non sunt contrariæ causæ. Ratio primæ partis est ex inductione. Sic vg: Sol non producit diem & noctem, ignis

non producit calorem & frigus, sed horum effectuum, sunt contrariæ, & distinctæ causæ per se, idem dicendum de alijs causis, & effectibus per se. Ergo &c. Ratio 2dæ partis est: Contrarij effectus per accidens, producuntur plerumq; ab una, eademq; causa: sic idem sol in luto facit siccitatem, in cera liquefactionem Ergo &c.

125. *Ex contrarijs, omnia fiunt.* Hoc axioma sic limitandum est: Ex contrarijs omnia fiunt composita naturalia, & sublunaria, non tamen substantiæ spirituales, & intellectuales, quales substantiæ sunt vg. Angeli, & animæ rationales. Angeli enim & animæ rationales, sunt substantiæ simplices, nullisq; constant partibus contrarijs. Licèt enim in anima unita corpori, contingant plerumq; passiones contrariæ, tamen anima ex illis non fit, neq; componitur, sed illas elicit pro libertate sua.

126. Potest etiam præfatum axioma sic limitari. Ex contrarijs omnia fiunt, *quæ fiunt per transmutationem, vel conversionem*, quæ autem non fiunt per transmutationem, vel conversionem, illa non fiunt ex contrarijs. In omni enim transmutatione, generatione, & conversione naturali, duo termini interveniunt, unus à quò, alter ad quē. Terminus à quò est privatio formæ antecedentis: terminus ad quem, est nova forma succedens, in locum prioris formæ. Porrò privatio formæ antecedentis, & forma nova succedens, sunt sibi contraria, ut constat in conversione ligni in ignem, ubi in ligno perit forma ligni, & lignum privatur formâ suâ, in locum verò illius, succedit forma ignis, & sic de alijs. Constat etiam idem axioma, ex ipso composito humano, homo enim componitur, ex duobus contrarijs, corpore & anima; porro caro concupiscit adversùs spiritum, spiritus autem adversùs carnem. Deinde omnia composita sublunaria, constant etiam ex elementis, hæc autem sunt sibi contraria.

127. *Contraria ex ſe non fieri invicem.* Iſtius axiomatis ſenſus eſt: Contraria non fiunt ex ſe, tanquàm ex partibus ſuis conſtitutivis, benè tamen fiunt ex ſe, tanquàm ex terminis, vel cauſis, nempe ita, ut unum contrarium, ſit cauſa alterius contrarij. Porro unum contrarium, tunc eſt cauſa alterius contrarij, quando unum vg. per alterum curatur, & hoc totum fit, in arte medicinæ, ubi frigida calidis, humida ſiccis, amara dulcibus curantur, unde crevit illud proverbium: *Contraria contrarijs curantur.*

128. *Contraria contrariorum ſunt valde ſenſibilia.* Hoc proloquium non indiget explicatione, ſed patet experientiâ, ſic guſtus vel lingva inſtrumentum guſtandi, repleta dulcedine, magis ſentit res acetoſas, & amaras: odoratus repletus gratis odoribus, magis ſentit fætorem, corpus delicatum, & in voluptatibus enutritum, magis ſentit verbera, & quamcunq; percuſſionem, auditus in aſſvetus turpibus colloquijs, magis illa ſentit, & abhorreſcit.

ARTICVLVS XIV.

129. OMnis cauſa, eſt prior ſuo effectu. Hoc axioma ſic eſt limitandum: Omnis cauſa, eſt prior ſuo effectu, *prioritate naturæ & cauſalitatis*, non autem ſemper prior eſt effectu, *prioritate durationis, temporis, ſeu exiſtentiæ.* Ad hoc intelligendum præſuppono. Prioritas juxta Philoſophos eſt triplex, alia prioritas univerſalitatis, & in ſubſiſtendi conſequentia, alia prioritas in quo, ſeu prioritas temporis, alia prioritas à quo, ſeu prioritas originis, naturæ ſive cauſalitatis. Prioritas univerſalitatis, ſeu independentiæ eſt, quando unum poteſt exiſtere ſine alio, ſed illud alterum non poteſt exiſtere

ſine illo uno, & ideo univerſaliore fungitur exiſtentia. Et tali prioritate eſt prior DEUS, reſpectu omnis creaturæ, quia DEUS poteſt exiſtere ſine creatura, jam autem creatura, non poteſt exiſtere ſine DEO. Prioritas in quo, ſeu prioritas temporis eſt, quando aliqua res prius exiſtentiam habuit, in tempore reali, quàm altera res eſſe inciperet. Prioritas à quò, ſeu prioritas originis, naturæ, ſivè cauſalitatis, dicitur tunc, quando unum aliquod, eſt cauſa, vel ſaltem principium phyſicum, aut morale, aut ſaltem prærequiſitum, & conditio ſinè qua non, reſpectu alterius, unde illud vocatur prius poſitivè prioritate naturæ, quod eſt prius prioritate principij, ſeu cauſæ ut docet Joannes de Ulloa Diſp: 2da Phyſicæ Speculativæ, cap: 2. ñro 56. & ſequentibus. His præmiſſis.

130. Ratio 1mæ partis eſt: Quia omnis cauſa eſt principium phyſicum, vel morale ſui effectus. Ergo omnis cauſa debet eſſe prior, prioritate naturæ, reſpectu ſui effectus. Ratio 2dæ partis eſt: Quia cauſa poteſt producere effectum, etiamſi non ſit prior illô, prioritate temporis, ſic in eodem momento, in quo peccator perfectè conteritur, adipiſcitur à DEO gratiam, tanquàm effectum proprium contritionis, ſi enim moreretur in inſtanti immediatè conſequenti, defacto non damnaretur. In eodem inſtanti, in quo homo ſanctus elicit meritum condignum, obtinet augmentum gratiæ, ut præmium ſtrictum, & conſequenter, ut effectum illius meriti. In eodem inſtanti in quo graviter peccat homo, incurrit privationem gratiæ habitualis, odiumq; Divinum, tanquàm effectum, vel quaſi effectum illius peccati. In eodem inſtanti in quo ſol incipit eſſe, fulgere incipit. Æternus Pater, licèt juxta latinam locutionem non ſit cauſa Filij (ut eſt juxta Græcam) attamen eſt principium phyſicum producens Filium, eſt prior origine reſpe-
ctu

ctu illius, sicut Spirator respectu Spiritûs S. & tamen nunquam fuit, aut esse potuit Pater, sine Filio, sicut nec Pater nec Filius, qui Spirator dicuntur, absq; Spiritu Sancto, ut deducit Doctissimus Joannes de Ulloa Disput: 1. Physicæ Speculativæ cap: 4. nro 142. Ergo &c. Licèt autem hîc ista protulerim, tamen censeo, quòd multæ causæ, sint priores suis effectibus prioritate temporis, non est tamen universaliter verum, quòd omnis causa sit prior suo effectu, prioritate temporis.

131. *Conclusio Sequitur partem debiliorem.* Antequam explicetur hoc axioma præsuppono. In uno eodemq; sylogismo, duplex præmissa contingere solet, una fortior altera debilior. Nomine præmissæ debilioris, venit præmissa probabilis respectu scientificæ, falsa respectu veræ, incerta respectu certæ, naturalis respectu supernaturalis. Nomine autem præmissæ fortis, venit præmissa scientifica, respectu opinativæ, vera respectu falsæ, certa respectu incertæ, supernaturalis respectu naturalis. His præmissis.

132. Dicendum. Principium hoc: *Conclusio sequitur partem debiliorem*: habet sensum istum: Quando in sylogismo una præmissa est scientifica, altera probabilis, tunc etiam conclusio est probabilis: quando una præmissa est universalis, altera particularis, tunc etiam conclusio est particularis: quando una præmissa est universalis negativa, tunc etiam conclusio est particularis negativa: quando in sylogismo una præmissa est contingens, & altera necessaria, tunc conclusio est contingens: quando in sylogismo una præmissa erit certa & evidens, altera autē incerta, & inevidens, tunc etiam conclusio erit incerta, & inevidens.

ARTICVLVS XV.

133. *Illius rei DEUS non est Author, cujus est Ultor.* Verba sunt S. Augustini apud Albertū Magnū in sum: Tract: 4. quæst: 18. Ipsa enim ultio, seu pæna peccati, signum est, quòd DEUS, non fuerit ejus Author.

134. *Omnis substantia quæ creatura non est, DEUS est.* Constat ex S. Augustino, libro 1. de Trinitate Cap: 6. ubi inquit: *Omnis enim substantia, quæ DEUS non est, creatura est: & quæ creatura non est, DEUS est.*

135. *Quidquid absolutum, & ad se prædicatur de DEO, convenit tribus Personis.* Est S. Augustini 5. de Trinitate. Sensus est. Omnia prædicata absoluta DEI, conveniunt omnibus Personis Divinis. Patet id & ex symbolo Athanasii ubi dicitur: *Immensus Pater, Immensus Filius, Immensus Spiritus Sanctus &c.*

136. *Omnia prædicata, & perfectiones DEI absolutæ, sunt inter se idem, realiter adæquatè.* Est communis doctrina omnium Theologorum, & specialiter S. Augustini, qui libr: 6. de Trinitate Cap: 7. inquit: *DEUS verò multipliciter quidem, dicitur magnus, bonus, sapiens, Beatus, verus, & quidquid aliud, non indignè dici videtur. Sed eadem magnitudo ejus est, quæ sapientia. Non enim mole magnus est: sed virtute. Et eadem bonitas, quæ sapientia, & magnitudo: & eadem veritas, quæ illa omnia. Et non est ibi aliud Beatum esse. & aliud magnum: aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse.*

137. *Quod licet desiderare, licet petere.* Ita S. Augustinus Epist: ad Probam. Potest sic limitari: Quod licet desiderare, licet petere, quando petitio *non est aliunde prohibita vel impedita sive directè, sive indirectè sive explicitè sive implicitè:* quando autem est prohibita, vel impedita, vel non approbatur postquàm hæc petitio nota fuerit,

erit, tunc quamvis aliquid liceat internè desiderare, tamen non licet, nec expedit externè petere. Et sic desiderare Martyrium, est quid licitissimum, & optimum, tamen si alicui prohibeat id Superior, vel intentum propositum non approbet, sive directè sive indirectè, sive explicitè sive implicitè, tunc ab hac petitione desistendum est, & obediendum Superiori, quia *melior est obedientia quàm victima*, 1. Reg: 15. Multa Viris Religiosis videntur esse bona, & proficua, sed dum Superior obstat, vel prohibet, vel non approbat, tunc illa non licet petere, multo magis non licet viâ facti procedere, & agere contrarium, neglectâ vel omissâ obedientiâ, despectaq; voluntate, & dispositione Superioris. Erige à fundamentis etiam nobilissimas structuras, sive spirituales, sive materiales, tamen si his Superior resistit, vel non approbat, tunc prædictæ structuræ, fiunt ignobiles, & vitiosæ, quia sunt partus, & indicia propriæ voluntatis, & signa inobedientiæ.

138. *Omnis denominatio fit, secundùm aliquam formam inhærentem.* Hoc axioma S. Thomas 1. Senten: dist: 40. quæst: 1. Artic: 1. ad 2dum sic explicat, & docet; quòd in omnibus absolutis denominatur aliquid per id, quod sibi inest: sed in relativis denominatur eo, quod in altero est: sicut in illis, in quorum alio est, relatio secundùm rem, & in alio secundùm rationem tantùm. Potest etiam sic explicari: Omnis denominatio intrinseca fit secundùm aliquam formam inhærentem, non autem denominatio extrinseca.

139. *Quod denominatur ab aliqua forma, oportet quòd illam in se habeat.* Habetur apud S. Thomam 1. Senten: dist: 33. quæ: 1. cap: 3. & coincidit cum axiomate superiùs posito.

140. *Omne accidens denominat suum subjectum.* Istud axio-

axioma habet S. Thomas illudq; admittit. Ratio est sicut enim forma substantialis denominat suum subjectum, ita & forma accidentalis, aliàs frustra esset in subjecto, si illud non denominaret.

141. *Denominatio non fit ab eo, quòd est secundùm accidens:* Refertur & admittitur à S. Thoma quæst: de malo: Art: 12. & sic explicari potest. Denominatio essentialis non fit ab eo, quòd est secundùm accidens, denominatio tamen accidentalis, potest fieri ab eo, quod est secundùm accidens.

142. *Ea quæ differunt specie, non denominantur abinvicem.* Reperitur apud S. Thomam quæ: 1. de Virtutibus in communi Art: 12 & est verissimum: Sic vg. quia homo, & brutum differunt specie, ideo de se non dicuntur invicem, non potest enim dici: *Homo est brutum, vel brutum est homo.* Quia tamen homo, & brutum conveniunt in ratione animalis, ideo sicut homo denominatur vivens, sensibilis &c. ita & brutum.

143. *Semper denominans est simplicius denominatô:* Conformiter ad hoc S. Thomas quæ: 21. de bono Art: 5. inquit: *Denominans vel est simplicius denominatô, vel est æquè simplex.* Quod ut intelligatur sciendum est: Denominans est ipsa forma, à qua fit denominatio: denominatum autem est ipsum totum, quod à forma denominatur. Sicut ergo forma est in omnibus compositis incõpleta, ita est & simplex seu incomposita, ipsum verò denominatum, siquidem est compositum, ideo forma est simplicior, quàm ipsum compositum. Quando autem forma denominans est idem realiter adæquatè cum denominato, tunc forma non est simplicior denominato. Sic vg. DEUS denominatur Omnipotens, à sua Omnipotentia, & tamen Omnipotentia non est simplicior, quàm DEUS, sed tàm DEUS, quàm Omnipotentia, sunt entia simplicissima.

144.

144. *Denominatio consvevit fieri ab his, quæ sunt ultima in re.* Hoc axioma est S. Thomæ 3. Sententiarum, distinctione 25. quæst: 2da, Art: 4 illudq; ita explicari potest: *Omnis denominatio* consvevit fieri ab his, quæ sunt ultima in re: negandum. *Aliqua denominatio* consvevit fieri ab his, quæ sunt ultima in re. Concedendum. Ratio est: quia dantur innumeræ denominationes rerum, & tamen illæ, non fiunt ab his, quæ sunt ultima in re. Quid autem hic intelligatur per ultima in re? respondeo posse intelligi ultimam differentiam rei: porro denominationes rerum, non tantùm fiunt ab ultima differentia rei, sed etiam ab aliis proprietatibus, cujuscunq; rei.

145. *A pluribus formis, non potest esse eadem denominatio.* Sic explicari potest: A pluribus formis totalibus non potest esse eadem denominatio: potest tamen esse à pluribus formis partialibus: imò qui docent, quòd duæ causæ totales, possint Divinitùs unum eundemq; effectum producere, tunc in sententia illorum, potest esse à pluribus causis totalibus eadem denominatio, nempe *producti, & causati effectûs*, per easdem causas totales: idem dicendum in illa sententia, quæ docet, quòd plures formæ substantiales totales, possint Divinitùs informare unam, eandemq; numerò materiam.

146. Denominatio fit à principaliori, seu potiori. Hoc axioma alii proferunt hoc modo: *A principali fit denominatio.* Alii proferunt sic: *Denominatio fit ab eo, quod est principale & formale, non ab eo, quod est instrumentale, & materiale.* Alii proponunt hôc modò. *Unumquodq; sumit suam absolutam denominationem, à suo principali.* Ista ergo axiomata planè in idem coincidunt, & non sunt universalia, quia anima rationalis, est potior, & principalior pars hominis, & tamen ab eadem anima, non denominatur homo spiritualis, & immortalis, licet eadem anima sit spiritualis, seu

 imma-

immaterialis, & immortalis. Prædicta ergo axiomata valent passim in totis moralibus, & aggregatis, sic *vg:* Ecclesia Catholica vocatur Sancta; quamvis in illa multi inveniantur discoli & perversi: Majestates Regum vocantur Sacræ, quamvis in illis multùm sit de profanis actibus: Respublica vocatur Serenissima & fortissima, quamvis in illa reperiantur multi obscuri, & debiles; exercitus vocatur invictus, quamvis in illo reperiantur multi timidi, & facilè vincibiles. In totis autem seu compositis substantialibus Physicis, denominationes primò essentiales, fiunt à principaliori, & potiori prædicato: sic *vg:* Homo definitur per animal rationale, non autem per animal risibile. In DEO autem Optimo Maximo prædicta axiomata, videntur non habere locum, quia ibi nulla perfectio est potior, alterâ, & nullum prædicatum est principalius alterô, sed omnia sibi sunt æqualia à parte rei, quidquid sit de modo nostro concipiendi.

147. Huc spectat illud axioma, quod habet S. Thomas, 1ma 2dæ quæst: 113, art: 1mo: *Unumquodq; debet nominari ab eo, quod est potissimum in ipso.* Cæterum & hoc non est absolutè universale, ut patet ex instantia data superius, de homine, & anima ejus: item gratia sanctificans infusa homini, est donum potissimum in homine, & tamen homo, quamdiu vivit, non denominatur justus, sed peccator.

148. Huc etiam spectat illud axioma. *Ab optimo unumquodq; denominatur.* Est S. Thomæ quæst: de libero arbitrio, art: 1. & illud alterum: *Denominatio fieri debet à meliori.* Hoc ergo utrumq; axioma, non est ita universale, ut nunquam fallat: denominatio igitur aliquando fit ab optimo, vel meliori, aliquando etiam fit à bono, vel infirmiori. Pariter intelligenda sunt, reliqua similia axiomata, nempe hæc: *Denominatio à digniore fieri debet.* Item: *Denominatio fit à nobiliori:* item: *Totum magis debet denominari à digniori, quàm à minùs digno:* constat enim ex usu & praxi, quòd aliquæ denomi-

natio-

nationes fiunt à digniori, & nobiliori, aliquæ etiam fiunt ab indigniori, & ignobiliori.

149. *Deficere unum contradictorium, est existere alterum.* Sensus est: Quando una propositio contradictoria deficit, seu est falsa, tunc altera propositio existit, seu est vera.

150. *Differentiæ ultimæ rerum, non recipiunt magis, & minùs.* Est Aristotelis 8. Metaphysicorum. Istud ergo axioma sic est limitandum. Differentiæ ultimæ rerum, in formis substantialibus, non recipiunt magis & minùs, recipiunt tamen in formis accidentalibus. Ratio 1mæ partis est: Formæ substantiales non recipiunt magis & minùs: sic *vg*. unus homo non habet majorem humanitatem, quàm alter homo Ergo &c. Ratio 2dæ partis est: Formæ accidentales recipiunt magis & minùs, sicut & ipsa accidentia. Ergo &c.

ARTICVLVS XVI

151. D*ici de omni, dici de nullo.* Principia ista sunt Aristotelis: primò ex allatis principiò, regulantur syllogismi affirmativi, 2dò negativi. Principia hæc Jòánnes de Ulloa in Prodromo Disp: 1 cap: 4. n. 47. sic explicat: Quidquid verè enuntiatur de omni identificato realiter cum A, verè quoq; enuntiatur de B, si hoc realiter idèntificatur cum A, item quidquid verè enuntiatur de omni identificato *Re, & Ratione* cum A, verè quoq; enunciatur de B, si hoc *Re & Ratione* identificatur cum A. Ast non quidquid verè enuntiatur de omni identificato, *Re & Ratione* cùm A, verè eo ipso enuntiatur de B, idèntificato tantùm realiter, non verò per rationem cum A. Et similiter philosophandum, & de illo principio negativo: *Dici de nullo.*

152. Doctissimus Georgius Rèéb Soc: JESU, in li-

bro Distinctionum & axiomatum fol: 83. sic explicat præfata principia: *Dici de omni: dici de nullo*: seu *dictum de omni, dictum de nullo*: sunt principia syllogismorum universalissima. Prius principium, dirigit primos primæ figuræ modos affirmativos. Sensus ejus est communiter ille: *Quidquid dicitur universim de aliquo subjecto, affirmatur de quovis contento sub illo*: ac si diceretur: *Omne illud quod affirmatur de alia re, universaliter & distributivè sumpta, illud ipsum potest affirmari, de omni illo, quod huic rei subijcibile est, & de quo hæc affirmari potest*: *vg*: in hac propositione: *Omnis homo est rationalis*: affirmatur rationale de homine universaliter, & distributivé accepto, jam idem rationale, affirmari potest de Petro, qui Petrus est homini subijcibilis, & homo, de quo rationale affirmatum erat: affirmatur de Petro, adeoq; illud quod illabitur, & fluit in aliquam rem, secundum omnem suam latitudinem, & partes sumptam, influit in omnia illa, in quæ illud alterum illabitur, non aliter, quàm si in fontem, à terra scaturientem, rubrum *vg*: colorem inijcias, ille color illabetur, & derivabitur ad singulos rivos, inde promanantes.

153. *Dictum de nullo*: contrarium sensum habet, ita enim explicatur: Quidquid negatur de aliquo universaliter accepto, negabitur de omni eo, de quo illud alterum affirmatur, adeoq; quod alicui rei universaliter & distributiuè sumptæ non convenit, neq; conveniet illi, cui illa res convenit, seu cum qua idem est *vg*: de lapide negatur quod sit homo, in hac propositione: *Nullus lapis est homo*: consequenter negabitur etiam *homo* de smaragdo, de quo affirmatur quòd sit lapis adeoq; propterea smaragdus, non est homo, quia smaragdus est & continetur sub lapide, de quo itidem negatum est, quod sit homo, non aliter quàm si dicas: *Nulli Germano dabo*
cen-

centum Florenos: consequenter neq; Ingelstadiano dabis, quia hic continetur sub Germano, & est Germanus. Dirigit hoc principium duos modos negativos primæ figuræ *Celarent* & *Ferio* & ejus vis posita in Præmissis mox in Conclusione influit *vg:* dicis: Nulli Germano dabo centum florenos, sed omnis Ingelstadianus est Germanus. Ergo nulli Ingelstadiano dabo centum florenos

154. R. P. Adrianus Miaskowski Disp: ima dialect: quæst: 3 ñro 86. ly: *Dici de omni, dici de nullo*: docet non esse, nec debere haberi pro principiis, nisi compleantur, ut compleri debent, & complementum illorum subintelligatur, tunc sunt principia, ex terminis evidentia, & pro talibus habenda. Ratio autem, quare ly. *Dici de omni, dici de nullo* non sint principia, nisi compleantur, est: quia de ratione principii est, esse propositionem ex terminis evidentem: jam verò ly: *Dici de omni, dici de nullo*: non est propositio evidens, quia non est simpliciter propositio, sed solùm sunt termini incompletam significationem habentes, nec quidquam enuntiantes. Complet ergo prædictum principium, præfatus Author primam partem sic. *Dici de omni, est dici de aliquo*: hoc est quidquid vere affirmatur, & dicitur de aliquo, contento sub omni *vg:* quidquid dicitur de isto termino communi *homo*: idem totum dicitur, de aliquo termino contento, sub eodem termino communi *homo vg:* de Petro, Paulo &c. Alteram partem explicat, & complet idem Author hôc modô: *Dici de nullo est dici de aliquo non*: hoc est: Quidquid verè negatur de omni, idem verè & bene negatur, de quovis in particulari, seu de aliquo contento sub omni; *vg:* quidquid negatur de isto termino communi *homo*, totum negatur, de omni alio contento sub hoc termino *homo*, *vg:* de Petro, Paulo &c.

155.

155. *Distinctio formalis semper requirit inæqualitatem.* Habet istam Propositionem S. Thomas 1. part: quæst: 42. Artic: 2do in ☉ & probat id ex 8. Metaph: quia ibidem dicitur: *Formæ rerum, sunt sicut numeri.* Cæterum si per distinctionem formalem intelligatur distinctio realis, tunc prædicta propositio non est universalis, quia inter Personas Divinas datur distinctio realis, & tamen illa non requirit inæqualitatem, siquidem inter Personas Divinas, nulla datur inæqualitas, ut constat ex Symbolo S. Athanasii, ubi dicitur: *& in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus, aut minus: sed totæ Tres Personæ, coæternæ sibi sunt, & coæquales.*

156. *Ubi est prius & posterius, ibi est distinctio.* Est Ochanij 2. Sententiarum quæst: 12. lit: B. non est universale, quia inter Personas Divinas datur distinctio realis, & tamen inter illas non datur prius, & posterius, ut constat ex fide, & ex S. Athanasio immediate citato.

Omnis distinctio aut est realis, aut est rationis tantum. Est omnium Philosophorum. Ratio est quia sicut omne ens, est aut reale, aut rationis tantùm, ita similiter discurrendum est de distinctione. Unde per hoc principium, excluditur distinctio formalis ex natura rei Scotistica, & distinctio formalis realis intentionalis Bacconica.

Verificatio Contradictoriorum, est via potissima ad probandam distinctionem realem.* Hæc regula est certa apud omnes cæterum tantùm in Creatis, non autem in Mysterio SS. Trinitatis, quia ibi inter Naturam Divinam, & Personas, verificantur prædicata contradictoria juxta fidem, ut patebit nro 253. & tamen inter Naturam Divinam & Personas, nulla datur distinctio realis ut probabitur Artic: 25. patebit hoc ipsum

psum in Appendice de distinctione Bacconica, ubi ex Conciliis & SS. Patribus deducetur, quòd inter Naturam Divinam & Personas, tantùm sola detur distinctio rationis.

157. *Omne ens vel habet esse à se, vel ab alio.* Constat ex S. Augustino libr: 1 de Trinit: cap: 6. ubi inquit; *Omnis substantia quæ DEUS non est, creatura est*, &c: ut supra citavimus.

158. *Illa entia possunt poni inprædicamento substantiæ, quæ sunt entia per se, finita, realia tota.* Ut aliquid possit poni in prædicamento substantiæ, multi Authores requirunt quatuor conditiones: 1ma ut sit ens per se, 2da ut sit ens finitum, 3tia ut sit ens reale, 4ta ut sit ens totum seu completum: quæ conditiones exprimuntur hoc versiculo: *Entia per se se finita, realia, tota.* Unde ijdem Authores DEUM Optimum Maximum, excludunt à prædicamento substantiæ, ex eo, quòd sit ens infinitum contra quos

159. Dico: Ens infinitum simpliciter, seu DEUS Optimus Maximus, potest poni in prædicamento substantiæ. Probatur: Si DEUS noster Optimus Maximus, non posset poni, nec contineretur sub prædicamento substantiæ, tunc sequeretur aliquos Syllogismos primæ Figuræ, juxta modum *Darij* dispositos, non concludere, & non valere eorum Consequentias, quamvis eorum præmissæ veræ fuerint. Sed hoc dici non potest. Ergo &c. Probatur sequela majoris: Si DEUS non contineretur, sub prædicamento, seu genere substantiæ, tunc sequeretur, quòd non concluderet Syllogismus vg: iste: *Omnis substantia est ens per se stans, sed DEUS est substantia. Ergo DEUS est ens per se stans.* Item non concluderet

deret alter Syllogiſmus *vg*: iſte: *Omnis ſubſtantia eſt ens. ſed DEUS eſt ſubſtantia. Ergo DEUS eſt ens.* Ergo ſi &c.

160. Probatur ſequela Antecedentis. Univerſaliter juxta dialecticam, tunc ſolùm à termino ſuperiori, ſeu univerſaliori, ad terminum inferiorem, valet conſequentia, quando terminus inferior, continetur ſub ſuperiori. Sed in allatis ſyllogiſmis, ex una parte, procedit conſequentia à termino ſuperiori, ad inferiorem, nempe à ſubſtantia ad DEUM, ex altera parte terminus inferior, nempe DEUS, non continetur ſub ſuperiori, nempe ſub genere, & prædicamento ſubſtantiæ, ut volunt oppoſiti Authores. Ergo &c.

161. Minor non eſt probanda quo ad primam partem, quia certum eſt, quod ſubſtantia ſit terminus ſuperior, ſeu univerſalior, quam terminus hic: *DEUS*. Quo ad ſecundam partem, pariter non debet probari, quia eſt ipſiſſima oppoſitorum Authorum doctrina, proinde nihil reſtat probandum, niſi ſola Major, ſi ab aliquo negaretur, ut mihi negata eſt Cracoviæ, in publica diſputatione, quando contra oppoſitam ſententiam, eôdem argumentô uſus ſum, præſentibus pluribus Doctoribus, & Profeſſoribus.

162. Si ergo præfata Major negaretur (licet non deberet prudenter negari) requirendùm eſt ab adverſario negante, ut infringatur inſtantiâ, extra controverſiam tali, oſtendaturq; Syllogiſmus talis, in quo valeat argumentatio, & conſequentia, à termino ſuperiori ad inferiorem, licèt terminus inferior, non contineatur ſub ſuperiori. 2do. Probanda eadem major, ſeu veriùs prin-

cipium dialecticum, inductione omnium syllogismorum, à termino superiori, ad terminum inferiorem dispositorum, quòd prædicti omnes syllogismi, tunc nonnisi valeant. & concludant, quando terminus inferior continetur sub superiori, quales vg. sunt isti syllogismi: *Omnis homo est animal rationale, sed Petrus est homo. Ergo Petrus est animal rationale.* Item: *Omne bonum est amandum. Sed DEUS est bonus. Ergo DEUS est amandus*, & sic de alijs quibuscunq;. Ergo &c.

163. Confirmatur. Si ista propositio seu principium dialecticum, *Tunc solum valet consequentia à termino superiori ad inferiorem, quando terminus inferior continetur sub superiori.* Non est universaliter vera, & posset prudenter negari, tunc ista altera illi contradictoria nempe hæc: *Aliquando à termino superiori, valet consequentia ad inferiorem, etiamsi terminus inferior, non contineatur sub superiori.* Sed hæc altera est falsa. Ergo illa prima universalis, est vera. Major patet, Minor probatur. Si aliquando à termino superiori, ad inferiorem valeret consequentia, quando terminus inferior non contineretur sub superiori, tunc essent rectæ istæ consequentiæ: *Petrus est animal, ergo est Adamas.* Item: *Omnis homo est animal rationale. Ergo omnis homo vg. Petrus, Andreas, &c. est Adamas.* Sed hoc dici non potest. Ergo &c.

164. Confirmatur 2dò. Tota ratio propter quam non valet consequentia ista: *Petrus est animal, ergo est Adamas* est hæc: quia Adamas, non continetur sub termino superiori, nempe sub animali, idem dicendum de alijs similibus consequentijs.

165. Illustratur. Sicut ex toto, non potest inferri pars illa, quæ non continetur, nec includitur per identitatem in eodem toto: unde non valet consequentia: *Existit compositum humanum, ergo existit anima equina.* Idq;

ideo quia anima equina, non continetur in composito humano, ita pariter à termino superiore ad inferiorem, non valet consequentia, quando terminus inferior, non continetur sub superiori. Sed tædet, & pudet his immorari, quia principia dialectica, non sunt probanda, sed supponenda. Ad extremum contra negantes principia dialectica sufficit dicere, quòd dicit Aristoteles 1. Physic: *Contra negantem principia, non est ampliùs disputandum.*

166. *Idem effectus non potest esse conservativus sui ipsius.* Hoc axioma explicat S. Thomas, 1ma part: quæst: 104. Art: 2dô ad 2dum & dicit: Sicut nulli creaturæ conceditur, quòd sit causa sui ipsius ita etiam nulli effectui præstari potest, quòd sit sui ipsius conservativus, cum conservatio revocetur ad causam efficientem, & sit veluti continuata productio. Circa hoc axioma dicendum censeo. Conservatio est duplex, alia prima competens causæ primæ nempe DEO, alia 2da, competens causæ secundæ. Idem ergo effectus non potest esse conservativus sui ipsius, conservatione primâ, competente soli DEO: potest tamen idem effectus esse sui conservativus, conservatione secundariâ, sic homo conservat se ipsum fugiendo destructionem, & corruptionem sui, conservat præterea se ipsum per abstinentiam à nocivis, tandem conservat se ipsum per usum medicamentorum, & per varia alia media.

167. *Defectus qui contingit in effectu communi causæ universalis, & particularis, non provenit à causa universali, sed particulari,* Est S. Thomæ 1. 2dæ quæst: 79. Art 2do Et hôc principiô probari solet: quod licèt Causa Universalis, nempè DEUS, concurrat cum causa particulari, nẽpè cum homine ad peccatum, tamen DEUS, non est causa peccati.

ARTICVLVS XVIII.

168. EX *duobus entibus in actu non fit unum tertium seu per se.* Aristoteles 7. Metaphys: Hoc axioma sic est intelligendum: Ex duobus entibus in actu non fit unum per se, *seu compositum substantiale*: fit tamen unum *per accidens.* Vel etiam sic potest explicari: Ex duobus entibus completis in actu, non fit unum per se, fit tamen unum per se ex duobus entibus incompletis: sic vg: ex materia & forma, fit compositum, quia materia & forma, sunt entia incompleta.

169. *Ens, & unum convertuntur.* Aristoteles 4. Metaphysic: Sensus est: Ens & unum sunt secum mutuò convertibilia, ita ut ab uno, valeat consequentia ad ens, & è contra: Unde benè sic arguitur. *Est ens, ergo est unum. Est unum, ergo est ens.* Unitas enim, est essentialis passio, & proprietas entis.

170. *Entia Metaphysicalia sunt abstracta à sensibus.* Idem Aristotel: 2. Physic: & 6. Metaphys: sensus est: Entia Metaphysicalia sunt abstracta per rationem à sensibus, non autem per distinctionem realem.

171. *Ex nihilo, nihil fit.* Idem 1. Physic: Istud axioma sic explicandum: Ex nihilo nihil fit, *per actionem naturalem, provenientem à creatura,* per actionem tamen à DEO procedentem, omnia facta sunt, & hactenus fiunt sic animæ rationales, etiam modò creantur à DEO ex nihilo sui, & subjecti, seu materiæ,

172. *Ex uno nihil sequitur.* Idem 2. Poster: sensus est: Ex una propositione nihil sequitur juxta formam syllogisticam, bene tamen sequitur per Enthymema.

173. *Ex vero nihil, nisi verum.* Idem 2do Posterior: Sensus est: Quòd ex vero antecedente nihil sequitur nisi verum, quando consequentia est bona, & formalis, non autem materialis.

174. *Æternô nihil est prius.* 8. Physic: sic intelligendum: Æternô nihil est prius tempore, seu secundùm tempus: æternô tamen est aliquid prius secundùm originem: sic Pater Æternus non est prior tempore Filiô: est tamen prior secundùm originem. Videantur hic dicta de prioritate originis, Articulo 14. ñro 129.

175. *Ejusdem rei, non debent esse plura principia.* Aristotel: 1. Cæli & 1. Physic: Hoc axioma fallit in omnibus compositis, quia cujuslibet compositi sunt plura principia, nempe materia, & forma unita sibi. Si autem per principia, intelligantur causæ, tunc est explicandum hôc modô. Ejusdem rei non debent esse plura principia seu causæ, in eodem genere causandi: in diverso tamen genere causandi, possunt esse plura principia, & causæ ejusdem rei. Sic ejusdem hominis causa est primò DEUS, in genere causæ efficientis, & conservantis, jam autem anima, est in genere causæ formalis: tandem sol & homo, sunt causa hominis; juxta illud Aristotelis: *Sol, & homo generant hominem.* Præterea ejusdem rei, non debent aliquando esse plures causæ, secundùm cursum ordinarium, Divinitùs tamen possunt plures causæ totales, producere unum numerô effectum, ut communius docetur in Physica.

176. *Ens, est prius DEO.* Aristotel: in Prædicamentis. Intelligendum hôc modô. Ens est prius, seu Universalius DEO: unde à DEO valet consequentia ad ens: vg: *Est DEUS, ergo est ens.* Potest etiam sic explicari: Ens est prius DEO, prioritate universalitatis, non autẽ prioritate essendi, seu existentiæ.

177. *Ejusdem non sunt plures actus.* Commentator de substantia orbis. Sic explicandum: Ejusdem compositi non sunt plures actus, seu formæ substantiales physicæ, ejusdẽ tamen compositi sunt plures actus seu formæ accidentales, imò & plures operationes.

178. *Ens, & verum convertuntur, similiter falsum, & non ens.* Aristotel: 6. Metaphys: Sensus est: Ens & verum sunt secum mutuò convertibilia, ita ut ab uno valeat consequentia mutuò ad alterum, vg: sic; *Est ens, ergo est verum. Est verum, ergo est ens.* Similiter discurrendum de secunda parte axiomatis istius: *Est falsum,* (id est carens proprietate entis, quæ est veritas) *Ergo est non ens.* Item: *Est non ens, ergo est falsum*: hoc est caret veritate transcendentali entis.

179. *Eadem numerô sunt, quorum materia est una.* Aristotel: 5. Metaphys: Fallit in plurimis, quia Angeli sunt plures numerô, & tamen nullam materiam habent; Itē cognitiones Angeli unius, sunt plures numerô, & tamen hæ carent materiâ primâ. Tandem cognitiones intellectûs nostri sunt pariter plures numerô, & tamen hæ non dependent à materia.

180. *Ex eo quod res est, vel non est, oratiô vera, vel falsa dicitur.* Aristotel: in Prædicamentis: Sic est intelligendum: Intantùm oratio seu propositio aliqua, vera est, inquantum ita enuntiat de re, sicut se res, seu objectum habet, quando autem oratio, seu propositio aliter enuntiat, de objecto, quàm se habeat objectum, tunc temporis propositio evadit falsa

181. *Esse tale, supponit simpliciter esse.* Sic potest explicari, Esse tale reale, à forma reali, distincta ab operatione intellectûs, supponit simpliciter esse: esse autem intentionale, vel non existens, non supponit simpliciter esse. Ratio primæ partis est: Dum vg: paries denominatur albus, vel dum Petrus denominatur currens, omnino tale esse supponit simpliciter esse, nempe existentiam subjecti, in quod cadit albedo, & cui competit cursus, quomodò enim Petrus curreret? si non existeret simpliciter, & quomodò ab albedine denominaretur pa-

ries albus, si paries non existeret simpliciter, & sic de alijs. Ergo &c. Ratio 2dæ partis est: Possibilia & impossibilia habent esse tale, & denominantur ab intellectu, & operationibus illius, varijs prædicatis, sibi competentibus, & ab eodem intellectu definiuntur, & tamen possibilia, & impossibilia, non habent esse simpliciter.

182. *Esse est propter operari.* Sic explicandum: Esse entium *activorum* est propter operari: Esse autem entium *purè passivorum*, non est propter operari. Sic vg. materia 1ma, cum sit ens purè passivum, esse ejus, non est propter operari, sed propter pati. Cum autem intellectus noster sit ens, partim activum, partim passivum, ideo sicut producit suas operationes, ita easdem in se recipit & patitur.

ARTICVLVS XIX.

183. Q*Vidquid casu fit temerè fit.* Est S. Augustini libr: 83. quæstionum, quæst: 23. Potest sic explicari: Quidquid casû hoc est indeliberatè fit ab homine usû rationis prædito & obligato deliberatè agere, illud plerumq; temerè fit. Quidquid casû fit ab alijs causis contingentibus, illud non temerè fit sed plerumq; DEO sic permittente in pœnam peccatorũ nostrorum: unde dum Ecclesia casu comburitur, nulla est in hoc temeritas.

184, *Omne quod fit, ei à quo fit, par esse non potest.* Istud axioma desumptum est ex S. Augustino libr: 83. quæstionum quæ: 2da. Communiter sic explicatur: Omne quod fit à causa æquivoca, ei à quo fit, par esse non potest: tamen quod fit à causa univoca, ei à quo fit par esse potest. Addo quando infans nascitur, Patri par

esse

esse non potest in viribus, usu rationis, & alijs accidentibus, tamen in essentialibus est par Patri, quia ita est homo, sicut Pater ejus.

185. *Nihil inchoatur ut fiat, quòd non faciens causa præcesserit.* Ita S. Augustinus lib: de Civitate Dei Cap: 9. Ratio est, quia nihil potest inchoari sine causa inchoationis, sicut effectus non potest dari, sine suo principio productivo.

186. *Omne quod est, vel est finis, vel est ad finem.* Reperitur apud S. Thomam 1. Senten: in exposit: text: distin: 1. ubi sic loquitur: *Dicendum quod aliquid est ad finem ordinatum dupliciter. vel sicut progrediens in finem, & hôc modô fruens, & utens ad finem, vel sicut via in finem, & hôc modô utibile est ad finem.* Prædictum axioma ut latiùs pateat, potest sic explicari. Omne quod est, vel est finis, vel est ad finem vel est contra finem. Ratio est, quia licèt omnia facta sunt à DEO propter finem, & omnia naturaliter tendant in finem, tamen etiam multa sunt contra finem.

187. *Qui ponit infinitum excludit finem.* Ita S. Thomas 1ma 2dæ quæst: 3. Art: 4to sic limitandum: Qui ponit infinitum excludit finem, entitativum ejusdem infiniti, non excludit tamen finem illum, ad quem ponitur, & ordinatur idem ipsum infinitum, quia etiam entia infinita, debent habere suum finem, ad quem ordinantur, & tendunt. Sic Christus Dominus posuit infinitam satisfactionem, pro peccatis totius mundi, & tamen illa satisfactio, habuit suum finem, ad quem ordinata fuit, nempe habuit pro fine redemptionem generis humani.

188. *Finiti ad infinitum, nulla est proportio.* Aristotel: 1. Cæli textu 52. Istud axioma sic est intelligendum. Finiti ad infinitum nulla est proportio, *in ratione infiniti,* in

ratio.

ratione autem aliorum prædicatorum, vg: in ratione entis, substantiæ, vel viventis &c. est aliqua proportio finiti ad infinitum. Ratio est: quia DEUS optimus, Maximus, est ens infinitum simpliciter, & tamen ad illum datur proportio, in ratione aliquorum prædicatorum superiùs adductorum. Ergo licèt finiti ad infinitum, nulla detur proportio, in ratione & prædicato infiniti, potest tamen esse aliqua proportio in ratione aliorum prædicatorum, sive illa proportio sit univoca, sive æquivoca, sive analoga. Alij sic explicant: Finiti ad infinitum nulla est proportio determinata, potest tamen esse indeterminata.

189. *Finis est melior ijs, quæ sunt ad finem.* Aristotel: 2. Physicorum. Illustratur: Medicamenta sunt ea media, quæ sunt ad finem, nempe ad sanitatem, & tamen sanitas, est melior medicamentis, & sic de alijs finibus discurrendum.

190. *Finis est optimum, & melius sic, non simpliciter, sed ad uniuscujusq; substantiam.* 2. Physic: tex: 74. Hoc axioma ipse Aristoteles explicavit, ex quo constat, quòd finis sit optimum, non simpliciter, sed secundùm cujuslibet substantiam sive exigentiam. Si autem loquamur de ultimo fine, tunc talis finis est optimum simpliciter, nempe DEUS Optimus Maximus, illô enim nihil est melius, propter crearuras.

191. *Finis est prior intentione, quàm media, posterior executione.* Seu ut inquit Aristotel: 1mi Physic: *Finis est principium in intentione, & ultimum in executione.* Hoc axioma sic explicandum. Finis est prior intentione quàm media, *dum successivè finis, & media intenduntur*, quando autem finis & media *intenduntur simul, eodem indivisibili actu*, tunc finis non est prior in intentione, quàm media. Declaratur hoc ipsum. Omnis natura creata rationalis, quandocunq; vult aliquid agere, primò intendit finem,

tum

tum electo fine, quærit & eligit sibi media, ad eundem finem obtinendum conducentia. Ideo autem prius intendit finem, deindè successivè media, quia natura creata, non est tantæ perfectionis, ut simul possit semper finem intendere, & media: tum quia id non repugnat creaturæ, ut prius intendat finem, tum deinde media. In DEO autem optimo Maximo, cum non detur talis successio actuum, secundùm prius & posterius, sicut datur in creatura, ideo DEUS unô actu intendit finem, & media: DEO enim sicut repugnat compositio ex materia & forma, propter summam ejus simplicitatem, ita repugnat compositio, ex talibus actibus, quorum unus sit prior prioritate temporis, sed omnia unô actu & intuitu, vult simul, & intendit. Unde licèt in creatura finis sit prior intentione, non tamen in DEO, qui tam finem, quàm media non successivè, sed simul intendit, ac comprehendit. DEO enim non est necessaria consultatio, deliberatio, vel discussio tàm finis, quàm mediorum, sicut est necessaria naturæ creatæ, sed quidquid DEUS cognoscit perfectissimè cognoscit, & intendit, illiq; sunt omnia præsto, simul, ab æternitate, absq; ulla successione, inter actus illius.

192. *Finis est causa causarum.* Aristotel: 2. Physic: 31. Hujus axiomatis sensus esse potest. Finis est causa causarum, seu eorum mediorum quæ conducunt ad finem, non est autem causa causarum omnium absolutè, seu omnium quorumcunq; mediorum: quia ad finem determinatum, non omnia absolutè conducunt, sed tantùm certa, & eidem fini conducentia.

193. *Formæ non est forma.* Aristotel: 7. Metaphysic: Sensus est: Forma non informat aliam formam, quia hujus nulla est necessitas, præsertim in composito substantiali physico, cui unica forma substantialis sufficit, ad

 statu-

ſtatuendum compoſitum. Deinde duæ formæ ſubſtantiales totales, non poſſunt dari naturaliter, in uno eodēq; compoſito, ut communiter docet Phyſica, darentur autem, ſi formæ, poſſet eſſe alia forma.

194. *Forma eſt prior materiâ.* Ariſtotel: 7. Metaph: ſic intelligendum: Forma eſt prior materiâ *prioritate determinationis*, quòd ſcilicet determinet materiam, ad componendum hoc, vel illud compoſitum, non eſt autem prior, prioritate naturæ, & generationis.

195. *Forma eſt, quæ dat eſſe.* Ariſtotel: 2. Phyſicor: ſenſus eſt: Forma dat *eſſe rei ſpecificum*, non autem *exiſtentiale*, ſeu exiſtentiam materiæ primæ. Vel forma dat eſſe rei, hoc eſt complet materiam primam, determinat indifferentiam illius, ad eſſe hoc in ſpecie compoſitum: non dat autem exiſtentiam materiæ primæ in hoc ſenſu, quaſi verò materia prima, non habeat exiſtentiam propriam, ſed exiſtat per exiſtentiam formæ, quia hujus nullum eſt fundamentum.

196. *Formæ eſt agere, materiæ verò pati.* Ariſtotel: 1. de Generat: ſenſus eſt: Ad formam principaliter ſpectat agere, ſeu determinare materiam, ad hoc vel illud compoſitum: ad materiam ſpectat recipere eandē formā.

197. *Fruſtra eſt illa potentia, quæ non reducitur ad actū.* Ariſt: 1. Cæli & mundi text: 32. & 3. de anima text: 45. Hoc axioma non eſt univerſaliter verum, quia in DEO datur potentia, ad producenda plura entia, amplius & amplius perfectiora, item in DEO datur potentia ad producendum alterum mundum. & ad alia plurima poſſibilia, & tamen hæc potentia, non reducitur ad actum, & in multis fortè nunquam reducetur. Axioma præfatum ſic eſt explicandum: Fruſtra eſt illa potentia, *neceſſaria*, quæ non reducetur ad actum, nec eſt unquam reducibilis: non tamen fruſtra eſt potentia *libera* quæ

non

non reducitur ad actum; quia de ratione potentiæ liberæ eſt, ut reducatur ad actum, vel non reducatur, quamvis habeat omnia requiſita eſſentialia, & quamvis à nemine impediatur.

198. *Fruſtra fiunt per plura quæ poſſunt, fieri per pauciora.* Axioma hoc ſic explicandum: Fruſtra *abſolutè* fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora. Negandum. Fruſtra *ſecundùm aliquid* fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora. Concedendum. Vel etiam ſic poteſt explicari: Fruſtra fiunt per plura *ſpectatô curſu ordinariô rerum,* non autem fruſtra fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora, *ſpectatô curſu extraordinariô rerum, & potentiâ DEI abſolutâ.* Illuſtratur multa ſunt talia entia, quæ ſpectatô curſu ordinariô rerum, & potentiâ DEI ordinariâ, videntur eſſe fruſtranea, & inutilia, ſic ſpectatô curſu ordinariô, videtur eſſe fruſtraneum, unam eandemq; numerô materiam, informari pluribûs ſimul formis, ſubſtantialibûs totalibûs, & unum eundemq; numerô effectum, produci à pluribus ſimul cauſis totalibus ſpectatâ tamen potentiâ DEI abſolutâ, & extraordinariâ, ac miraculoſâ, poteſt juxta multos, una eademq; numerô materia, informari pluribûs ſimul formîs ſubſtantialibûs totalibûs, & unus numerô effectus, poteſt produci à pluribus ſimul cauſis totalibus. Quòd ſi fiat ſermo de cauſis liberis, in his illa fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora, ſic unus Princeps, plures fovet aulicos, vel milites, quamvis poſſet ſua negotia expedire, per pauciores. Sic unus Agricola plures alit boves, vel equos, quamvis ſuam agriculturam, poſſet commodè perficere per pauciores, & ſic de alijs, quæ tamen omnia non ſunt abſolutè fruſtranea, quia partim fiunt propter amplius decus, & Majeſtatem Principis, partim etiam pro exercitio libertatis ſuæ, quæ tanti momenti eſt, ut licèt ali-

cujus rei nulla sit necessitas, nisi hæc, ut per illam exerceatur liberum arbitrium, tunc adhuc illa res, non esset frustranea nec inutilis, quia in dato casu, adhuc esset necessaria ad hoc, ut per illam exerceat se libertas, quantùm vellet.

ARTICVLVS XX.

199. *QVod generatur incipit esse.* Habetur apud S. Thomam 1. Senten: ad Hannibaldum, quæst: 1. Art: 1mò ad 1mum, quod conformiter ad mentem ejusdem S. Thomæ sic limitandum. Quod generatur generatione temporali, illud incipit esse, quod autem generatur generatione æternâ, & Divinâ, illud non incipit esse. Sic Filius DEI, est genitus ab æterno, & tamen non incæpit esse, quia fuit ab æterno.

200. *Unumquodq; eô modô, quò habet esse, eôdem generatur, vel corrumpitur.* Hoc axiomate utitur S. Thomas, 1ma parte quæst: 75. Art: 6. in ☉ sensus est: Unumquodq; dum habet esse substantiale, generatur modô substantiali, dum autem habet esse accidentale, generatur modô accidentali. Similiter de corruptione discurrendũ.

201. *Quidquid procedit per modum generationis, procedit ut genitum.* Est apud S. Thomam in 1. distinct: 13. quæst: 1. Art: 3. Ratio est: quidquid procedit per modum creationis, procedit ut creatum. Ergo etiam quidquid procedit, per modum generationis, procedit ut genitum.

202. *Generatio unius, est corruptio alterius.* Aristotel: 1. de Generat: cap: 3. text: 17. Antequam explicetur istud principium præsuppono 1mò. Quando dicitur: *Generatio unius est corruptio alterius*: non est sensus, quasi verò generatio, sit omnino idem, quod corruptio, seu

non

non eſt ſenſus, quòd generatio, ſit identicè corruptio, ſed potiùs ſenſùs eſt: quòd generationem unius, debet præcedere corruptio alterius. Sic vg. quando generatur in ligno, forma ignis, debet corrumpi forma ligni. Præſuppono *2do.* Generatio duplex cogitari poteſt, alia adæquata, alia inadæquata. Generatio adæquata eſt, dum producitur materia & forma, ut factum eſt in prima creatione, quando DEUS materiam primam creavit, & formam. Generatio inadæquata eſt, dum in materia præexiſtente, ſola forma generatur, ut modò continuò fit, in omnibus generationibus, mutationibus, & converſionibus naturalibus. His præmiſſis.

203. Dico: Generatio *adæquata unius*, non eſt corruptio alterius: generatio tamen *inadæquata unius* eſt corruptio alterius. Ratio patet ex ipſa diviſione generationis adæquatæ, & inadæquatæ, & ex ipſa prima creatione mundi, quando enim DEUS Optimus Maximus, creavit materiam primam, tunc in materia prima exiſtente, non fuit forma antecedens, quæ corrumperetur, adeoq; pro tunc fuit generatio unius, ſinè corruptione alterius hoc eſt generatio formæ, ſine corruptione formæ antecedentis, quia tunc nulla fuit forma antecedens. Ratio 2dæ partis conſtat, ex omnibus præſentibus generationibus.

204. *Generare ſibi ſimile, eſt naturaliſſimum operum, in viventibus.* Ariſtotel: 2. de anima text 34. Opera viventium ſunt multa, uti nutrire, ſentire, intelligere, inter quæ eſt etiam generare. Dum ergo Philoſophus dicit: quòd generare ſibi ſimile, ſit naturaliſſimum operum in viventibus, ſenſus eſt, quòd quodlibet vivens principaliter intendat generare, quia per generationem, conſervatur ſpecies cujuslibet viventis, cæterum & reliqua opera viventis, uti nutrire, & ſentire, vel intelligere,

re,

re, ſunt opera naturaliſſima, cum hac differentia, quòd generatio conducat ad conſervationem totius ſpeciei, nutrire autem conducat, ad conſervationem cujuslibet viventis particularis, & individui.

205. *Generatio, & corruptio, ſunt motus contrarij.* Idē Philoſoph: 5. Phyſic: Senſus eſt: quòd generatio & corruptio, opponantur ſibi privativè, nec de ſe identicè poſſunt prædicari, ut ſupra innui.

206. *Generans & generatum, debent eſſe ejusdem ſpeciei.* Idem 7. Metaph: Non eſt univerſaliter verum, quia juxta Ariſtotelem, *ſol & homo generant hominem,* & tamen ſol, non eſt ejusdem ſpeciei, cum generato, nempe cum homine. DEUS item Optimus Maximus, omnia creavit quæcunq; videmus, & tamen non eſt ejusdem ſpeciei, cum ſuis creaturis. Præfatum ergò axioma verum eſt de generante, ſeu cauſa univoca, non autem de generante, ſeu cauſa æquivoca, ad cauſam enim univocam ſpectat generare effectum ejusdem ſpeciei, ſicut vg. homo generat hominem, non autem ad cauſam æquivocam, de cujus natura eſt, generare effectum diverſæ ſpeciei.

207. *Generatio ſit propter formam, & non propter materiam.* Idem Ariſtotel: 2. Phyſic: Senſus eſt: Generatio eô fine ſit, ut nova generetur forma, non eô fine ut generetur materia, quia materia ſemper eadem eſt, & ingenerabilis, unde quandocunq; fit generatio, illa non eſt ad generandam materiam, ſed ad generandam formam.

208. *Generatio, eſt productio à non eſſe, ad eſſe.* Idem 4. Phyſic: Eſt explicatio ſeu definitio generationis proinde ulteriori explicatione non indiget. Dici tamen poteſt quòd generatio ſit productio, à non eſſe ſeu corruptione formæ antecedentis, ad eſſe, ſeu eductionem formæ novæ ſubſequentis.

209.

209. *Generans, non facit formam.* 7. Metaph: Verum est de Formis creatis, vg. animabus hominum, quia has non facit generans, vg. homo, sed illas DEUS creat, reliquæ autem formæ materiales, educuntur ex materia.

210. *Generatio substantialis, non habet ens in actu.* Aristotel: 1. de Generat: Sensus esse potest: in generatione substantiali, materia prima non est ens in actu, & completum, sed in potentia ad recipiendam formam.

ARTICVLVS XXI.

211. *Habitus non dantur ad simpliciter operandum.* Est verum de habitibus acquisitis, non autem de infusis, quia habitus infusi, fidei, spei, & charitatis, dantur ad simpliciter operandum.

212. *Habitus oppositi, & specie differentes, ad eundem actum non inclinant.* Ratio est: Causæ oppositæ, & specie differentes, non inclinant ad eundem effectum, neq; eum producunt, ut patet in igne & aqua, & alijs similibus. Ergo & habitus oppositi, & specie differentes, non inclinant ad eundem actum, ut constat in habitu sobrietatis, & ebrietatis.

213. *Qui habet habitum, necessariò secundùm habitum agit.* Ad summum valet in brutis, quæ dum acquirunt habitum, necessario secundùm eundem habitum agunt: non valet autem in causis liberis, quia hæ etiamsi habeant aliquem habitum, tamen secundùm eundem non necessariò agunt, sed liberè, unde possunt habitui contravenire: Sic homo habens habitum peccandi, potest n n peccare. Idem docet & confirmat S. Thomas in quæst: disputatis, quæst: 24 de libero Arbitrio Art: 12. ad 13.

214. *Unus & idem habitus non inclinat ad contraria.*

Habe-

Habetur apud S. Thomam 1. 2dæ quæ: 82. Ar: 2. qui illud sic explicat: Unus habitus non potest inclinare per se, & directè, id est per propriam formam, ad contraria, potest tamen inclinare indirectè, & per accidens, nempe per remotionem prohibitionis. Ratio prædicti axiomatis est: quia unus idemq; habitus, non constat contrarijs, proinde ad contraria inclinare non potest.

215. *Ubicunq; est diversitas potentiarum, est diversitas habituum.* Est S. Thomæ 1. 2dæ quæst: 56. Ar: 2. in O. Ubi docet, quòd non valeat è converso, vg. sic: Ubi est diversitas habituum, ibi est diversitas potentiarum: quia in una eademq; potentia possunt esse diversi habitus, & tamen non erit diversa potentia. Præterea idem axioma potest sic explicari: Ubi est diversitas, seu distinctio realis potentiarum ibi est diversitas habituum: ubi autē non est distinctio realis potentiarum, ibi non est semper diversitas habituum.

216. *Habitibûs non meremur, neq; demeremur.* Est apud S. Thomam 1. 2dæ quæst: 55, Art: 1mo quod sic explicari potest: Habitibûs non meremur, neq; demeremur, quando nulla est intentio merendi, vel advertentia ad demerendum, quando autem adest intentio, vel advertentia, tunc meremur habitibûs, vel demeremur, alias si aliquis haberet habitum inebriandi, & continuò inebriaretur, tunc non peccaret, continuando malū suū habitum.

217. *Ibi est habitus, vel quæcunq; forma, ubi invenitur ejus effectus.* Hoc axioma S. Thomas in quæst: Disputatis quæ: 27. de Gratia Art: 6. ad 4tum. Intelligit de primo & immediato effectu. Cæterum datur plerumq; in multis habitus, etiamsi non semper ponatur ejusdem habitûs effectus. Ratio est: quia habitus possunt dari in aliquo subjecto, tamen potest non sequi ex illis effectus.

218. *Habitus est perfectior privatione.* Aristotel: 2. Cæli.

Expli-

Explicatione non indiget sed ratione. Ratio igitur est: Ideo habitus est perfectior privatione quia privatio significat carentiam formæ in subjecto capaci, habitus autem sive infusus sive acquisitus significat aliquid ordinariè positivum, porro positivum, est perfectius negativo, vel privatione. Sic vg. est perfectior habitus videndi, qvam privatio visûs, vel cæcitas.

219. *Homo, est maximè intellectus.* Idem 9. Ethicor: Hoc dictum Aristotelis ex terminis videtur non subsistere. DEUS enim Optimus Maximus, est maximè intellectus, seu maximè intellectivus, post Deum Angelus, post Angelum homo. Potest etiam sic explicari: Homo prudens, & ductum rectæ rationis sequens, est maximè intellectus, seu intellectivus, respectu aliorum hominum rectam rationem negligentium, eamq; non sequentium, comparatè autem ad alia entia, intellectiva, vg. comparatè ad Deum, vel Angelos, non est maximè intellectivus.

220. *Homo est quodammodo finis omnium.* 2. Physic: Est clarum per se. DEUS enim omnia creavit propter hominem, ergo homo est finis omnium: homo autem ipse est creatus propter Deum, ut ad illum tendat eumq; pro fine ultimo constituat.

ARTICVLVS XXII.

221. I*Mpossibile est idem simul esse, & non esse.* Aristotel: lib: 4. Metaphys: textu 27. & 1. Poster: textu 82. Tractando circa hoc Principium, Doctissimus Principiorum Scrutator & indagator, Joannes de Ulloa, in Prodromo Disp: 1. cap: 1. ñro 7. & sequentibus, ad ejus meliorem intelligentiam septem notata proponit. Primum quòd impossibilitas significata per Ly:

Impossibile, non est tantùm impossibilitas moralis, aut physica, sed metaphysica, ita ut sensus præfati principij debeat esse iste: *Impossibile est metaphysicè, idem simul esse, & non esse*. Secundum notatum est. Ut præfatum principium sit apud omnes evidens, identitas expressa voce: *Idem*: debeat esse adæquata, & pura, puritate excludente distinctionem actualem, sive illam, quæ à nonullis prædicativa vocatur, sive formalis ex natura rei, sive virtualis intrinseca, accepta pro capacitate suscipiendi duo contradictoria. Similiter & in hoc principio: *Quodlibet est, vel non est*: Ly *quodlibet* significare debet idem subjectum, identitate memorata secum ipsa. Tertium est: Quòd evidentia hujus principij, quandoq; petit identitatem etiam rationis, aliquando non. *4tum*. Hæc prædicata: *esse & non esse*: cadere debent non tantùm supra idem subjectum, verùm etiam supra eandem reduplicationem. *5tum*. Quòd simultas expressa, per hanc particulam *simul* debeat esse adæquata, & impar est inadæquata. *6tum*. Quando hoc principium ad casus singulares contrahitur, ut summum robur servet, necesse est non applicari subjecto falsæ suppositionis, quodsi aliter fiat, tàm longè est propositio, à terminis evidentiæ, ut potiùs falsitas convincatur: quia ad constituendam, cujuscunq; propositionis veritatem, pensanda est non sola affirmatio, aut negatio explicita, sed etiam tacita suppositio. *7mum*. Ambo prædicta principia, ostendunt impossibilitatem in eo, quòd duo contradictoria absoluta existant, aut deficiant simul, in eodem puncto temporis, tàm in eodem, quàm in diverso signo naturæ. Istis doctissimis notatis, & doctrinis nihil superaddendum reperio, tantùm secundum, & 3tium notatum, videtur mihi non omninò esse verum, scilicet: quòd ad hoc, ut principium istud: *Impossibile est idem simul esse & non esse*: sit evidens apud

omnes,

omnes, & innegabile, requiratur identitas adæquata pura, excludens omnem distinctionem actualem, tàm prædicativam, quàm formalem ex natura rei, & virtualem intrinsecam. Proinde.

222. Dicendum. Ut hoc Principium: *Impossibile est idem simul esse & non esse;* evidens sit apud omnes, non requiritur, ut identitas expressa voce illa: *Idem*: sit adæquata, & pura, puritate excludente omnem distinctionem actualem, prædicativam, formalem ex natura rei, & Virtualem acceptam, pro capacitate suscipiendi duo contradictoria. Idem dicendum de hoc principio. *Quodlibet est, vel non est.* Probatur conclusio negativè, quia scilicet nullum est fundamentum, & nulla necessitas, requirendi ad evidentiam hujus principij, identitatem adæquatam, puram exclusivam omnis distinctionis actualis, sive prædicativæ, sive formalis ex natura rei, sive virtualis, ut patebit solutione objectionum, & eversione oppositi fundamenti.

223. Objicitur & probatur ab eodem Ulloa, quòd ad evidentiam præfati principij, requiratur identitas adæquata, & pura, excludens omnem distinctionem actualem, prædicativam, & formalem ex natura rei, & virtualem acceptam, pro capacitate suscipiendi duo contradictoria, probatur inquam hôc modô.

224. Quamvis detur aliqua identitas, inter hominem, ac materiam primam, tamen non repugnat *hominem esse discursivum, & simul materiam non esse discursivam.* Sed hoc tantùm ideo non repugnat, quia inter hominem, & materiam primam, identitas est tantùm inadæquata. Ergo identitas inadæquata præcisè, non significatur per prædictum principium. Ergo ad impossibilitatem simultatis horum prædicatorum: *esse & non esse simul*, requiritur identitas adæquata, inter subjecta.

225. Probatur 2da pars, nempe quòd ad evidentiam præfati principij, requiratur identitas, excludens omnem distinctionem &c. Probabile est existentiam actualem, atq; possibilitatem formalem, & immediatam creaturarum, identificari mutuò, seu potiùs non distingvi entitativè, sic enim opinantur non pauci Recentiores: & tamen quia juxta eosdem, distingvuntur realiter prædicativè, propterea non est evidens ex terminis, nequivè suscipere hæc prædicata: *Esse simul, & non esse:* quoniam probabiliter ajunt: *possibilitatem esse necessariam, & existentiam absolutam, non esse necessariam.* Ergo ut evidens sit apud omnes, repugnare simultatem in essendo, & non essendo aliquid, opus est, quòd extrema, de quibus fuerit sermo, ita identificentur, ut non admittant distinctionem actualem, qualis censetur distinctio prædicativa: similiter opus est distinctionem illam actualem, quæ formalis ex natura rei appellari solet: nam licèt animal & rationale, mutuò identificentur adæquatè, quia tamen probabile est, suscipere distinctionem ex natura rei, idcirco probabile etiam est, esse, & non esse, respectivè assimiliandi hominem equo, citra omnem impossibilitatē.

226. Universalis igitur evidentia memorati principij (inquit Ulloa) necessariò poscit identitatem adæquatam, & puram, sine mixtione distinctionis ullius actualis ex natura rei, necnon carentiam distinctionis virtualis. Sic licèt Paternitas & Essentia Divina, sunt prorsus idem identitate adæquata, & pura, puritate excludente omnem actualem, & formalem distinctionem, attamen quia valde probabile est, distingvi virtualiter mutuò ideo de illis respectivè verificatur. *Esse & non esse commune Filio, absq; ulla impossibilitate.*

227. Ergo ad consistentiam, & universalitatem hujus pricipij, desideratur identitas pura, absq; mixtura distin-

ſtinctionis virtualis, imò & absq; diſtinctione rationis, ſi hæc accipiatur pro capacitate, admittendi duo contradictoria, ſine contradictione: in quo ſenſu non rarò accipitur in Concilio Florentino, & S. Thoma.

228. Jam ratio pro his omnibus eſt: Non eſt impoſſibilis ſimultas, horum prædicatorum: *eſſe & non eſſe*, quando cadunt ſupra ſubjecta indiſtincta entitativè, verum prædicativè diſtincta: aut ſupra ſubjecta indiſtincta ſanè entitativè, & prædicativè, ſed diſtincta realiter ex natura rei: aut ſupra ſubjecta indiſtincta tum entitativè, tum prædicativè, tum ex natura rei formaliter, ſed virtualiter diſtincta, proinde ſe habent in ordine ad vitandam contradictionem, acſi caderent ſupra ſubjecta ſimpliciter diſtincta, eò quòd hæ diſtinctionum ſpecies, tanti valeant in ordine, ad hoc munus, quanti valet diſtinctio realis. Ergo ſi aliqua ex memoratis intercedat diſtinctio, non eſt impoſſibile: *idem eſſe, & non eſſe*. Ergo ut ſit firma & univerſalis regula hujus principij: *Impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe*: neceſſariò intelligenda eſt identitas adæquata, & adeo pura, ut nulli ex allatis diſtinctionibus admiſceatur. Hactenus Doctiſſimus Ulloa, Soc: JESU.

229. Reſpondeo argumenti primi Majorem, & Minorem Concedo. Primam & 2dam conſequentiam. Nego. Ratio utriusq; negatæ conſequentiæ eſt hæc: quia in Majori oſtenduntur prædicata *reſtricta* contradictoria, nempe hæc: *Non repugnat hominem eſſe diſcurſivum, & materiam non eſſe diſcurſivam*: in conſequenti autem ſeu in concluſione adferuntur, & inferuntur prædicata contradictoria *irreſtricta*, nempe hæc: *Eſſe & non eſſe ſimul*: ut patet ſpeculanti. Et ex eo, quòd inter materiam primam, & hominem identificata ſibi inadæquatè, poſſint

veri-

verificari contradictoria *restricta* (quod nemini dubium est) infertur quòd etiam possint verificari prædicata contradictoria *irrestricta*, nempe: *Esse & non esse simul.* Porro ex prædicatis contradictorijs *restrictis*, non possunt rectè & legitimè inferri, prædicata contradictoria *irrestricta*, quod sic probatur.

Si ex prædicatis contradictorijs restrictis vg. his: *Homo est discursivus*, *materia non est discursiva*: possent inferri prædicata contradictoria irrestricta vg. hæc: *Esse & non esse simul*, tunc vg. prædicatum contradictorium irrestrictum affirmativum, posset inferri ex prædicato contradictorio restricto affirmativo: & similiter prædicatum contradictorium irrestrictum negativum, posset inferri ex prædicato contradictorio restricto negativo; sed quamvis ex prædicato contradictorio restricto affirmativo, potest inferri prædicatum contradictorium irrestrictum affirmativum: tamen ex prædicato contradictorio restricto negativo, non potest inferri prædicatum contradictorium, irrestrictum, negativum ergo &c.

230. Probatur Minor quo ad 2dam partem. Quamvis prædicatum contradictorium irrestrictum affirmativum, potest bene inferri ex prædicato contradictorio restricto affirmativo (bene enim infertur: *Homo est discursivus*, *ergo homo est*: quia esse tale supponit simpliciter esse juxta axioma) tamen ex prædicato restricto negativo, non potest inferri prædicatum contradictorium irrestrictum negativum: non benè enim arguitur sic: *Materia non est discursiva. Ergo materia non est.* Ergo &c. Et hujus ipsius est fundamentum hoc: Quia juxta Dialecticam, à termino restricto, ad irrestrictum non valet consequentia viâ negativâ, & sic non valet argumentari: *Petrus non est beatus, ergo Petrus non est*: Item: *Terra non est fructifera, ergo terra non est.* Et sic de alijs. Ergo &c.

231,

231. Adductum ergo ab Ulloa argumentum non probat hoc, quòd ubi est identitas tantùm inadæquata, ibi saltim probabiliter possunt verificari prædicata contradictoria irrestricta: *Esse & non esse:* sed tantùm probat hoc, quòd possint verificari prædicata contradictoria *restricta*, ut patet vel modicè reflectenti. Ut ergo prædictum argumentum esset rectum, debebat sic proponi.

Quamvis inter hominem, & materiam primam, detur aliqua identitas, tamen non repugnat hominem esse, & simul materiam primam non esse. Sed hoc totum ideo verum est, quia inter hominem, & materiam primam, est identitas tantùm inadæquata. Ergo in prædicto principio, non significatur præcisè identitas inadæquata. Ergo ad impossibilitatem simultatis horum prædicatorum, esse & non esse, desideratur identitas adæquata inter subjecta.

232. Si ergo taliter argumentum proponeretur, legitima ejus esset consequentia, tamen Major ipsius absolutè negatur: quia implicat, ut unum ex identificatis etiam inadæquatè sit, & simul alterum non sit, in sensu composito identitatis inadæquatæ, seu implicat de identificatis inadæquatè, verificari pro tunc: *Esse & non esse simul* quando illa actualiter sibi identificantur inadæquatè.

233. Aliud enim est, quòd unum ex identificatis inadæquatè, possit separari ab altero, & consequenter unum esse, & alterum non esse, aliud autem est, quòd unum ex identificatis sit, & alterum non sit: illud primum potest fieri & defacto fit, in articulo mortis, hoc autem alterũ impossibile est: quomodo enim unũ alteri identificaretur inadæquatè, si unum esset, & alterum non esset. Item aliud est verificari alicubi prædicata contradictoria *restricta*; & aliud est verificari alicubi prædicata contradictoria *irrestricta* ut nemini dubium.

234.

234. Unde concludo. De identificatis realiter inadæquatè, verificantur quidem prædicata contradictoria *restricta* etiam tunc, quando illa sibi actu identificantur inadæquatè, ut omnes concedunt, tamen non verificantur prædicata contradictoria irrestricta. Sic omnes Philosophi concedunt, quòd inter hominem, & materiam primam, etiam tunc dum sibi actualiter identificantur, verificantur prædicata contradictoria restricta, vg. hæc: *Homo est discursivus, materia non est discursiva* &c. tamen nullus Philosophorum, vel Theologorum, (etiam illorum qui admittunt distinctionem prædicativam, formelem ex natura rei, virtualem intrinsecam, docet hoc, quòd inter hominem & materiam primam, etiam tunc dum sibi actualiter identificantur, verificantur prædicata contradictoria irrestricta hæc: *Esse & non esse simul.* Revolve si placet omnes Bibliothecas totius orbis, & nullum reperies Authorem, docentem hoc, quòd inter hominem, & materiam primam verificentur contradictoria irrestricta: *Esse & non esse simul.*

235. Ex his patet quid sit dicendum ad ulteriores probationes: & sic de secunda dico, quòd inter existentiam actualem, & possibilitatem creaturarum, ostendantur solùm contradictoria restricta vg. hæc: *Possibilitas est necessaria Existentia absoluta non est necessaria*: Non ostenduntur autẽ irrestricta vg. hæc: *Esse & non esse*: Ex eo autem quòd ibi verificentur prædicata contradictoria restricta, non sequitur quod debeant verificari contradictoria irrestricta, ut jam ostensum est. Idem per omnia dicendum est, ad ulteriorem probationem, ex sententia Scotistica deductam, idem & de distinctione Virtuali Thomistica. Tandem idem dicendum est de instantia ultima, ex Mysterio Sanctissimæ Trinitatis petita: ibi enim non verificantur prædicata contradictoria irrestricta vg. hæc: *Pa-*

terni-

ternitas est, Natura non est: sed tantum verificantur restricta vg. hæc: *Natura est communis Filio: Paternitas non est communis Filio.* Breviter loquendo omnibus probationibus ibidem adductis, neganda est consequentia, quia in illis manifestè arguitur, à termino restricto, ad irrestrictum, etiam in viâ negativâ; seu quia in illis, ex prædicatis contradictorijs *restrictis* in feruntur prædicata contradictoria *irrestricta.*

236. Quæres. Utrum ad evidentiam præfati principij requiratur etiam identitas rationis?

Idem supra citatus Joannes de Ulloa explicando hoc principium: *Impossibile est idem esse simul & non esse*: docet quòd evidentia hujus principij, ultra identitatem realiter adæquatam, & puram ab omni distinctione actuali, petit aliquando identitatem rationis, & dat rationem, quia inter hominem & animal, quamvis detur identitas adæquata, absq; omni mixtura distinctionis formalis, & virtualis, tamen quia distingvuntur per rationem, aperitur locus *ut animal sit genus, & homo non sit genus.*

237. Ad hoc quæsitum respondeo negativè: nam datò non concessò, quòd ad evidentiam universalem præfati principij, requireretur identitas rationis, tamen hoc non probatur ea ratione, quæ hic immediatè allata est. Ratio enim immediatè allata ex eo Authore, id tantùm probat, quòd inter distincta per rationem, possunt verificari, & defacto verificantur prædicata contradictoria restricta, vg: *Animal est genus, homo non est genus*: non probat autem hoc, quòd verificentur, aut verificari possint, prædicata contradictoria irrestricta, qualia sunt hæc: *Esse & non esse.* Unde totum hoc quod ponitur, per modum Antecedentis, Concedendum est, & neganda consequentia, quæ hîc in argumento supponitur. Et hæc omnia hîc sunt repetenda, quæ dicta sunt superiùs.

ARTICVLVS XXIII.

238. *IMplicat de identificatis realiter adæqatè verificari prædicata contradictoria realia.* Explicatio hujus principij patebit, in illo loco, ubi agemus, de hoc principio: *Quæ sunt eadem uni 3tio:* &c. hic tantùm illud dicemus: utrum hoc principium sit omnino idem, cum isto altero. *Impossibile est idem simul esse, & non esse.*

239. Dico ergo. Principium istud: *Implicat de identificatis realiter adæquatè, verificari prædicata contradictoria:* non est idem cum hoc altero: *Impossibile est, idem simul esse, & non esse.* Ratio est: quia hoc principium: *Impossibile est idem simul esse & non esse*: procedit tantùm de his determinatè contradictorijs irrestrictis. *Esse & non esse*; jam autem principium hoc: *Implicat de identificatis realiter adæquate, verificari prædicata contradictoria:* non procedit de illis determinatè contradictorijs, ut patet ex terminis: non enim determinat aliqua contradictoria, non posse verificari de uno eodemq; realiter ente, sed tantũ in communi dicit, quòd de uno eodemq; realiter ente, non possint verificari prædicata contradictoria quæcunq;.

240. Dices: Si hoc principium: *Impossibile est idem simul esse & non esse*: procederet determinatè de his in specie contradictorijs irrestrictis: *Esse & non esse*: tunc non esset universalissimum, & primum principium, sed hoc dici non potest. Ergo &c. Respondeo negando sequelam & dico: Principium hoc: *Impossibile est idem simul esse, & non esse:* est universalissimum non in hoc sensu, quasi verò procederet, de quibuscunq; contradictorijs, etiam restrictis, sed in hoc quòd in omni, & de omni ente cogitabili, verum sit dicere: *Impossibile est idem si-*

mul

mul esse, & non esse: seu omne ens cogitabile, est talis naturæ, ut de illo impossibile sit verificari ista determinata contradictoria. *Esse & non esse simul*: & hoc sufficit ad summam universalitatem ipsius.

141. *Idem manens idem, semper natum facere idem.* Axioma istud sic explicandum. Idem agens liberum, manens idem adæquatè, secundùm omnia sua requisita essentialia, & conditiones, non semper est natum facere idem, Agens tamen necessarium, manens idem adæquatè, secundùm omnia sua requisita essentialia, & conditiones, semper natum est facere idem. Ratio primæ partis est: Agens liberum istud est, quod positîs omnibûs requisitis, ex parte actûs primi, potest agere, vel non agere, vel oppositum agere, ut certum omnibus. Sed quod potest agere, vel non agere, vel oppositum agere, non est natum semper facere idem. Ratio 2dæ partis est: Agens necessarium illud est, quod habens omnia requisita ad agendum, debet omnino agere (& per hoc differt ab agente libero) Ergo &c.

ARTICVLVS XXIV.

242. *SI potest alterum sine altero esse, non erit idem.* Colligitur ex S. Augustino libr: 6. de Trinitate cap: 6. ubi inquit: *In uno quoq; corpore aliud est magnitudo, aliud color, aliud figura. Potest enim & diminuta magnitudine, manere idem color, & eadem figura: & eadem magnitudo: & figura eadem non manere tam magnum esse, & eodem modô coloratum. Et quæcunq; alia, simul dicuntur de corpore: possunt & simul, & plura sine cæteris commutari.*

243. *Ubi est Imago, ibi necessariò est similitudo.* Ita S. Augustinus libr: octoaginta quinque quæstionum, quæst: 21. & S. Thomas 1. part: quæst: 93. Art: 1. in ☉. Potest

test sic explicari: Ubi est imago, ibi est necessario similitudo *inadæquata*, non autem *adæquata*: valde enim est difficile, ut imago rei, habeat similitudinem adæquatam, cum eadem re, ut constat experientiâ. Ratio præfati axiomatis est, quia imago rei non habet identitatem cum illa re, quam repræsentat. Ergo debet habere similitudinem, saltem inadæquatam, quæ si auferatur, etiam imago non habebit rationem imaginis.

244. *Imago distinctè repræsentat id, cujus est imago.* Colligitur ex S. Augustino libr: 83. quæstionum, quæst: 74. Non est universale, quia anima humana est Imago, SS. Trinitatis, & tamen illam, non distinctè, sed valde imperfectè repræsentat.

245. *Imago est perfecta similitudo, ad suum prototypum repræsentandum expressa.* Hæc propositio desumpta est ex S. Augustino libr: 83. quæstionum, quæst: 74 & similiter est explicanda, sicut præcedens.

246. *Individuatio sumitur à materia.* Est controversum, quia inter animas rationales, & Angelos, datur individuatio, & tamen inter Angelos, & animas non datur materia.

247. *Idem non potest esse causa contrariorum.* Istud axioma varii variè explicant, S. Thomas 1. part: quæst: 55. Art: 3. ad 3tium ita limitat: idem secundùm contraria, potest esse causa contrariorum, non autem idem, secundùm idem. Potest etiam sic explicari: Idem non potest esse causa contrariorum; *quando ejus activitati, seu virtuti, repugnat causatio eorundem contrariorum, quando autem ejus activitati non repugnat,* causatio aliquorum contrariorum, tunc illud idem, potest causare contraria: sic vg. igni repugnat causare, seu producere frigus, & calorem, ideo ignis talia contraria, producere non potest: voluntati autem siquidem non repugnat elicere amorem

&

& odium diversorum objectorum imò & unius ejusdemq; objecti ideo voluntas talia contraria elicere, & producere solet: idem dicendum de intellectu, qui potest elicere verum, & falsum circa diversa objecta (imò & circa idem objectum diverso respectu & ex diversis motivis) Tandem dici potest, quod idem univocum, seu eadem causa univoca, non potest producere contraria, potest tamen causa æquivoca: sic DEUS, sicut est causa æquivoca creaturarum, ita produxit innumeras contrarias creaturas.

248. *Unum & idem numerò manens, non potest transferri de una specie, in aliam.* Videtur esse verum, de speciebus substantiarum, non autem accidentium: nam albedo si permisceatur nigredini, transit in nigredinem, & dulcedo transit in acetum, & amaritudinem, Utitur hoc dicto S. Thomas 1. 2dæ quæst: 67. Ar: 3. in ☉.

249. *Unum & idem non inclinat ad diversa, & contraria.* S. Thomas 2. Senten: ad Hannibaldum distin: 33. quæ: unica, Art: 3. ad 3tium docet, quòd licèt unum & idem, non inclinat per se, & directè, tamen per accidens, & indirectè potest inclinare ad contraria. Præterea potest sic explicari. Unum idemq; hoc est *una eadem causa necessaria,* non inclinat ad calorem & frigus: *una tamen & eadem causa libera,* potest inclinare ad contraria, *vg.* voluntas potest inclinare ad amorem, & odium, licèt amorem & odium, unius ejusdemq; objecti, respectu eodem, non potest simul componere.

250. *Intelligens in actu, est intellectum in actu.* Istud axioma sic communiter intelligitur: Intelligens in actu, *est repræsentivè intentionaliter, seu in ordine intentionali intellectum in actu, non autem realiter,* quatenus intellectus cognoscens aliquod objectum, habet in se imaginem intentionalem, verè ac propriè exprimentem, & repræsentantem, obje-

objectum cognitum. Unde in re sensus præfati axiomatis est hic: *Intelligens in actu, est vera, propria, & intentionalis imago, objecti intellecti in actu*: hanc vocem: *Intentionalis*: non sumendo in sensu Doctissimorum Bacconistarum, sed in sensu communi omnium: nempe *intentionalis per rationem*: Doctissimi enim Bacconistæ, per esse intentionale intelligunt esse reale, ut patebit in appendice de distinctione Bacconica.

251. *In composito naturali, idem est fieri, quod factum esse*. Hoc axioma sic explicandum: In composito naturali idem est *inadæquatè* fieri, quod factum esse non autem est idem *adæquatè*, seu compositi naturalis in fieri, non est omnino eadem adæquatè essentia, sed tantùm eadem inadæquatè.

252. *Implicat rem aliquam transire, ab uno contradictorio ad aliud, sine sufficienti mutatione*. Istud principium (quantùm spectat ad materiam de determinationibus rerum, ex se indifferentium) habet sensum istum: *Implicat rem, quantùm de se penitus indifferentem, ex indifferenti fieri determinatam ad aliquid, sine aliqua determinatione ad idem aliquid*. Universaliùs autem loquendo pro omni materia, habet sensum istum: Si *vg.* ipsum contradictorium negativum, transit ad aliquid, positivum, tunc debet aliquid poni de novo positivum: & è converso: si contradictoriũ positivũ transit ad aliquid negativũ, tunc debet aliquid tolli positivum. Sic *vg.* quando Petrus, à non esse legentis, transit ad esse legentis, tunc temporis debet aliquid poni de novo positivum, nempe ipsa lectio Petri: quando autem idem Petrus, transit ab esse legentis, ad non esse legentis, seu ex legente fit non legens, tunc temporis debet aliquid tolli positivum, nempe ipsa lectio Petri.

ARTICVLVS XXV.

DE illo notissimo principio: *Quæ sunt eadem uni 3tio sunt eadem inter se.* Ubi simul tractatur, de modo salvandi Mysterium SSmæ Trinitatis, ab argumentis Infidelium, per supereminentiam ejusdem Trinitatis Divinæ.

253. Hoc principium est Aristotelis 1. Physicorum, ubi inquit: *Quæcunq; uni eidem sunt eadem, illa inter se unt eadem.* Sicut ergo in alijs principiis, ita specialiter in hoc principio explicando, desudârunt, & hactenus desudant Theologi, ut vel contradictionem evitent (quæ hîc ab Ethnicis opponi solet) vel saltem temperent, & diminuant. Huic difficultati occasionem dedit Sacrosanctum, & ineffabile Mysterium SSmæ Trinitatis Divinæ: in hoc enim ineffabili Mysterio, aliqua duo *vg.* Pater & Filius, sunt eadem, seu identificata realiter adæquatè uni 3tio, nempè Naturæ, seu Essentiæ Divinæ, & tamen Pater & Filius, non identificantur inter se. Pariter in eodem Mysterio SSmæ Trinitatis, Natura Divina identificatur realiter adæquatè Personis Divinis, & tamen Naturæ Divinæ, & Personis, competunt prædicata contradictoria realia, ut constat ex Concilio Lateranensi Cap: *Damnamus*, de Summa Trinitate, ubi Concilium sic decernit: *Nos Sacrô approbante Conciliô credimus, & confitemur, quòd una quædam summa Res est, incompræhensibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres simul Personæ, ac sigillatim quælibet earundem, & ideo in DEO solummodo est Trinitas, non quaternitas, quia quælibet earum Personarum, est illa Res, (scilicet substantia seu Natura Divina) quæ sola est universorum principium, præter quod, aliud inveniri non potest: & illa Res videlicet Natura, non est generans, neq; genita, neq; procedens: sed est Pater qui generat,*

Filius

Filius qui gignitur, Spiritus Sanctus qui procedit, ut distinctiones sint in Personis, & Unitas in Natura.

254. Unde licèt Paternitas generet, natura non generat: licèt Filius sit genitus, Natura tamen Divina non est genita: licèt Spiritus Sanctus sit procedens, Natura tamen Divina, non est procedens. Breviùs loquendo Mysterium SSmæ Trinitatis, consistit in hoc, quòd uni eidemq; Naturæ Divinæ, adæquatè identificentur tres Personæ, ita ut de illa seorsim affirmentur & prædicentur, & tamen non identificantur inter se: item quòd Naturæ Divinæ & Personis, cum eadem Natura identificatis realiter adæquatè, competant prædicata contradictoria. Hoc supposito ex Fide, Mysterium Trinitatis videtur repugnare illis principiis: *Quæ sunt eadem uni 3tio, sunt eadem inter se:* item illi alteri principio: *Implicat de identificatis realiter adæquatè, verificari prædicata contradictoria.*

255. Circa hoc principium, & alia huc spectantia, plurimæ sunt Authorum Sententiæ: & sic aliqui illud explicant recurrendo ad distinctionem virtualem intrinsecam Naturæ Divinæ à Personis, alii recurrunt ad distinctionem formalem ex natura rei, alii ad distinctionem realem in 3tio, alii ad alias distinctiones & modos, quas & quos referunt passim Authores, à quibus referendis, brevitatis studiò, abstineo: sed hi omnes modi judiciò plurimorum Authorum, non sunt plenè sufficientes, & efficaces ad solvendas difficultates tanti Mysterii.

256. Facillima, & recentissima circa hoc principium, & alia quæ hic ab Infidelibus opponuntur, est sententia illa, quæ prædictum principium & alia huc spectantia, non explicat recurrendo ad distinctionem virtualem intrinsecam, aut formalem ex natura rei, vel realem in 3*tio* vel aliam quamcunq; realem, sed recurrit ad supereminentiam Trinitatis Divinæ, supra lumen naturæ,

turæ, & ſupra principia lumine naturæ nota, ſeu ad id quòd Myſterium Trinitatis Divinæ ſit Ens poſitum ſupra lumen naturæ & in fundamento præfatæ ſupereminentiæ præfatum principium explicat, & alia ſimilia. Nos autem antequam præfatam explicationem dabimus, præmittemus quæſtionem de modo ſalvandi Myſterium SSmæ Trinitatis, ab argumentis infidelium.

Q V Æ S T I O.

257. *Utrum Myſterium SSmæ Trinitatis poſſit ſalvari ab argumentis Infidelium per ſuam ſupereminentiam ſeu per hoc quòd idem Myſterium ſit ſupra lumen naturæ & ſupra principia lumine naturæ nota?*

Antequã reſpondeã præſuppono 1mo: quòd Myſteriũ Trinitatis ſit ſupra lumen naturæ creatæ, & ſupra principia lumine naturæ nota. Hæc veritas certa eſt apud SS. Patres, & Theologos inferiùs citandos. Porro ens poſitum ſupra lumen naturæ eſt illud, de cujus poſſibilitate non conſtat, nec conſtare poteſt ex lumine naturæ, independenter à lumine fidei Divinæ, omniq; alio lumine ſupernaturali: & ſimul conſtat de illo, vel conſtare poteſt ex lumine fidei Divinæ, vel alio lumine ſupernaturali. Et tale ens poſitum ſupra lumen naturæ eſt SSma Trinitas & Myſterium Incarnationis. Allata immediatè definitio, & ipſum præſuppoſitum primum, infundatur S. Auguſtino qui lib: de Spiritu & Anima cap: 12. inquit: *Quædam ſunt infra rationem, quædam juxta rationem, quædam ſupra rationem. Infra rationem ſunt, quæ ſenſu percipimus, ut dura, mollia, calida, frigida. Juxta rationem ſunt, quæ ratione percipimus, ſicut commoda incommoda, vera, & falſa. Supra rationem ſunt, quæ nec ſenſus docet, nec ratio perſvadet, ſed à Divina revelatione comprehenduntur, ſicut DEUM eſſe Trinum, in una ſubſtantia, & in Tribus Perſonis UNUM.*

258. Præſuppono 2do. Siquidem Myſterium SSmæ Trinitatis, eſt ſupra lumen naturæ, eſt ſupra principia lumine naturæ nota, ideo in eodem Myſterio, potior & ſuperior debet eſſe ratio, & Authoritas fidei Divinæ, ac ipſa Authoritas DEI dicentis, quàm quæcunq; alia ratio naturalis etiam certa Metaphiſicè, ac evidens ex ipſis terminis. Conſtat hæc veritas ex Pſalm: 97 *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis:* & ex Joan: Epiſt: 1. cap: 5. *Si teſtimonium hominum accipimus teſtimonium DEI majus eſt.* Et ex S. Aug: libr: 7 Confeſ: 10. dicente: *Facilius dubitarem me vivere, quàm non eſſe veritatem quàm audivi iu corde.* His præmiſſis.

259. Reſpondeo & dico: Myſterium SSmæ Trinitatis ſalvatur, & ſalvari poteſt ab argumentis Infidelium, & à chimericitate infidelibus apparente in hoc Myſterio, per ſe ipſum poſitum ſupra lumen naturæ, ſeu per ipſam ſuam ſupereminentiam, cum adminiculo tamen diſtinctionis rationis, quæ fieri ſolet per actum intellectûs. Ita quo ad 1mam partem, Doctiſſimus & ſupereminens Profeſſor meus, R. P. Joánnes Gſowſki S. J. tam pietate, quàm ſcientiâ Glorioſiſſimus, & omnibus ex utroq; amabilis, in docendo facillimus, in explicando clariſſimus, in oppugnando invictiſſimus, in ſolvendis difficultatibus admirabilis. Pro hac ſententia idem laudatiſſimus Profeſſor citat 1mo S. Scripturam, 2do Concilia, Nicænum, Lateranenſe, Antiochenſe, 3tio SS Patres, qui perſvadendo infidelibus Myſterium SSmæ Trinitatis, & defendendo illud ab argumentis eorundem infidelium, ſemper recurrebant ad ſupereminentiam Trinitatis Divinæ, & quòd Divina Trinitas, ſuperet omnem captum intellectûs noſtri. Et ſic S. Dionyſius de Divinis Nominibus in principio Capitis 1mi inquit: *Sit nobis illa Divinorum Scriptorum ante præſcripta lex, ut veritatem doceamus eorum, quæ de DEO dicuntur,*

tur, non in persvasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione veritatis Theologorum, quæ agitata est à Spiritu. S. Joánnes Damascenus, ut fidem & veritatem ejusdem Mysterii Infidelibus persvaderet, eorumq; rationes solveret tunc libr: 1mo fidei cap: 8vo recurrit ad hoc, quòd *DEUS sit supereminens, ultra omnia, omniprincipio, & ordini superlocatus.*

260. Pariter S. Augustinus solvendo argumenta Arianorum aliorumq; Infidelium, non recurrit in solvendis argumentis illorum, ad aliquam distinctionem virtualem intrinsecam, formalem ex natura rei, vel realem in 3tio, vel ad distinctionem Bacconicam, pariter realem in linea intentionali; sed ad id, quod Mysterium SSmæ Trinitatis, sit supra lumen naturæ. Unde solvendo illam objectionem quod totum sit plus & majus sua parte docet, in rebus corporeis ita esse, non tamen in illa Summa Trinitate: ut constat libr: 7mo cap: 6. ubi idem S. Aug: inquit: *In his rebus* (intellige creatis) *non tantum est unus homo, quantum tres homines simul, at in DEO non ita est: non enim major est essentiâ Pater, Filius, & Spiritus Sanctus simul, quàm solus Pater, aut solus Filius, quod animalis homo non percipit: non enim potest cogitare, nisi moles & spatia, volitantibus in animo ejus phantasmatibus, tanquam imaginibus corporum* Tandem ad finem ejusdem capitis addit: *Quod si intellectu capi non potest, fide teneatur, donec illucescat in cordibus ille, qui ait per Prophetam: nisi credideritis non intelligetis.* Præterea idem S. Aug: libr: 8. cap: 1. dicit: *In hac Trinitate dicimus non esse majus aliquid, duas, aut tres Personas, quàm unam: quod non capit consvetudo carnalis, non ob aliud, nisi quia vera, quæ creata sunt, sentit, ut potest, veritatem autem ipsam quâ creata sunt, non potest intueri.* Adextremum idem S Aug: libr: 7mo cap: 4. recurrit ad supereminentiam Trinitatis Divinæ dum inquit: *Cum ergo quæritur quid tria vel tres? conferimus nos ad inveniendum ali-*

quod speciale vel generale nomen, quo complectamur hæc tria: neq; occurrit animo, quia excedit supereminentia Divinitatis usitati eloquii facultatem.

261. S. quoq; Anselmus libr: de Incarnatione cap: 6. inquit: *Si negat tria de uno dici posse, sicut nos in his tribus Personis, & Uno DEO facimus, quoniam hoc in alijs rebus non videt, neq; id in DEO intelligere valet, sustineat paulisper aliquid, quod ejus intellectus penetrare non possit, in DEO esse, nec comparet Naturam, quæ supra omnia est, liberam ab omni lege, & loci, & temporis, & incompositionis rebus alijs, & credat aliquid in ea esse, quod in alijs esse nequeat.*

262. Eandem doctrinam & sententiam expresse tradit Doctor Angelicus S. Thomas, qui 1. part: quæst: 32. Art: 1. inquit: *Per rationem igitur naturalem cognosci possunt de DEO ea, quæ pertinent ad unitatem Essentiæ, non autem ea, quæ pertinent ad distinctionem Personarum. Qui autem probare nititur Trinitatem Personarum naturali ratione: fidei dupliciter derogat. Primò quidem quantum ad dignitatem ipsius fidei, quæ est, ut sit de rebus invisibilibus, quæ rationem humanam excedunt &c: Secundò quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem, cum enim aliquis ad probandam fidem, inducit rationes, quæ non sunt cogentes, cadit in irrisionem, Infidelium: credunt enim, quod hujusmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus. Quæ igitur fidei sunt, non sunt tentanda probari* (præsertim in Mysterio Trinitatis vel Incarnationis) *nisi per Authoritates his, qui Authoritates suscipiunt, apud alios verò sufficit defendere, non esse impossibile, quod prædicat fides.* Præterea idem Doctor Angelicus libr: 1 cap: 5 contra gentes inquit: *Tunc solum verè DEUM cognoscimus, quando ipsum credimus, super omne id, quod de DEO cogitari ab homine possibile est, eoq; quòd naturalem hominis cognitionem, Divina substantia excedat, per hoc enim quod homini aliqua de DEO proponuntur, quæ rationem excedunt, firmatur in homine opinio, quòd DEUS sit aliquid, supra id, quod cogitari potest.* Ex adductis SS. Patri-

Patribus conſtat quod illi in ſalvando Myſterium Trinitatis recurrant ad ſupereminentiam ejuſdem Myſterii, & ultimatò ad fidem.

263. His omnibus adjungo S. Ephræm Syrũ, qui in Orientali Eccleſia floruit circa Annum D. 372. hic agendo contra Arianos de Myſterio Auguſtiſſimæ Trinitatis, exponit illud per ſimilitudinem ſolis, dum inquit: *Lucerna noſtra ſol eſt nec tamen ullus potis eſt ſolem capere. Qui ergò hominem? qui ipſum DEUM* (intellige unũ in Trinitate quis capere poteſt) Et Inferius idem inquit: *Evangelium eſt admirabile tuum ſpeculum, & in eo nemine diſcrepante Tres videntur, in quibus Apoſtoli per orbem diffuſi, ſine diſceptatione, Baptiſmum miniſtrarunt.* Tandem idem S. Ephræm inquit: *Mirare & obſtupeſce, tuamq; his mentem finibus circumſcribito neq; tuas cogitationes ad inanes quæſtiones proſilire ſinas. Accipe parabolam: Sol Pater eſt, lux Filius, ardor Spiritus Sanctus. Quùmque Unus ſit, Trinitas in eo paret: & quoniam incompræhenſibilis eſt, quis illum exponet? Unus qui multiplex: Unus qui Tres: & Tres ſunt Unum. Inextricabilis labor, & miraculum clariſſimum! Diſtiɴguitur ſol à ſua luce: diſtincti ſunt & æquales, & ipſa lux ſol eſt. Duos autem ſoles nemo dicit, quùm lux ſol ipſe ſit etiam quando ad ima porrigitur. Duos itaq; Deos non dicimus, quùm idem ſit Dominus & DEUS noſter, etiam quùm ad creaturas deſcendit. Quod tibi difficile eſt ecce oſtendi tibi: Unum quod Tres eſt, Trinitas una eſſentia.* Hactenus S. Ephræm. Hæc verba S. Ephræm, refert Joſeph Simonius Aſſemanus Syrus Maronita S. T. D in ſua Bibliotheca Orientali Clementino-Vaticana à folio *109.* ñro 40 uſq; ad folium *114.* & nru: 72. & 73. Ex quibus S. Ephræmi verbis patet quod in perſvadendo infidelibus Myſterio Trinitatis non recurrat ad ullam diſtinctionem realem, ſed primo recurrit ad Evangelium 2do ad id, quod Trinitas Divina ſit incompræhenſibilis conſequenter ſupereminens.

264. Probatur 2do eadem concluſio: Per id ſalvari

poteſt

poteſt Myſterium SSmæ Trinitatis ab argumentis Infidelium, per quod ſolvi poſſunt omnia argumenta Infidelium pugnantia contra idem Myſterium Trinitatis. Sed per id quod Myſterium SSmæ Trinitatis ſit ſupra lumen naturæ & ſupra principia lumine naturæ nota ſolvi poſſunt omnia argumenta Infidelium contra Myſterium Trinitatis pugnantia, cum adminiculo diſtinctionis rationis (quæ inter Naturam Divinam & Perſonas admitti debet) Ergo &c. Major patet quia per ſalvationem ſeu defenſionē Myſterii Trinitatis ab argumentis Infidelium, nihil aliud hic intelligitur niſi modus ſolvendi eadem argumenta Infidelium. Minor probatur argumentô negativô. Quia nullum Infidelium argumentum oſtendi poteſt, quod ſolvi non poſſit, per ſupereminentiam Trinitatis Divinæ ſupra lumen naturæ, cum ad miniculo diſtinctionis, rationis, ut patebit ſolutione objectionum.

265. Pro ſolvendis objectionibus cum ſupra citato ſupereminente Profeſſore illud præmittendum cenſeo. Suppoſita hac infallibili veritate tanquam principio, quòd Myſterium SSmæ Trinitatis ſit ſupra lumen naturæ & ſupra principia lumine naturæ nota, & quod ratio fidei Divinæ ex ſupernaturali lumine habita, debeat eſſe majoris momenti, item quod ſit ſuperior & potior ſupra quamcunq; rationem naturalē, ſupraq; ipſa prima principia lumine naturæ nota: tunc in hoc fūdamēto omnes objectiones curabimus ſolvere hâc diſtinctione, quòd principia naturalia, & lumine naturæ nota procedant de creatis, & de ijs quæ ſunt ipſo lumine naturæ nota aut cognoſcibilia ſive immediate ſive mediate ſeu per diſcurſum independenter à lumine ſupernaturali fidei Divinæ tanquā motivo: non autē procedant de increato Myſterio Trinitatis poſito ſupra lumen naturæ: ſuppoſita tamen ſemper diſtinctione rationis inter Naturā Divinā & Perſonas. Seu quod in re idē eſt, vel ex eodē ſequitur, quod principia

lumi-

lumine naturæ nota extendant se non nisi ad illa, ubi in contra non habetur nec haberi potest ratio potior, ex lumine supernaturali fidei Divinæ & omni alio: non autẽ ad illa, ubi in contra habetur vel haberi potest talis ratio.

266. Probatur 3tio: Ille modus ad salvandũ Mysteriũ SSmæ Trinitatis est admittendus, qui prodest & sufficit, non tantũ ad convincendos Infideles, sed etiam ad convincendos rudes Catholicos, de veritate Mysterii Trinitatis. Sed modus salvandi Mysteriũ Trinitatis, ab argumentis infideliũ, per supereminentiã ejusdẽ Trinitatis, est talis, qui prodest & sufficit, non tantũ ad convincendos Infideles sed etiã ad convincendos rudes Catholicos, de veritate ejusdem Mysterii Trinitatis. Ergo &c.

Major patet, quia de veritate Mysterii Trinitatis, non tantùm sunt convincendi Infideles, sed etiam rudes Catholici, casu quo, per aliquam tentationem, de eodem Mysterio dubitarent.

267. Minor probatur: Si aliquis rudis, & indoctus Catholicus, proximus morti, pateretur gravẽ tentationẽ, de veritate Mysterii Trinitatis, & ex suggestione dæmonis, inciperet dubitare, de veritate præfati Mysterii, tunc Confessarius disponens illũ ad mortẽ, posset uti cõmodissimè supereminẽtia Trinitatis Divinæ, ad dissolvendas ejus tentationes, possetq; illi dicere, quod hoc Mysteriũ sit positũ supra lumen naturæ, & supra captũ intellectûs nostri, & pro hoc ipso posset adducere Sacrã Scripturã, Concilia, & SS. Patres, qui omnes unanimi voce docent, quòd hoc Mysteriũ, sit supra lumen naturæ, & superet captũ intellectûs nostri, adeoq; hic non est sequenda, & spectanda ratio naturalis, sed lumen fidei, docẽtis veritatẽ hujus Mysterii. non posset autẽ prædictus Confessarius, in dato casu tentationis, uti distinctione reali in 3tio, vel quacunq; alia distinctione reali Bacconica. Sed in hoc casu tentationis, rudi & indocto Catholico, per dæmonem

sug-

suggestæ, supereminentia Trinitatis prodesset, & inservi-
ret optimè, ad convincendum rudem, & indoctum Catho-
licum. Ergo &c.

Prima pars Majoris patet: Quia Doctores Catholici, dum difficultates contra Mysteriũ Trinitatis Ethnicis objectas, rationibus naturalibus solvere, & superare non possunt, tunc recurrunt ad id, quod hoc Mysteriũ, sit supra lumen naturæ, & supra captũ nostri intellectûs, adeoq; hic noster intellectus est captivandus, & credendũ est hic, quod Sacra Scriptura, Concilia, & SS. Patres, & ipsa fides docet, adeoq; & Confessarius in dato casu tentationis, rectissimè, & prudentissimè ad id recurreret.

268. Secunda pars Majoris probatur: Si Cofessarius dubitanti rudi Catholico, de veritate hujus Mysterii, vellet eidẽ persvadere veritatẽ prædicti Mysterii, & diceret: omnino debes reijcere omnes istas tentationes, & dubietates, tenerisq; credere Mysteriũ Trinitatis, quia ibi datur distinctio virtualis intrinseca Naturæ à Personis, vel formalis ex natura rei, vel distinctio realis in 3tio, vel intentionalis Bacconica, vel quæcunq; alia distinctio realis, aut tandẽ quia ibi datur distinctio rationis ratiocinatæ, separata à supereminentia tunc tali medio, & motivo dicendi, ac persvadendi, nihil proficeret, & hominem rudem, subjectum tentationi non convinceret. Ergo &c.

269. Probatur antecedens: Confessario taliter svadenti, posset dicere, rudis & indoctus homo. Ego penitus non capio, quid sit distinctio virtualis intrinseca, formalis ex natura rei, distinctio realis in 3tio, realis Bacconica, vel alia quæcunq; distinctio realis, proinde mihi persvades ignotũ, per ignotum, consequenter sicut in Mysterio Trinitatis affligor tentationibus, ita prædictis distinctionibus quas mihi adfers, non sum convictus, & illustratus, sed magis obtenebratus, & ita involutus, ut nihil horũ intelligere possim, nec valeo capere ve-

re veritatem hujus Myſterii. Ergo &c. In dato ergo caſu ſi ita reſponderet homo rudis in tentatione graviſſima exiſtens, quæro quid reſponderet Confeſſarius vel Theologus etiam peritiſſimus? certe non poſſet ad aliquid aliud recurrere, niſi ad hoc quòd Myſterium Trinitatis ſit ſupra lumen naturæ, & ſupra captum noſtri intellectûs.

270. Similis vel major difficultas, poſſet contingere cum Theologo Catholico, caſu quo in agone vitæ inijceret ipſi dæmon dubietates, & tentationes, de veritate hujus Myſterii, nam licèt ille noſceret prædictarum diſtinctionum naturas, & explicationes, tamen per graviſſimam tentationem, ita poſſet à dæmone obfuſcari, & oppoſitis rationibûs involvi, ut inciperet dubitare, & vacillare: quare in dato caſu, tutiùs eſt recurrere ad id, quod hoc Myſterium, ſit ſupra lumen naturæ & ſupra captum intellectûs noſtri, quàm ad quamcunq; prædictã diſtinctionem, ſine adminiculo ſupereminentiæ Trinitatis Divinæ. Et ratio eſt, quia multi Theologi, etiamſi ſalvent Myſterium Trinitatis contra Infideles, per aliquam diſtinctionem *vg:* virtualem intrinſecam, formalem ex natura rei, vel realem in 3tio, tamen etiam ante tentationem conſcii ſunt, & hoc ipſum fatentur, quòd prædictæ diſtinctiones, non ſufficiant adæquatè ad ſalvandum Myſterium Trinitatis. Unde dum premuntur difficultatibus recurrunt ad id, quòd hoc Myſterium, ſit ſupra lumen naturæ.

271. Ad hoc argumentum reſpondere quisquam poterit. Diſtinctio rationis ratiocinatæ fieri ſolita per actũ intellectûs, admittitur à nobis, pro modo ſalvativo: & tamen ſi homini rudi, dubitanti de veritate Myſterii Trinitatis, perſvaderet Confeſſarius vel Theologus etiam doctiſſimus, ut credat idem Myſterium, quia ibi datur

 diſtin-

distinctio rationis ratiocinatæ, per hoc non convinceret hominem rudem, quia ille posset respondere, se non intelligere, quid sit distinctio rationis ratiocinatæ. Ergo prædicta distinctio rationis, non sufficit pro modo salvativo Mysterii Trinitatis: sicut ex eadem ratione, non sufficit distinctio virtualis intrinseca, formalis ex natura rei, vel realis in 3tio, vel alia quæcunq; distinctio realis.

272. Respondeo. Distingvo antecedens: Distinctio rationis *se sola* admittitur à nobis pro modo salvativo, nego antecedens. Distinctio rationis *conjuncta cum supereminentia Trinitatis Divinæ*, admittitur à nobis pro modo salvativo, seu pro aliquo adminiculo, solvendi argumenta Infidelium. Concedo antecedens. Similiter distingvo consequens. Ergo distinctio rationis *se sola* non sufficit pro modo salvativo. Concedo Consequentiam. Ergo distinctio rationis *conjuncta cum supereminentia Trinitatis Divinæ* non sufficit pro modo salvativo seu aliquo adminiculo, solvendi argumenta infidelium. Nego Consequentiam, ac dico. Quando nos admittimus distinctionem rationis, pro modo salvativo, non admittimus illam solam, sed conjunctam cum supereminentia Trinitatis Divinæ, quia sola distinctio rationis non sufficit, ad solvendas difficultates hujus Mysterii. Quando verò alii Authores admittebant, & hactenus admittunt suas distinctiones, pro modo salvativo, tunc admittunt illas solas, sine supereminentia Trinitatis Divinæ, quia pro modo salvativo, non assignant eandem supereminentiam. Unde quando hominem rudem dubitantem de Mysterio Trinitatis, vellent convincere, tunc innitendo suæ doctrinæ, & principiis, non deberent recurrere ad supereminentiam prædictam, sed vel ad distinctionem virtualem intrinsecam, vel formalem ex natura rei, vel realem in 3tio. Nos autem siquidem supereminentiam Trinita-

nitatis Divinæ, admittimus pro principalissimo modo salvativo, distinctionem autem rationis pro minus principali, seu pro aliquo tantùm adminiculo, ideo in casu prædicto, prudentissimè recurreremus ad præfatam supereminentiã, omissâ distinctione rationis, quia ad rudẽ convincendũ sufficeret, ipsa supereminentia Trinitatis Divinæ.

273. Urgetur. Quoniam supereminentia Trinitatis Divinæ, est modus principalissimus, ad salvandum idem Mysterium ab argumentis Infidelium, tunc quæres ad quid ibi prodest distinctio rationis. Respondeo distinctio rationis imò prodest ad satisfaciendum illi opinioni, & sensui illorum Theologorum, qui constantissimè docent, quòd per supereminentiam nullo modo potest salvari Mysterium Trinitatis, *sine omni omnino distinctione etiam rationis:* ut ergo huic opinioni non contradicamus, admittimus distinctionem rationis etiam pro modo salvativo, quamvis confiteamur quòd illa sit valde modicum adminiculum, ad solvendas difficultates Mysterii. 2dò. Distinctio rationis prodest ad hoc, ut ostendamus, quòd licèt de Natura Divina identificata realiter adæquatè cum Personis, verificentur prædicata contradictoria, tamen simul verificantur de eadem Natura Divina, distincta per rationem ab ijsdem Personis.

274. Urgetur ulteriùs. Distinctio rationis conjuncta cum supereminentia Trinitatis Divinæ, sufficit ad solvendas difficultates ejusdem Mysterii. Ergo distinctio virtualis intrinseca, formalis ex natura rei, realis in 3tio vel Bacconica, si conjungatur cum supereminentia præfata sufficit ad solvendas easdem difficultates. Respondeo concesso Antecedente nego Consequentiam. Disparitas est, quia à Conciliis sola distinctio rationis admittitur inter Naturam Divinam & Personas ut patet ex Concilio Lateranensi inferiùs citando de distinctione au-

tem virtuali intrinseca; formali ex natura rei, vel reali. in 3tio, vel Bacconica, nulla est mentio in Conciliis. Disparitas ulterior patebit in Articulo immediatè sequenti.

275. Tandem opponi potest. Modus salvandi Mysterium Trinitatis per supereminentiam est Catheticus non Theologicus, quia ultimato recurrit ad fidem & videtur salvare idem Mysterium per fidem. Ergo non debet à Theologis usitari. Respondeo: sicut Apostolus dixit ad Roman: 1mò: *Non enim erubesco Evangelum*, ita ego non erubesco Cathechismum: Cathechismus enim fundatur in Evangelio, in Concilis & SS. Patribus, proinde & nos possumus uti Cathechismo tàm gravibus fundamentis innixo. Præterea Cathechismus fundatur in Theologia, quare ergo Theologi non debent uti Cathechismo, quando necessitas exigit. Neq; inconveniens est, recurrere hic ad fidem, quia nos Propheta monet, & S. Augustinus ex illo, *nisi credideritis non intelligetis*. Et Concilium Nicænum de summa Trinitate inquit: *Omnem intellectum atq; sermonem superat, & sola fide percipi potest.* Tandem SS. Patres supra citati & gravissimi Theologi in salvando Trinitatis Mysterio recurrunt ad fidem, proinde & nobis recurrere licebit. Et sic inter alios Joannes de Ulloa in Prodromo Disp: 1. Cap: 3. agendo circa hoc principium. *Quæ sunt eadem uni 3tio* inquit: *Hujus distinctionis neq; vestigium invenimus apud vetustos Philosophos, verùm præter illos audivimus alios Magistros, qui distinctionem hanc nos decuerunt: olim una tantùm identitatis species noscebatur, videlicèt omnimoda & totalis convenientia in omnibus, & per omnia, ast ubi primùm Spiritus Sanctus docuit homines. Trinitatis Mysterium, per illam formam, quâ jussi sumus baptizare ac baptizari*, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, *aliam identitatis speciem penitus latentem pandidit hominibus, eam nimirum, quæ miscetur capacitati suscipiendi duo prædicata,*

alias

alias contradictoria intrinsecè. Cum igitur veritates metaphysicas, universalesq; oporteat metiri, non regulâ solâ, quam subministrat lumen naturale, sed illâ etiam, quam fides Divina præbet (quæ profectò non minùs idonea est docendo, quàm ratio naturalis) ideo principia hæc intelligere debemus, non tantùm juxta sensum naturæ rationalis, sed etiam supernaturalis.

276. Adverto tamen quòd nos argumenta Infidelium non solvimus immediatè per fidem, ut patebit ex solutione objectionum, sed solvimus per supereminentiam Trinitatis Divinæ, innixam fidei & motivis credibilitatis, cum adminiculo distinctionis rationis, quæ datur inter Naturam Divinam & Personas.

277. Dices primò contra argumenta ex Conciliis & SS. Patribus adducta, S. Augustinum & Thomam & alios SS. Doctores ac Theologos cum tota antiquitate, docere primò Mysterium SSmæ Trinitatis esse supra lumen rationis, eô sensu, quòd Mysterium hoc ejusq; existentia, orbi, seu creaturis rationalibus, ex nulla ratione purè naturali innotuerit, aut innotescere potuerit, sed quòd unicè ipsis innotuerit per Revelationem Divinam, & per lumen supernaturale fidei.

278. Respondeo quando SS. Patres docuerunt Mysterium SS. Trinitatis esse, supra lumen rationis in eo sensu, quòd hoc Mysterium, ejusq; existentia, ex nulla ratione purè naturali possit innotescere creaturis rationalibus, sed per solam revelationem Divinam, tunc Recentiores Theologi, frustra recurrunt in salvando, & defendendo hoc Mysterio ab argumentis Infidelium, ad rationes purè naturales, quia hæ non sufficiunt ad convincendos Infideles, de veritate hujus Mysterii. Porrò distinctiones reales, Naturæ Divinæ à Personis, quas Theologi excogitârunt, ad defendendum hoc Mysterium, sunt rationes purè naturales, quia de illarum revelatione nullibi constat.

279

279. Dices secundò, SS. Patres docent difficultates, & argumenta Infidelium, contra Mysterium Trinitatis à Fidelibus omnibus, solutione (cujus etiam rudissimi capaces sint) solvi debere per hoc, quòd dictum Mysterium sit supra lumen rationis, & quòd intellectus, ut ei assentiatur, captivari debeat in obsequium fidei. Non docent verò iidem Sancti Patres, non posse hujusmodi difficultates solvi aliter, nisi per recursum ad solam fidē, idque cum exclusione cujusvis distinctionis, inter Essentiam & Personas Divinas. Cum S. Thomas, & longè plures Theologi scholastici, iiq tales, quibus utpote vicinioribus temporum, in quibus vixerunt, SS. Patres, mens eorundem, & totius antiquitatis, innotescere potuit, docuerint inter Essentiam & Personas Divinas, dari aliquam distinctionem, quam alii volebant esse distinctionem rations, alij virtualem intrinsecam, alii formalem ex natura rei, alij aliam, & per recursum ad tales distinctiones, solverint argumenta Infidelium.

280. Respondeo 1mò: Modus salvandi, seu defendendi Mysterium Trinitatis ab argumentis Infidelium, per hoc, quòd dictum Mysterium sit supra lumen rationis, & quòd intellectus captivari debeat, in obsequium fidei, est talis, cujus etiam rudissimi capaces sint. Ergò hic modus potiùs est eligendus, quàm aliquis alius, qui sit difficilis, & imperceptibilis à rudibus. Conclusiones enim Theologicæ in docendo Mysterio, Trinitatis, potiùs debent attendere salutem rudium, quàm difficultates & speculationes Theologicas, planè inexplicabiles, & penitùs imperceptibiles: quas ultimatò ipsi Theologi solvere nequeunt, & ultimatò coguntur recurrere ad id, quod hoc Mysterium sit supra lumen naturæ, & supra principia lumine naturæ nota. Tandem ipsi Theologi etiam doctissimi, in scrutando, penetrando & percipiendo

do

do Myſterio SS. Trinitatis fatentur ſolam imbecillitatẽ, juxta illud S. Hieronimi libr: 18. in Iſaiam dicentis: *Trinitatis recta confeſſio, ignoratio ſcientiæ.*

281. Reſpondeo 2dò: Sancti Patres, aliqui docent difficultates Trinitatis Divinæ, debere ſalvari per hoc, quod id Myſterium ſit ſupra lumen naturæ: alii docent debere ſalvari per ſolam fidem, ut conſtat ex Concilio Lateranenſi *Cap: Damnamus.* Superiùs citato, nro 253. & ex Concilio Nicæno quod de Summa Trinitate ſic inquit: *Omnem intellectum, atq; ſermonem ſuperat, & ſola fide percipi poteſt.* Conſtat item ex S. Auguſtino ſuperiùs citato, ubi inquit: *Quod ſi intellectu capi, non poteſt, fide teneatur.* Et ex Sancto Thoma pariter ſuperiùs citato, & dicente: *Apud alios vero* (nempe apud Ethnicos qui ſupereminentiam Trinitatis Divinæ non admittunt) *non eſſe impoſſibile, quod predicat fides.* Huc ſpectat quod dicit Doctiſſimus Joannes de Ulloa diſp: 1ma Prodromi cap: 4to numero 44. *Si perconteris an abſolutè, & univerſaliter loquendo, ſit verum; identificari inter ſe, quæ identificantur cum tertio omnino ſingulari? Reſpondeo negativè, licet enim Authoritas, atq; ratio naturalis reſpodeant affirmativè,* habemus nos firmiorem propheticũ ſermonẽ, cui bene facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco. *Porro firmior ſermo eſt, quem protulit Theologus ille;* & hi tres unũ ſunt, *quo docemur aliqua eſſe realiter diſtincta, quamquam identificentur cum uno tertio. Si rurſus perconteris: an determinate in Divinis, vigeat præfatum principium? Reſpondeo vigere cum limitatione, quam ſupra dedi. Si demum inquiras rationem, ob quam ſine limitatione illa, non ſubſiſtat in Divinis? Reſpondeo, immediata ratio eſt, quia Divinæ Relationes identificantur, cum una Eſſentia, & tamen diſtingvuntur ad invicem; hujus ratio à priori, eſt earumdem Natura, ut jam dixi, & quidditas: motivum autem credendi, atque dicendi, hanc eſſe ipſarum natu-*

ram, & quidditatem, est sola Divina Authoritas id testificans; & in quam, tamquam in ultimum resolutivum, totum hoc reducitur negotium. Sic roganti: cur homo discurrat? Apposite respondemus, quia est rationalis: quaerenti ulterius, quare sit rationalis? Respondemus, quia haec est ipsius natura: insistenti ad huc importune, cur haec sit hominis natura, vel unde nobis constet, hanc esse suam naturam; recurrimus ad experientiam, vel inquisitoris stoliditati condolemus. Hactenus Joannes de Ulloa.

282. Hîs ergo omnibûs attentis, censeo: quòd ad solvendas difficultates Mysterii Trinitatis, tàm supereminentia ejusdem Trinitatis, quàm fides est necessaria: principaliter tamen prædictæ difficultates Mysterii: solvendæ sunt per supereminentiam ejusdem Mysterii cum adminiculo distinctionis rationis qui autem supereminentiam Trinitatis negant (quales sunt Ethnici) tunc contra illos recurrendum est ad fidem, & motiva credibilitatis, ut expressè docet S. Augustinus, & S. Thomas hîc supra citatus. Patet ergo tàm ex Conciliis, quàm ex SS. Patribus adductis, quòd recurrere ad fidem in salvando Mysterio Trinitatis ab argumentis Infidelium, non sit probrosum vel inconveniens Theologis. Patet item quòd sicut alii Theologi, ita & Joannes de Ulloa immediatè citatus recurrit, ad Authoritatem DEI testificantis, consequenter ad fidem: proinde & mihi contra Ethnicos, ad hanc recurrere fidem, non erit inglorium.

283. Respondeo 3tiò: SS. Patres non excludebant omnem distinctionem, Essentiæ Divinæ à Personis, tamen excludebant omnem distinctionem realem, admittebantque solam distinctionem rationis, quæ per actus intellectûs fieri solet, ut constat ex Concilio Lateranensi *Cap: Damnamus* ubi idem Concilium inquit: *Relationes sunt idem omninò, & omnî modô, cùm Natura, & Relatio est eadem re cum Natura, solùm verò secundùm modum intellectio-*

nis

nis nostræ differt. Plures pro distinctione rationis Authoritates, adferemus, ibi, ubi agemus de distinctione Baconica. Huic Concilio & alijs postmodum adferendis, inhærendo, ego admitto distinctionem rationis, Essentiæ Divinæ à Personis, etiam pro salvativo, non in eo sensu, quòd sola distinctio rationis, sit sufficiens ad salvandũ Mysterium Trinitatis, sed quòd cum adminiculo illius, possit optimè salvari per suam supereminentiã, idem Mysterium.

284. Respondeo 4tò: S. Thomas admisit quidem distinctionem rationis, inter Naturam Divinam, & Personas, tamen quia postmodum censuit, hanc distinctionem, non esse sufficientem, ad solvendas difficultates Trinitatis Divinæ, ideò ultimatò recurrit ad id, quòd hoc Mysteriũ, sit supra lumen naturæ, & ad ipsã fidẽ ut constat ex ejus verbis superiùs citatis ñro 264. ubi inquit: *Apud alios verò sufficit defendere, non esse impossibile, quod prædicat fides.* Alii pariter post S. Thomã Theologi, admiserunt partim distinctionẽ virtualẽ intrinsecã, partim formalẽ ex natura rei, partim realẽ in 3tio, partim realẽ intentionalẽ, partim distinctionem innominatam &c: sed hæ omnes distinctiones, non sunt sufficientes, ad solvendas difficultates Trinitatis Divinæ, ut patebit inferiùs in Articulo sequenti.

285. Dices 3tio, SS. Patres & antiqui Theologi, Mysterium Trinitatis, eatenus docent esse supra lumen rationis, & per hoc, quod sit supra lumen rationis, difficultates contra illud solvi debere, quòd debeant solvi, aut per fidem, aut per rationem Theologicam, quæ cum semper innitatur veritati revelatæ, eamq; essentialiter præsupponat, non est ratio merè naturalis, sed etiam hæc censenda est, supra lumen rationis.

286. Respondeo: Quando Mysterium Trinitatis, salvo & defendo, ab argumentis Infidelium per supereminentiã, cum adminiculo distinctio nis, rationis, nihil aliud in-

tendo, nisi volo illud salvare, vel per fidem, vel per rationem Theologicam. Porro salvare Mysterium Trinitatis per hoc, quòd sit supra lumen naturæ, & quòd inter Essentiam Divinam & Personas, detur distinctio rationis, est ratio Theologica, innixa veritati revelatæ.

287. Dices 4tò: SS. Patres docent, esse aliquas Mysterii Trinitatis difficultates, in quibus solvendis sisti debet in supereminentia Mysterii, supra lumen rationis, cæterùm in supereminentia non exclusiva omnis distinctionis, inter Essentiam, & Personas Divinas, sed potius in supereminentia, compatiente talem aliquam distinctionem. In supereminentia item non tollente prima principia, nec ea in Mysterio Trinitatis falsificante, sed potius in supereminentia, ita salvante Mysterium, ut salvet etiam Principia lumine naturæ nota, ipsorumq; veritatem conciliet cum his, quæ de hoc Mysterio, per fidem creduntur.

288. Respondeo 1mò: Jã dixi superiùs, ñro 282, quòd ad salvandum Mysterium Trinitatis, non tantùm admitto supereminentiam hujus Mysterii, sed etiam distinctionem rationis, inter Essentiam & Personas Divinas, quare prima pars hujus objectionis, nihil me tangit.

289. Respondeo 2dò: In præfata objectione asseritur, quòd supereminentia Mysterii SSmæ Trinitatis, tollat prima principia, eaq; falsificet, sed pro hoc, nulla adfertur ratio: quare nego absolutè allatum antecedens, & præterea probo, quòd supereminentia, seu ipsum Mysterium Trinitatis, positum supra lumen naturæ, non tollat prima principia, nec ea falsificet, quod sic ostendo: Princeps absolutus positus supra legem, non tollit, nec violat, nec falsificat legem, quamvis aliter se gerat, quam lex obloquatur, idq; ideo quia est positus supra legem. Ergo pariter Mysterium Trinitatis, positum supra lumen

natu-

naturæ, & ſupra principia lumine naturæ nota, non tollit, neq; violat, neq; falſificat prima principia, quamvis in eo aliter fiat, quàm obloquantur prima principia. Aliud enim eſt prima principia tollere, violare, & falſificare, aliud illa non obſervare: Myſterium ergo Trinitatis, non obſervat illa principia, quæ contra illud ab Infidelibus opponuntur, cæterùm illa non tollit, nec violat, nec falſificat: ille enim ſolus violat legem, qui ſubeſt legi, qui autem eſt ſupra legem, ille non violat legem.

290. Illud hic notari poteſt, quod nonulli Recentiores, adeo zelant & militant, pro conſervatione primorum principiorum, tanquàm id eſſet crimen læſæ Majeſtatis, ſi prima principia non obſerventur in hoc Myſterio: cum tamen antiquiſſimi Theologi, & Doctores iſtud principium: *quæ ſunt eadèm uni 3tio* &c: cenſuerint eſſe falſum, ſi ſumatur: in tota ſua abſtractione, & univerſalitate. Et hi Doctores ita ſentientes, ſunt Eminentiſſimi Cardinales Bellarminus, & Lugo, Sùárez, Vasquez, Zuniga & alii, & Joannes de Ulloa, qui in Prodromo Diſput: 1. Cap: 3. §. II. ñro 36. inquit: *Si præfata principia intelligantur, prout jacent, in ſenſu univerſali, omnem prorſus reſpuente limitationem, falſa ſunt. Conſtat id ex Myſterio Trinitatis. Neq; id dedecori vertendum eſt Philoſopho: ille namq; ſolius luminis naturalis dictamina audivit: nos autem etiam ſupernaturalis: & indecorum non eſt, quod hoc loquente, illud obmuteſcat.* Cæterùm ego præfata principia, quæ hîc opponuntur, non pronuntio eſſe falſa, ſed illa ſunt integra & vera in ſua ſphæra: ſicut lex eſt integra, quamvis illam non obſervet Princeps, ſupra legem poſitus.

291. Dices 5tò: Concilia & Patres veteres ſufficientiſſimè & ſolidiſſimè ſalvabant Myſterium, quantùm neceſſe fuit ad hoc Myſterium, ſine ulla hæſitatione credendum

dendum ab omnibus, non verò quantùm necesse fuit ad ostendendam inanitatem, & infirmitatem argumentorum, quæ ab Infidelibus contra Trinitatis Mysterium proponuntur. Ad id enim non descendebat Ecclesia, & Patres veteres, sed hoc negotium plenè relinquebant Catholicis Theologis, qui ut eorum argumenta confutarent, & inania ostenderent, veritatem primorum Principiorum, conciliabant cum veritatibus fidei, & ostendebant has utrasque veritates, sibi non repugnare.

292. Respondeo: Quod sufficit quantùm necesse est, ad Mysterium Trinitatis, sine ulla hæsitatione credendum, illud etiam sufficit, quantùm necesse est, ad ostendendā inanitatē & infirmitatē argumentorū, quæ ab Infidelibus, contra idem Mysterium opponuntur. Sed supereminentia Trinitatis Divinæ, sufficit ad idem Mysterium, sine ulla hæsitatione credendum. Ergo eadem supereminentia sufficit ad ostendendam inanitatem, & infirmitatem argumentorū, quæ ab Infidelibus contra idem Mysterium opponuntur. Major patet, quia qui sine ulla hæsitatione credit Mysterium Trinitatis, ille omnia argumenta pro nullis & fallacibus, habet. Minor etiam patet, quia concessa & ab oppositis, & quia ita Concilia & Patres sufficientissimè, & solidissimè salvabant idem Mysterium, quantùm necesse fuit ad credendum, sine hæsitatione hoc Mysterium. Ad extremum nego, quòd Concilia & Patres veteres, non descendebant ad ostendendam inanitatem, & infirmitatem argumentorum, quæ ab Infidelibus contra hoc Mysterium opponuntur: quando enim descendebant in defendendo hoc Mysterio ad supereminentiam suam, eò ipsô descendebant ad ostendendā inanitatē, infirmitatem argumentorum, quæ Infideles opponere solent: ipsa autem supereminentia Trinitatis Divinæ, cum adjuncta distinctione rationis, est sufficientissima, ad ostendendam

inani-

inanitatem, & infirmitatem, præfatorum argumentorum. Licet autem Concilia, & Sancti Patres, non descendebant ad hoc negotium Scholasticè, tamen descendebant dogmaticè, hoc autem solum, pro eo tempore sufficiebat, sicut & modò sufficit: alias Concilia & Sancti Patres non sufficienter defenderent Mysterium Trinitatis, quod prudenter nemo Catholicum dicere potest.

ARTICVLVS XXVI.

In quo proponuntur Objectiones.

293. OBijcitur primum & principale argumentum Infidelium. Quæ sunt eadem uni 3tio, sunt eadem inter se. Sed juxta fidem, Pater & Filius sunt eadem uni 3tio, scilicet Naturæ Divinæ. Ergo Pater & Filius debent esse idem inter se. Sed hoc est contra fidem. Ergo Mysterium Trinitatis, repugnat principio posito in Majori.

294. Respondeo explicando & distingvendo principium. Quæ sunt eadem uni 3tio, sunt eadem inter se, quæ inquã sunt eadem cum uno 3tio, *in creatis & in iis quæ sunt ipso lumine naturæ nota, aut cognoscibilia.* Concedo: Quæ sunt eadẽ uni 3tio, *in Mysterio Trinitatis posito supra lumen naturæ, admittente & compatiente distinctionem rationis, naturæ Divinæ, à Personis, illa sunt eadem inter se.* Nego Majorem, quia ad hoc Mysterium positum supra lumen naturæ, & supra principia lumine naturæ nota, non extendit se præfatum principium, tantùm lumine naturæ notum: sicut ad Principem qui est supra aliquam legem, non extendit se eadem lex, aliàs Princeps subjaceret eidem legi, non autem esset supra legem. Pariter distingvo Minorem. Sed Pater & Filius sunt idem cum uno 3tio, *idq; in creatis & ipso lumine naturæ notis.* Nego Minorem. Sed Pater & Filius sunt idem cum uno 3tio *in Mysterio Trinitatis Increatæ posito supra lumen naturæ, & admittente seu coetaimpnte distinctionem rationis Naturæ Divinæ, à Personis,*

sonis. Concedo Minorem, & nego consequentiam, ac dico: principium istud: *Quæ sunt eadem uni 3tio sunt eadem inter se:* habet locum in creatis, & ipso lumine naturæ cognoscibilibus, non autem in Mysterio Trinitatis, posito supra lumen naturæ, & admittente distinctionem rationis, inter Naturam Divinam & Personas: quæ supereminentia Trinitatis Divinæ, & distinctio rationis conjuncta eidem supereminentiæ, præstat hoc, & efficit, ut quæ sunt eadem uni 3tio, non sint idem inter se. Deinde præfatum principium est prolatum ab Aristotele, & formatum ex creaturis. Porro Aristoteles ignoravit Mysterium Trinitatis, illudq; non credidit, si autem scivisset & credidisset, defacto præfatum principium non ita universaliter, & illimitatè protulisset. Cum autē nos & sciamus, & credamus Mysteriũ Trinitatis, ideo allatũ principium limitamus, & explicamus ut supra præmissum est.

295. Objicitur 2do. Universaliter. Implicat idem simul esse & non esse, seu implicat verificari contradictoria, de identificatis realiter adæquatè. Sed Filius *vg:* & natura sunt identificata realiter adæquatè. Ergo de Filio & Natura, implicat verificari contradictoria. Ergo ulterius, cum verificentur defacto, juxta fidem, non salvatur Mysterium Trinitatis ab implicantia.

296. Respondeo primo: Negando Majori suppositum, nempè quòd principium istud: *Implicat idem simul esse & non esse:* sit idem cum illo altero: *Implicat de identificatis realiter adæquatè verificari prædicata contradictoria:* quod falsum esse ostendimus Art: 23. ñro 239.

297. Respondeo 2do, distingvendo Majorem universaliter implicat verificari contradictoria de identificatis realiter adæquatè, implicat inquam id *in creatis & ipso lumine naturæ notis.* Concedo Majorem de Contradictorijs respectu eodem. Implicat *in Mysterio Trinitatis increatæ posito supra lumen naturæ & admittente seu compatiente distinctionem rationis inter Naturam Divinam & Personas.* Nego Majorem. Simi-

liter distingvo Minorem. Sed Filius & Natura Divina identificantur realiter adæquate, idq; *in Mysterio Trinitatis increatæ posito supra lumen naturæ & admittente distinctionem rationis inter Naturam Divinam & Personas.* Concedo Minorem. Sed Filius & Natura Divina identificantur realiter adæquatè, *in creatis & ipso lumine naturæ cognoscibilibus.* Nego Minorē & consequentiam ac dico, verum est, quòd in creatis & in his quæ sunt lumine naturæ cognoscibilia, implicat de identificatis realiter adæquatè verificari prædicata contradictoria, tamen in Mysterio Trinitatis, posito supra lumen naturæ, id non implicat, quia licet ibi detur identitas realis adæquata, Naturæ Divinæ cum Personis, tamen simul datur ibidem distinctio rationis, conjuncta supereminentiæ, ejusdem Trinitatis Divinæ. Quod si dicatur, distinctionem rationis, non sufficere, ad salvanda prædicata contradictoria realia: tunc respondeo non sufficere *solam distinctionem rationis*, sed sufficere *conjunctam cum supereminentia Trinitatis Divinæ.*

298. Obijcitur 3tio: Unum indivisibile, non est tria, sed Natura Divina, est unum indivisibile, ergo non est tria. Ergo siquidem una Natura Divina, est tria, scilicet tres Personæ Divinæ, ideo Natura Divina Trinè-Personabilis repugnat lumine naturæ.

299. Respondeo distingvo. Unum indivisibile *in subjectis lumini Naturæ, & lumine naturæ cognoscibilibus*, non est tria. Concedo Majorem. *In Mysterio Trinitatis posito supra lumen naturæ, & admittente distinctionem rationis, inter Naturam Divinam & Personas.* Nego Majorem. Similiter distingvo Minorem. Sed Natura Divina est tria, *idq; in subjectis lumini naturæ.* Nego Minorem. Sed Natura Divina est tria, *in Mysterio Trinitatis posito supra lumen naturæ, & admittente distinctionem rationis inter Divinam Naturam & Personas.* Concedo Minorē, & nego Consequentiã, ac dico, unũ indivisibile non est tria in creatis, & lumine naturæ cognoscibilibus, tamē in Mysterio Trinitatis posito supra lumen naturæ, & cōpatiente distinctionē

rationis, Naturæ Divinæ à Personis, una Natura Divina est tria, seu tres Personæ Divinæ, ut constat ex Concilio Lateranensi de Sũma Trinitate Cap· Damnamus: *Nos Sacro approbante Concilio credimus, & confitemur, quòd una quædam summa Res est, incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, Tres simul Personæ, ac sigillatim quælibet earundem*, &c: Huc spectat, quod docet S. Bernardus, qui tractãdo de Trinitate Personarũ in una Natura, & solvendo objectionẽ illã: si tria sunt, quomodo unũ simplex, & indivisibile? sic inquit: *Quærit aliquis, quomodò id, quod Catholicum esse dicimus, possit esse? Sufficit ei tenere sic esse, atq; hoc esse, non rationi* (nempe naturali) *perspicuum sed fidei persvasum*. Quali autẽ modò immediatè allata Infideliũ argumenta solvimus, tali modò & alia eorũdẽ Infideliũ argumenta solvenda sunt nẽpe recurrẽdo ad supereminẽtiã Trinitatis Divinæ & ad distinctionẽ rationis inter Naturam Divinam & Personas.

300. Obijcitur 4to ab Authoribus Catholicis. Quando Mysteriũ Trinitatis non intelligitur, nec intelligi, ac cogitari quidẽ potest, nisi admittatur aliqua distinctio, inter Essentiã, & Personalitates, tunc hâc seclusâ, per nullã infinitudinẽ, & supereminentiam, supra lumen rationis, salvari possunt contradictoria, quæ dicuntur de Essentia, & Personis. Si enim Mysterium Trinitatis, non potest concipi, & cogitari ea, quæ in hoc Mysterio salvari debẽt, nisi admittatur distinctio aliqua, inter Essentiã & Personas, Supereminẽtia talis Mysterii, supponit necessariò illã distinctionẽ, non excludit, sicut supponit ipsũ Mysteriũ, non excludit. Sed Mysteriũ Trinitatis non intelligitur, nec intelligi, imò nec cogitari potest, nisi admittatur, & cogitetur aliqua distinctio, inter Essẽtiã & Personas. Ergo. Minor probatur. Non intelligitur Mysterium Trinitatis, nisi intelligatur aliquod prædicatũ, affirmari verè de uno ex idẽtificatis, quod verè negatur de alio *vg*: affirmari de Paternitate, quod negatur de Essentia. Sed non intelligitur

gitur aliquod prædicatum, verè affirmari de uno ex identificatis, in Divinis, quod verè negatur de alio, si non admittatur ulla distinctio. Ergo. Minor immediata probatur. Quando non potest intelligi unum, & aliud, non potest etiam intelligi, aliquod prædicatum verè affirmari de uno, quod verè negatur de alio. Sed negatâ omnî distinctione, inter Páternitatem & Essentiam, non potest intelligi Paternitas esse, quid unum, & Essentia esse quid aliqua ratione aliud. Ergo non potest intelligi de uno illorum, verè affirmari prædicatum, quod verè negatur de alio: *vg:* non potest intelligi de Paternitate verè affirmari, quòd generet, de Essentia verè negari quod generet.

301. Respondeo totissimum hoc argumentum, id tantùm probat, quòd per supereminentiam Trinitatis Divinæ, non possit salvari Mysterium Trinitatis Divinæ, ab argumentis Infidelium, si nulla admittatur distinctio Naturæ Divinæ à Personis: cum autem ego admitto distinctionem rationis, Naturæ Divinæ à Personis, ideo hoc argumentum, & objectio me non impugnat. Licèt ergo Mysterium SS. Trinitatis, non possit intelligi nec cogitari sine omni omnino distinctione, tamen admissâ distinctione rationis, inter Naturam Divinam & Personas, potest pro modulo nostro intelligi, & cogitari, admissâ pariter penes distinctionem rationis supereminentiâ Trinitatis Divinæ. Porro per distinctionem rationis potest intelligi, quomodo unum sit aliud, & quomodo de Natura & Personis verificentur prædicata contradictoria. Plura ejusmodi argumenta reperiuntur apud Doctissimum Adrianum Miaskowski, in Tractatu de DEO, Dist: 2. quæst: 2. §. III. nro 92. & sequentibus, sed quia idem sonant, quod sonat argumentum, & objectio hic adducta, probantq; id tantùm, quòd inter Naturam Divinam &

Personas, debeat omnino admitti aliqua distinctio, ideo illis non immoror, quia ad omnia hæc sufficit & inservit responsio, quam hîc immediatè dedimus.

302. Objicitur 5tò. Sententia salvans Mysterium Trinitatis ab argumentis Infidelium, per supereminentiam ejusdem Trinitatis, docet Deum non contineri hîs principiîs: *Quæ sunt eadem uni 3tio sunt eadem inter se. Impossibile est idem esse & non esse*: dicit enim, quòd hæc principia locum non habent, nisi in creatis, & de creatis tantùm procedunt.

Sed nihil prohibet dari aliqua Principia 1ma, & universalissima, quæ etiam in DEO verificantur, nec possint esse falsa, si debitè intelligantur. Et quòd talia Principia sint illa: *Quæ sunt eadem uni 3tio, sunt eadem inter se. Impossibile est idem esse, vel non esse. Impossibile est de eodem omnino verificari contradictoria.* Cum ostendatur hæc Principia debitè intellecta verificari in DEO. Ergo DEUS continetur sub prædictis Principiis.

303. Respondeo 1mò, nego Majorem, quia gratis asseritur, nullibi enim diximus, quòd DEUS simpliciter prolatus, non contineatur principiis lumine naturæ notis: Deinde hîc est quæstio de Trinitate, objectio autem procedit de DEO, simpliciter prolato: quare ista objectio permiscet Deum, cum Trinitate, & procedit contra statum quæstionis, & conclusionis. Porro certum est, quod non omne id, quidquid de DEO dicitur, potest dici de Trinitate: sic *vg*: DEUS est demonstrabilis à posteriori, Trinitas autem non est demonstrabilis: DEUS est lumine naturæ cognoscibilis, non autem Trinitas Divina, tandem Trinitas Divina est supra lumen naturæ, DEUS autem non est supra lumen naturæ quia lumine naturæ cognosci potest juxta illud scripturæ ad Rom: 1.v.20. *Invisibilia enim ipsius à creatura Mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta con-*

ſpiciuntur: & juxta S. Thomam 1. par: quæſt: 32. Art: 1. ſuperiùs citatum: Art: 25. ñro 264.

304. Reſpondeo 2dò. DEUS dupliciter cogitari poteſt: primò 2dùm unitatem Eſſentiæ Divinæ, ſeu 2dùm ipſàm Naturam Divinam, ejusq; prædicata abſoluta, quibus conſtat Natura Divina. 2dò cogitari poteſt 2dùm Trinitatem Perſonarum. Dico ergò quòd DEUS 2dùm Naturam Divinam ſumptus, continetur ſub his Principiis: *Quæ ſunt eadem uni 3tio, ſunt eadem inter ſe. Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe*, & hæc principia locum habent non tantùm in creatis, ſed etiam in DEO 2dùm Naturam Divinam conſiderato, & ſecundùm id, in quo DEUS eſt demonſtrabilis à poſteriori, DEUS tamen 2dùm Trinitatẽ Perſonarũ conſideratus, non continetur ſub hoc principio: *Quæ ſunt eadẽ uni 3tio, ſunt eadẽ inter ſe*: & ſub hoc altero: *Implicat de identificatis realiter adæquatè verificari prædicata contradictoria*. Utrũ autẽ eadẽ Trinitas Divina, non contineatur ſub hoc principio, & ſit ſupra idem principium: *Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe*: Patebit inferiùs, ſiquidem non conſtat ex fide, quòd in Trinitate Divina, verificentur hæc prædicata contradictoria irreſtricta: *eſſe & non eſſe*. Idem totum dico ad minorem, & concedo quòd nihil prohibet dari aliqua principia prima, & univerſaliſſima, quæ ad Deum ſecundùm Unitatem Naturæ Divinæ conſideratum extendantur, nec poſſint eſſe falſa, ſi debitè intelligantur, ſed ex hoc nihil contra nos infertur.

305. Dices: Nihil obſtat, ut dentur aliqua principia prima & univerſaliſſima, quæ etiam ad Trinitatem Divinam extendantur, & non poſſint eſſe falſa, ſi debitè intelligantur. Reſpondeo: Principia iſta: *Quæ ſunt eadem uni 3tio ſunt eadem inter ſe*. Item: *Implicat de identificatis realiter adæquatè verificari prædicata contradictoria*: poſſunt etiam ad Myſterium extendi, ſi debitè explicentur

& compleantur. Porro ſic explicari, & compleri poſſunt: *Quæ ſunt eadem uni 3tio ſunt eadem inter ſe, ubi in contra non habetur, nec haberi poteſt ratio potior & ſuperior ex lumine ſupernaturali Fidei Divinæ:* ſimiliter & alterum compleri & explicari poteſt: *Implicat de identificatis realiter adæquatè, verificari prædicata contradictoria ubi in contra non habetur nec haberi poteſt ratio potior & ſuperior ex lumine ſupernaturali vg:* fidei Divinæ: pariter dicendum de aliis principiis.. Si ergo præfata principia tali modô explicentur, & compleantur, tunc ſe extendunt etiam ad Myſterium Trinitatis: & ſic ſatisfiet tum Authoribus, qui præfata principia volunt extendere ad Myſterium Trinitatis, tum Infidelibus, qui ex his principiis taliter completis, nihil poſſunt contra Myſterium Trinitatis arguere.

306. Obijcitur 6tò. Sententia ſalvans Myſterium Trinitatis, per ſupereminentiam, docet Deum, cùm ſit ſupremus rerum omnium, & naturæ Author, eſſe ſupra naturam, & ſupra Principia lumine naturæ nota: adeoq; in DEO, quòd non cohæreat his principiis, non eſſe contra, ſed ſupra hæc principia, & per hoc ipſum eſſe ſupra lumen rationis: ſicut ſupremus Legislator, cum ſit ſupra omnem legem, non cenſetur transgredi legem, & agere contra legem.

Sed DEUS quamvis ſit ſupremus Legislator, & rerum omnium Author, tamen non eſt ſupra omnem legem, ita ut nulla teneatur, verùm pluribus legibus tenetur, maximè illis, quæ ſunt juris naturalis, ut impoſſibile ſit, eum tales leges non ſervare. Ergo &c.

307. Minor probatur. DEUS non eſt ita ſupra legem, *de non mentiendo, de non blasphemando, de non ſtando promiſſis, de non complacendo ſibi in peccatis creaturarum,* ut has leges poſſit non ſervare. Idem DEUS, ita eſt ſupremus Naturæ Author, & ſupra exigentias creaturarum, ut etiamſi

amsi possit contravenire plerisq; exigentiis, illis scilicet, quas Physicas, & naturales dicimus. Tamen nullatenus contravenire potest, exigentiis quibusdam, illis nimirum, quas Metaphysicas appellamus. Præterea etiamsi DEUS sit supra legem rationis, ita ut virtus ejus productiva operum ad extra, possit multa producere, quæ intellectus lumine naturali, plenè cognoscere, & quorum naturam investigare non potest, tamen non est ita supra lumen rationis, in effectuum creatorũ productione ut possit effectũ producere, in quo Principia lumine naturæ nota, locum non habeant, seu de quo hujusmodi Principia falsificentur. Tandem DEUS tenetur his Principiis, & quasi legibus: *Impossibile est de eodem verificari contradictoria. Quæ sunt eadem uni 3tio.* Tenetur inquàm in iis omnibus, in quibus per omnes Theologos & Philosophos, non potest dari distinctio ulla, per quam salventur dicta Principia. Et sic de Paternitate, non potest verificari utrumque contradictorium vg: *Paternitas generat, Paternitas non generat. Essentia non generat, Essentia generat.* Id item fieri non potest, *ut Paternitas & generatio activa, sint idem cum Intellectione notionali activa, & non sint idem secum.* Ergò, quòd *Paternitas generet, Essentia non generet, quòd Paternitas, & Filiatio sint idem cum Essentia, non sint verò idem secum realiter, non provenit id ex eo,* quòd DEUS non teneatur illis Principiis: *Impossibile est idem esse & non esse. Quæ sunt eadem uni 3tio*: Sed potiùs ex eò provenit, quia hæc Principia salvantur, per aliquam distinctionem, inter Essentiam, & Personalitates.

308. Respondeo nego suppositum Majori quòd Sententia salvans Mysterium Trinitatis per supereminentiã, doceat Deum, esse supra lumen naturæ, & supra Principia lumine naturæ nota, & quidem ex hac ratione, quòd DEUS sit supremus rerum omnium Author. Si tamen

DEUS

DEUS tanquàm supremus Legislator, vellet esse supra aliquam legem, certè non teneretur illa lege. Sententia ergo prædicta, seu Theologi hanc sententiam tenentes, docent Trinitatem Divinam, esse supra lumen naturæ, & supra Principia lumine naturæ nota, sed non ex eo, quòd DEUS sit supremus Legislator, & rerum omnium Author, sed ex eo, quòd Concilia & SS. Patres docent Mysterium Trinitatis esse supra lumen naturæ, & supra lumen rationis, & ex eo quòd Mysterio Trinitatis, competat definitio entis positi supra lumen naturæ, quam definitionem dedimus ab initio Articuli 25ti ñrô 257. Nego item quòd in DEO simpliciter prolato secundùm ipsam Naturam Divinam sumpto, possit aliquid reperiri, quod non cohæreat prædictis principiis: in DEO enim simpliciter prolato: *quæ sunt eadem uni 3tio illa sunt eadem inter se*: sic *vg*: Omnipotentia, & Omniscientia DEI, sunt idem cum uno 3tio, nempè cum Natura Divina, & simul Omnipotentia & Omniscientia, sunt idem inter se: idem dicendum de illo altero principio: *Implicat de identificatis realiter adæquatè verificari prædicata contradictoria.*

309. Quantùm ad Minorem dico: Licèt DEUS teneretur legibus enumeratis (quod interim transeat propter dicenda inferius) de non mentiendo, de non blasphemando, de non stando promissis, de non complacendo in peccatis creaturarum, tamen inde non sequitur, quòd Trinitas Divina, teneatur illâ lege: *Quæ sunt eadem uni 3tio sunt eadem inter se*: & illâ alterâ: *Implicat de identificatis realiter adæquatè verificari prædicata contradictoria* (& aliis similibus) in eo sensu naturali, in quo illa protulit Aristoteles, dictamen solius luminis naturalis sequens: quia tali sensui naturali, obstant Concilia, SS. Patres, & ipsa fides. Prædictæ ergo leges, & principia, intelligenda & sumenda sunt juxta dictamen luminis superna-

pernaturalis, & ita sunt explicanda, sicut nos superiùs explicuimus, conformiter ad mentem Conciliorum & SS. Patrum.

310. Pariter licèt DEUS teneatur lege de non contraveniendo exigentiis Metaphysicis, tamen Trinitas Divina non tenetur legibus horum principiorum Metaphysicorum: *Quæ sunt eadem uni 3tio illa sunt eadem inter se.* Item: *Implicat de identificatis realiter adæquatè verificari prædicata contradictoria.* Ratio est, quia pro eo, ut DEUS non observet legem, de aliis exigentiis Metaphysicis, nulla est ratio, pro eo autem ut Trinitas Divina, non observet præfata principia Metaphysica, adest ratio fidei. Hoc autem totum salvatur per id, quòd Mysterium Trinitatis, sit Ens positum supra lumen naturæ, & quòd inter Naturam Divinam & Personas, datur distinctio rationis.

311. Ad probationem illam, in qua dicitur quòd DEUS non possit tales effectus producere, in quibus Principia lumine naturæ nota falsificentur, respondeo negando suppositum, quòd in sententia salvante Mysterium Trinitatis, per supereminentiam ejusdem Mysterii, cum adminiculo distinctionis rationis, falsificentur prima principia: continuò enim hæc falsificatio primorum principiorum opponitur, & hactenus non probatur, nec unquàm ab aliquo, ex oppositis Theologis, est probata.

312. Dices principia prima toties specificata, non habent locum in Mysterio Trinitatis, nec observantur in eodem Mysterio. Ergo prædicta principia, falsificantur in Mysterio Trinitatis.

313. Respondeo concesso antecedente (quod etiam omitti posset propter dicta superiùs, de iisdem principiis complendis) Nego Consequentiam. Ratio est: Lex supra quam est positus Princeps absolutus, non habet locum

cum

cum in Principe absoluto, nec observatur ab illo: & tamen Princeps absolutus, non falsificat, non tollit, nec violat legem. Ergo pariter principia prædicta, in sensu Aristotelis prolata, licèt non habeant locum in Trinitate Divina, posita supra lumen naturæ, & licèt eadem Trinitas, posita supra lumen naturæ, illa principia non observet, tamen per hoc non falsificantur prima principia, sed integra & verissima conservantur in sua sphæra, & sensu, in quo prolata sunt ab Aristotele.

314. Ultima probatio id opponit, quòd DEUS seu Trinitas Divina tenetur his principiis quasi legibus: *Impossibile est de eodem verificari contradictoria.* Item; *Quæ sunt eadem uni 3tio:* saltim in his omnibus, ubi non potest dari distinctio ulla: qualia contradictoria sunt: *Paternitas generat, Paternitas non generat.* &c. Ad hoc respondeo, quòd prædicata contradictoria ista: *Paternitas generat, Paternitas non-generat,* & alia ibi adducta, non sunt decisa per fidem, quare illa non attendimus, nec curamus. Proinde etiamsi Trinitas Divina, teneretur prædictis principiis, quò ad allata contradictoria. non decisa per fidem, nihil nostræ sententiæ obest: quia tota difficultas est, de prædicatis contradictoriis, revelatis & decisis per Ecclesiam, & fidem. Quod si inferas: Ergo Trinitas Divina non est supra omnem legem, seu supra omnia principia prima: tunc respondeo; non est supra omnia principia prima *in his, quæ sunt revelata per fidem.* Nego: In his, *quæ non sunt revelata per fidem*: Concedo.

315. Pariter ultimam Consequentiam nego, nam quòd *Paternitas generet, Essentia non generet*: id non provenit ex eo, quòd Trinitas Divina non contineatur sub prædictis toties principiis, neq; provenit ex aliqua distinctione, inter Essentiam & Personas: sed id provenit ex natura ipsius Trinitatis Divinæ. Ne autem hæc Natura

tura Trinitatis Divinæ, dicatur ab Ethnicis hymerica, & implicatoria, salvamus per id, quòd præfatum Mysterium, sit supra lumen naturæ, & quòd inter Essentiam, & Personas, detur distinctio rationis.

316. Urgetur objectio præcedens immutatô in aliquibus argumentô. Quamvis Trinitas Divina sit supra lumen naturæ posita, tamen non est supra omnem legem, ut nulla lege teneatur: verùm pluribus legibus tenetur, maximè illis quæ sunt juris naturalis, ut impossibile sit eam tales leges non servare: & sic Trinitas Divina, non est ita supra legem, *de non mentiendo, de non blasphemando, de non stando promissis, de non complacendo sibi in peccatis creaturarum,* ut has leges possit non servare. Ergo Trinitas Divina, non est supra omnem legem.

317. Respondeo nego suppositum, quòd dentur aliquæ leges respectu Trinitatis Divinæ, obligantes eam strictè moraliter in conscientia: proinde dum hæ leges non dantur, tunc etiam Trinitas Divina non est supra illas. Quòd autem Trinitas Divina, non possit mentiri, blasphemare, & non stare promissis, complacere sibi in peccatis creaturarum, hoc non provenit ex aliqua lege, obligante Trinitatem Divinam strictè moraliter in conscientia, sed ex ipsa Natura, & Essentia Trinitatis Divinæ cum enim Trinitas Divina, sit essentialiter ens perfectissimum, ac ipsa substantialis & essentialis Sanctitas, repugnat illi ex natura sua mentiri, vel blasphemare, non autem ex aliqua lege universali. Idem dicendum de DEO secundùm Unitatem Naturæ Divinæ sumpto.

218. Deinde quòd Trinitas Divina, vel DEUS possit mentiri, vel non stare promissis &c: id non est revelatum ex fide, neq; decisum per Concilia: quòd autem in Trinitate Diuina, possint verificari prædicata contradictoria, & quòd Personæ Divinæ identificentur Essentiæ Divinæ,

& tamen non ſint idem inter ſe: id eſt deciſum per fidem, & per Concilia. Proinde licèt DEUS, vel Trinitas Divina, non ſit ſupra leges, prædictas *de non mentiendo de non ſtando promiſſis* &c: exinde contra nos nihil inferri poteſt: quia nos hîc agimus, de his, quæ revelata ſunt per fidem, de Trinitate Diuina, non autem de illis, quæ non ſunt revelata.

319. Objicitur 7mò: Si dicatur in DEO prima principia aliqua, locum non habere, & falſificari propter ſupereminentiam Myſterij Trinitatis, ſupra lumen rationis, tunc fides ſancta & Sanctiſſimum Trinitatis Myſterium, ludibrio, & deriſioni exponeretur Atheorum, Arianorum, & quorumvis Infidelium. Sed hoc admitti non debet. Ergo & illud admitti non debet, quòd aliqua prima principia, locum non habeant, & falſificentur propter ſupereminentiam Myſterij Trinitatis, ſupra lumen rationis.

320. Probatur ſequela Majoris. Quis Atheorum, Arianorum, & quorumcunq; Infidelium, non rideat Deum, per hoc, quòd ſuperemineat omnibus entibus ſitq; ſupra lumen rationis, & ſupra principia lumine naturæ nota, habere rationem formalem definitivam hymeræ, neq; tamen eſſe hymeram? In DEO identificari *eſſe, & non eſſe* ejusdem, ſecundùm omnino idem, neq; tamen per hoc, Deum involvere contradictionem implicatoriam? Quis non rideat Deum, per hoc, per quod aliud quodvis ens, formaliſſimè eſſet impoſſibile, & hymera, per hoc inquàm, adeoq; per rationem formalem hymeræ, eſſet ens perfectiſſimum, & ſupereminens, ſupra lumen rationis. Timendum ſanè eſt, ne occaſione talis ſupereminentiæ, Athei confirmentur, in impiiſſimo ſuo errore, quô negânt exiſtentiam & poſſibilitatem DEI. Ne Infideles avertantur à S. Fide, dum intelligunt eſſe Divinum, tale

eſſe,

esse, quò convelluntur principia lumine naturæ nota, seu in quo talia principia falsificantur, nec id aliter, nisi sola fide defendi. Cum præsertim id, à plerisq; negetur, fidem docere principia lumine naturæ nota, falsificari in DEO.

321. Respondeo retorquendo argumentum. Si dicatur in DEO prima principia locum habere, tunc Fides Sancta, & SSmum Trinitatis Mysterium ludibrio, & derisioni exponeretur Atheorum, Arianorum, & quorumvis Infidelium. Sed hoc admitti non debet. Ergo & hoc admitti non debet, quòd prima principia locum habeant in Mysterio Trinitatis. Probatur sequela joris. Si prima principia locum haberent in Mysterio Trinitatis, tunc istud Mysterium tolleretur, & cessaret esse Mysterium. Sed per hoc ipsum exponeretur ludibrio, & derisioni Infidelium. Ergo &c.

Probo sequelam majoris: Principia prima loqvuntur. *Quæ sunt eadem uni 3tio sunt eadem inter se.* Item: *Implicat de identificatis verificari prædicata contradictoria.* Sed si prima principia haberent locum in Mysterio Trinitatis, tunc Personæ Divinæ, sicut sunt idem cum uno 3tio, ita deberent esse idem inter se; item implicaret de Natura Divina, & Personis, verificari prædicata contradictoria, quia sic obloqvuntur prædicta principia: quod si fieret, tolleretur Mysterium Trinitatis. Ergo &c.

322. Retorqueri item potest. Si prima principia haberent locum in Mysterio Trinitatis tunc etiam haberet ibi locum distinctio realis in 3tio inter Naturam Divinam & Personas. Sed hoc dici non potest. Ergo &c: Major certa apud oppositos Minor probatur. Si inter Naturam Divinam & Personas haberet locum distinctio realis in 3tio tunc in Trinitate sequeretur dari quaternitatem sed hoc implicat. Ergo &c. Probatur se-

quela majoris admissâ distinctione reali in 3tio inter Naturam Divinam & Personas essent in Trinitate Divina tres Personæ juxta fidem: Natura autem Divina esset quid quartum, quia esset distincta realiter à Personis ubi enim intervenit distinctio realis ibi intervenit numerus & pluralitas realis. Ergo &c. Porro per prædictam quaternitatem Trinitas Divina exponeretur ludibrio & derisioni Arianorum & Atheorum & quorumcunq; Infidelium.

323. Respondeo 2dò: Sacra Concilia, Nicænum, Lateranense, Florentinum, Antiochense: & Antiquissimi SS. Patres Dionysius, Damascenus, Anselmus, Augustinus, Thomas, Bernardus, & alij salvabant Mysterium Trinitatis, ab argumentis Infidelium, per hoc, quòd idem Mysterium sit supra lumen naturæ, & supra principia lumine naturæ nota, sine specificata omni distinctione reali, & præsertim sine distinctione reali in 3tio (quia illa non dum erat inventa) & tamen Mysterium, Trinitatis, non exposuerunt ludibrio, & derisioni Arianorum Atheorum, & quorumcunq; aliorum Infidelium. Ergo pariter dum nos salvamus Mysterium Trinitatis per hoc, quòd idem Mysterium, sit ens positum supra lumen naturæ, dum inquam salvamus, sine distinctione reali in 3tio, vel sine quacunq; alia distinctione reali simpliciter tali, tunc prædictum Mysterium, non exponimus ludibrio, & derisioni Infidelium: quia tantùm id totum dicimus, quod dicebant Concilia, & SS. Patres, & ita salvamus seu defendimus idem Mysterium, sicut salvabant, & defendebant præfata Concilia, & SS. Patres.

324. Respondeo 3tio: Negando suppositum majori, quòd principia prima falsificentur, propter superemimentiam Mysterii Trinitatis, supra lumen rationis, hæc enim falsificatio primorum principiorum frequenter opponitur, & nullibi probatur. Præterea nego sequelam

ejus

ejusdem majoris: probationem ejus pariter nego, quia in illa dicitur, quòd in sententia salvante Mysterium Trinitatis, per supereminentiam ejusdem Mysterii, DEUS haberet rationem formalem definitivam hymeræ, & tamen non esset hymera: hæc autem propositio, assertio, & objectio, nulla ratione probatur, sed tantùm gratis opponitur & supponitur. Hæc autem suppositio provenit, quasi ex negata omni distinctione, inter Naturam Divinam & Personas: cum autem nos, præter supereminentiam Trinitatis Divinæ, admittimus etiam distinctionem rationis, pro modo salvativo, ideo prædicta ratio, contra nos objecta, nullam vim habet.

325. 2dæ probationi nego suppositum, quòd in DEO seu in Trinitate Divina, identificetur *esse & non esse ejusdem*, 2dùm omnino idem; in Trinitate enim Divina non verificantur prædicata contradictoria irrestricta; *esse & non esse*: sed verificantur, prædicata contradictoria restricta, decisa per Concilia, præsertim per Concilium Lateranense: quòd autem hæc prædicata contradictoria, restricta non involvant contradictionem implicatoriam, salvamus per hoc, quòd Mysterium Trinitatis, sit supra lumen naturæ, & supra principia lumine naturæ nota, cum adminiculo distinctionis rationis, ut jam toties diximus.

326. Per tertiam probationem, non tam impugnatur sententia, salvans Mysterium Trinitatis, per supereminentiam, quàm ipsum Concilium Lateranense, quod decrevit identificari Personas Divinas, cum Natura Divina, & tamen non identificari inter se, quod item decrevit, de Natura Divina & Personis, verificari prædicata contradictoria, & non assignavit ullam distinctionem realem Naturæ Divinæ, à Personis, multo magis realem in 3tio. Per eandem probationem pariter impugnantur omnes SS. Patres à nobis citati, qui salvabant Mysterium

Trini-

Trinitatis fine diſtinctione reali in 3tio, ſalvabant inquàm per hoc, quòd idem Myſterium Trinitatis, ſit ens poſitum ſupra lumen naturæ: quare prædicta probatio non eſt attendenda.

327. Ad eandem probationem reſpondeo directè, & dico, quòd ſi in aliquo ente creato (imò etiam in DEO ſecundùm unitatem Eſſentiæ ſumpto) aliqua duo eſſent idem cum uno 3tio, & non eſſent idem inter ſe: item ſi in aliquo ente creato, verificarentur prædicata contradictoria de identificatis realiter adæquatè, reſpectu omnino eodem: tunc tale ens eſſet omnino hymera. Licèt autem in Trinitate Divina, Perſonæ Divinæ ſint idē cum Natura Divina, & tamen non ſint idem inter ſe, item licèt in Trinitate, verificentur prædicata contradictoria, tamen Trinitas Divina non eſt ens hymericum & impoſſibile, quia Trinitas Divina eſt ens poſitum ſupra lumen naturæ & quia inter Naturam Divinam & Perſonas, datur diſtinctio rationis. Quâ reſponſione qui non eſt contentus reſpondeo cum S. Auguſtino: *Quod ſi intellectu capi non poteſt fide teneatur*: & cum S. Thoma: *Apud alios verò ſufficit defendere, non eſſe impoſſibile, quod prædicat fides.*

328. Non eſt ergo timendum, ne ex occaſione ſupereminentiæ Trinitatis Divinæ, cum admiſſa diſtinctione rationis, Athei confirmentur in ſuo impiiſſimo errore: non eſt timendum ne Infideles avertantur à S. Fide, quia per ſupereminentiam non convelluntur principia lumine naturæ nota, neq; falſificantur: neq; id verum eſt, quòd Myſterium Trinitatis, non poſſet aliter defendi, niſi per ſolā fidem, cum nos oſtendamus alium modū ſalvandi, & defendendi Myſterium Trinitatis, præter fidem. Quando autem aliquis Infidelis contingeret adeo pertinax, protervus, & rebellis, ut nullas Authoritates ſuſciperet, &

Myſte-

Mysterium Trinitatis negaret esse supra lumen naturæ, tunc modoprimùm recurrendum esset ad fidem, juxta doctrinam S. Augustini & S. Thomæ dicentis: *apud alios verò* (nempe Ethnicos pertinaces, & nullam rationem admittentes) *sufficit defendere non esse impossibile quod prædicat fides*. O quàm faciliores sunt multi alij Articuli, Fidei Catholicæ! ô quàm multi sunt modi quibus iidem articuli defenduntur! & tamen Hæretici illos derident, ludibrio exponunt, & cavillantur, neq; tamen ab illis articulis, & modis quibus dafenduntur recedere debemus: ita pariter licèt reperirentur tales Infideles, qui cavillarentur modum salvandi Trinitatis Divinæ, per suam supereminentiam, tamen ab hoc modo non est recedendũ, quia est in Concilijs, SS. Patribus, & tot rationibus fundatus, stabilitus, & confirmatus, & est facilior omnibus alijs modis, qui antea inventi fuerant, magisq; ad praxim reducibilis, quàm distinctio realis in 3tio, vel quæcunq; alia distinctio realis, ut supra ostendimus ñro 268. & ñro 269. in homine quocunq; rudi, casu quô dubitaret, & tentaretur de existentia, & veritate hujus Mysterij, in articulo mortis.

329. Urgetur: hymera definitivè est esse & non esse: item est esse tale, & non esse tale ejusdem de eodem respectu eodem. Sed juxta Theologos salvantes Mysterium Trinitatis per supereminentiam, quamvìs in Mysterio Trinitatis non verificetur, *esse & non esse*: tamen verificatur *esse tale & non esse tale* ejusdem de eodem, & respectu eodem, quia Pater est generans, Natura non est generans, Filius est genitus Natura Divina non est genita, Spiritus Sanctus est procedens, Natura Divina non est procedens. Ergo in sententia salvante hoc Mysterium, per supereminentiam Mysterij Trinitatis, competit definitio hymeræ, eidem Mysterio.

330. Respondeo primò cum Doctissimo Joanne de Ulloa in Tractatu de DEO disputatione 2da cap: 7mò fol: 78. num: margin: 86. ubi inquit: *Hæ ac similes voces* (ac objectiones) *quas Aristotelica Metaphysica edit, non tam impugnant sententiam nostram, quàm Mysterium ipsum, & oriundæ sunt, ex appræhensionibus, quibus imbui solemus à lumine Philosophiæ, &c: sed adventante Theologicâ, Doctrinâ, procul, o procul este prophanæ Philosophiæ & severius cum S. Leone serm: 7. de Nativitate:* Abigatur procul terrenarum caligo rationum, & ab illuminatæ fidei oculo mundanæ Sapientiæ fumus abscedat: Divina est enim Authoritas cui credimus, Divina est Doctrina quam sequimur.

331. Respondeo 2dò directè, & concedo primam partem Majoris nempe hanc: hymera definitive est: esse & non esse. 2dam partem Majoris distingvo. Hymera est esse tale, & non esse tale, *in creátis & in illis quæ sunt lumine naturæ cognoscibilia.* Concedo Majorem: *in Mysterio Trinitatis posito supra lumen naturæ, & admittente distinctionem rationis inter Naturam Divinam & Personas.* Nego Majorem: Similiter distingvo Minorem. Sed in Mysterio Trinitatis, verificatur, *esse tale & non esse tale*, & hoc *Mysterium est cognoscibile lumine naturæ.* Nego Minorem: Et hoc Mysterium *non est cognoscibile lumine naturæ simulq; in eo reperitur distinctio rationis inter Naturam Divinám & Personas.* Concedo Minorem, & nego Consequentiam, ac dico: quamvìs in Mysterio Trinitatis, verificatur *esse & non esse tale*, seu quamvìs ibi verificentur prædicata contradictoria restricta, ejusdem de eodem realiter, tamen quia ex una parte prædictum Mysterium, est ens positum supra lumen naturæ, ex altera parte, quia inter Naturam Divinam & Personas datur distinctio rationis, ideo Mysterio Trinitatis, non competit definitio hymeræ: quia distinctio rationis id præstat, quod prædicata contradictoria,

ria, decisa per Ecclesiam, verificentur *non de omnino eodem, sed de distinctis per rationem.*

ARTICVLVS XXVII.

In quo proponuntur reliquæ Objectiones.

332. OBijcitur 8vò., Supereminentia præfata (per quam juxta hactenus dicta salvatur Mysterium Trinitatis) non datur. Ergo per illam non potest salvari Mysterium à contradictione, præsertim si in eodē Mysterio, non admittatur ulla distinctio nemine cogitante talis, prout in hac sententia, non admittitur. Probatur Antecedens. Præfata supereminentia non habet fundamentum, & necessitatem, sive ex Authoritate, sive ex ratione intrinseca. Ergo &c.

333. Probatur prima pars Antecedentis. Præcipua Authoritas pro supereminentia, super principia prima, illa scilicet non conservante, est S. Damasceni, qui dicit, quòd *Trinitas Divina, sit supereminens ultra omnia, omni principio, & Ordini superlocata.* Sed hæc non potest intelligi de præfata supereminentia, super principia prima, illa non conservante. Ergo &c.

Probatur Minor: Si prædicta S. Damasceni Authoritas, aliæq; similes, possent intelligi ac explicari de supereminentia super principia prima, non conservante eadem principia, tunc sequeretur in Trinitate Divina non observari, aut saltem posse non observari, omnia omnino principia, luminis naturæ. Sed hoc implicat. Ergo &c.

Minor probatur: Si possent in Trinitate Divina non observari, omnia omnino principia luminis naturæ, tunc sequeretur, quòd Trinitas Divina, posset simul existere & non existere, seu non observare hoc principium:

Impossibile est idem simul existere & non existere. Idem dicendum de ratione infundata Principi absoluto, super omnem legem. Ergo & DEUS idem posset, quia est supra omnem legem: quodsi id non potest: jam erit intra, aut infra legem aliquorum principiorum.

334. Confirmatur. Authoritates quæ adferuntur pro supereminentia præfata, aliter sunt intelligendæ quàm intelliguntur à Defendente: nempe intelligendæ sunt vel de *supereminentia Divinæ perfectionis super quascunq; creaturas, vel de supereminentia identitatis, quâ Natura Divina, se identificat distinctis realiter*, & sic non sufficienter explicantur, nec possunt explicari de supereminentia, super principia prima, illa non conservante, ut supra ostensũ est. Ergo &c.

Probatur tandem 2da pars antecedentis: quia scilicet nulla ratio intrinseca ostendi potest, pro præfata supereminentia, in sensu Defendentis accepta. Ergo &c.

335. Respondeo 1mò retorquendo argumentum: Si per distinctionem realem in 3tio, vel aliam quamcunq; distinctionem realem, possent salvari prædicata contradictoria in Trinitate Divina, tunc etiam possent salvari & ista contradictoria: *Trinitas Divina potest existere, & non existere.* Sed hoc implicat. Ergo implicat, in Trinitate Divina, salvari aliqua contradictoria, per distinctionem realem in 3tio, vel aliam quamcunq; distinctionem realẽ.

336. Respondeo directè negando 1mum, & 2dum antecedens, 3tii argumenti concessa Majore, nego suppositum Minori, quòd supereminentia illa, quam admittimus, sit non conservativa, seu violativa, falsificativa, & sublativa primorũ principiorũ. Præterea Minorẽ distingvo. Sed Authoritas S. Damasceni non potest intelligi de præfata supereminentia super omnia principia prima, *quæ ab Infidelibus opponuntur contra Mysterium Trinitatis, in his quæ sunt revelata per fidem, de eodem Mysterio.* Nego Minorem. Sed Autho-

Authoritas S. Damaſceni non poteſt intelligi de ſuper-eminentia ſuper omnia principia prima, *quæ ab Infidelibus non opponuntur contra idem Myſterium.* Tranſeat Minor, & nego Conſequentiam, ac dico: principia prima alia ſunt, quæ ordinariè opponuntur ab Infidelibus contra Myſterium Trinitatis: alia ſunt talia, quæ non opponuntur contra idem Myſterium, & nullam difficultatem faciunt in eodem Myſterio. Authoritas ergo S. Damaſceni, & aliorum SS. Patrum, intelligitur & intelligenda eſt, de ſupereminentia ſuper omnia principia ıma, quæ ab Infidelibus opponuntur contra Myſterium Trinitatis: permitti autem poteſt, quòd non intelligatur de ſupereminentia ſupra omnia alia principia, quæ non opponuntur ab Infidelibus, contra præfatum Myſterium.

337. Adverto: Multi Authores, principium iſtud, *Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe*; cenſent eſſe idem cum iſto altero: *Implicat de identificatis adæquatè verificari prædicata contradictoria*: hoc autem falſum eſſe oſtendimus Artic: 23. ñro 239. proinde æqualiter tàm per hoc, quàm per illud, proponunt ſuas objectiones in hac materia: unde in talibus objectionibus ſemper eſt negandum ſuppoſitum, quòd prædicta duo principia, ſint idem & unum. Adverto item, quod licèt Myſterium Trinitatis, ſit ſupra omnia principia, per quæ Myſterium Trinitatis impugnatur: tolerari tamen poteſt quod non ſit ſupra iſtud principium: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*: ſiquidem iſta contradictoria: *Eſſe & non eſſe* non verificantur in Myſterio Trinitatis, nec ſunt deciſa vel revelata per fidem.

338. Quarti & quinti argumenti nego ſequelam majoris, cujus falſitas patet ex allata ſuperiùs retorſione. Deinde dum nos ſalvamus prædicata contradictoria per ſupereminentiam, ſalvamus tantùm illa, quæ ſunt ſupra lumen naturæ, & de quibus conſtat ex fide, de his au-

tem prædicatis contradictoriis: *Trinitas potest existere, & simul non existere:* non constat ex fide.

339. Quantùm ad confirmationẽ dico, quòd Authoritas S. Damasceni potest primò intelligi de supereminentia Divinæ perfectionis super quascunq; creaturas, 2dò de supereminentia identitatis, qua Natura Divina se identificat distinctis realiter. 3tiò potest & debet intelligi, de supereminentia super omnia principia prima, *quæ ab Infidelibus contra Mysterium Trinitatis opponuntur:* quia ut etiam ita intelligatur, & explicetur, nihil obstat: imò quòd ita debeat intelligi, constat ex hactenus dictis.

340. Illud hìc adverto. Juxta sensum oppositorum Authorum, authoritas S. Damasceni potest intelligi *de supereminentia identitatis, quâ Natura Divina se identificat distinctis realiter.* Sed hæc identitas non est subjecta huic principio simpliciter prolato ab Aristotele, ductum solius naturalis luminis sequente, non est inquam subjecta huic principio: *Quæ sunt eadem uni 3tio &c:* item non est subjecta huic alteri principio: *Implicat de identificatis realiter adæquatè verificari contradictoria:* tum quia Aristoteles de hac identitate absolutè ignoravit, tum quia fides aliter nos docet, ut est certum omnibus. Ergo præfata identitas quâ Natura Divina se identificat distinctis realiter, est supra ista prima principia. Ergo datur, & dari potest, supereminentia supra 1ma principia.

341. Sexti argumenti nego absolutè Antecedens, siquidem pro supereminentia Trinitatis Divinæ, & ejus existentia, dedimus rationem intrinsecam, ex definitione entis positi supra lumen naturæ & ex aliis ad probandam conclusionem allatis. Cæterum pro præfata supereminentia admittenda, potissima hîc ratio, ex authoritate Conciliorum, & SS. Patrum à nobis citatorum, & plures alij citari possent, si brevitati non studeremus.

342.

342. Objicitur 9no: Si Mysterium Trinitatis posset salvari ab Argumentis Infidelium, per suam supereminentiam tunc omnia argumenta Infidelium, possent solvi illa ratione, quòd idem Mysterium Trinitatis, sit supra lumen rationis, & supra principia lumine naturæ nota: Sed argumenta Infidelium, non possunt solvi prædicta ratione. Ergo &c. Major certa, Minor probatur. Si argumenta Infidelium possent solvi illa ratione, quòd hoc Mysterium sit supra lumen naturæ, & supra principia lumine naturæ nota, tunc id totum conceditur Infidelibus, quod concedi sibi volunt: id negatur, quod minimè judicant negari debere: non defenditur autem ab impossibilitate Mysterium, sed impossibilitas hujusmodi supereminentiæ nomine, palliatur: Sed hoc admitti non debet. Ergo &c.

343. Respondeo concessa Majore, & supposita distinctione rationis inter Naturam Divinam & Personas, à nobis admissa, nego minorem 2di argumenti nego sequelam majoris. Ratio negandi est: quia Infideles concedi sibi volunt, quòd Mysterium Trinitatis, sit subjectum lumini naturæ, & principiis lumine naturæ notis, nempe illis: *Quæ sunt eadem uni 3tio* &c. Item: *Implicat de identificatis verificari contradictoria*: & exinde inferunt, quòd Mysterium Trinitatis sit hymericum: nos autem negamus quòd Mysterium Trinitatis sit subjectum lumini naturæ, & principiis prædictis, & consequenter negamus, quòd hoc Mysterium sit hymericum. Falsum item est, quòd illis id negamus, quod illi minimè judicant negari debere: quia pro hoc, nulla adfertur ratio. In eodē argumento opponitur, quòd impossibilitas Mysterij, supereminentiæ nomine palliatur, sed pro ista palliatione pariter nullum adfertur fundamentum, unde ego pariter dicere possem, quòd impossibilitas Mysterij non defenditur

ditur per distinctionem realem in 3tio, sed nomine prædictæ distinctionis, impossibilitas Mysterij palliatur.

344. Objicitur 10mò. Si per præfatam superemminentiam posset salvari Mysterium Trinitatis, tunc ad argumenta Infidelium posset responderi per hanc distinctionem, seu explicationem principiorum: *Et hoc principium seu hæc principia procedunt de rebus creatis, & de iis quæ sunt lumine naturæ cognoscibilia vel nota.* Concedendum. *Et hæc principia procedunt etiam de ipso Increato SSmæ Trinitatis Mysterio, posito supra lumen rationis.* Negandum. Sed per hanc distinctionem non possunt solvi omnia argumenta Infidelium. Ergo &c. Minor probatur: Ex vi talis distinctionis sequitur Mysterium Trinitatis, non conciliari cum principiis lumine naturæ notis, nec talium principiorum veritatem, cum veritate hujus Mysterij stare posse. Ergo &c.

345. Eadem Minor probatur 2dò. Fundamentum prædictæ distinctionis, & explicationis primorum principiorum, est hoc, quia *principia lumine naturæ nota, ad illa nonnisi extenduntur, ubi in contra non habetur, nec haberi potest ratio ex lumine supernaturali fidei.* Sed hoc fundamentum, seu propositio, & ratio, non subsistit. Ergo &c. Minor probatur. Prædictum fundamentum, & ratio hoc supponit, quòd in aliquibus, & in particulari, in Mysterio Trinitatis, contra principia lumine naturæ nota, habeatur vel haberi possit ratio, ex lumine fidei supernaturali. Sed hoc suppositum est falsum. Ergo &c. Minor probatur: Si hoc suppositum esset verum, tunc hoc nil aliud esset, nisi revelatum esse, & fide Divina credi, quòd Mysterium Trinitatis, sit contra principia lumine naturæ nota; ipsisq; adversetur, *& quidem per hoc, quod sit supra talia principia.* Sed hoc est falsum. Ergo &c. Confirmatur Illa Propositio à Defendente usitata: *Ratio ex lumine supernaturali fidei,*

dei, est superior & potior, ratione naturali primorum principiorum: non ita intelligi debet, quòd rationis superioris, & potioris veritas, tollat veritatem naturalem primorum principiorum, nec eam compatiatur: sed potiùs, quòd assensus veritati rationis superioris, firmior esse debeat, quàm assensus rationi naturali.

346. Respondeo 1mò Concedo sequelam Majoris supposita distinctione rationis, inter Naturam Divinam & Personas, minorem nego, & probationem illius, quia nulla hujus probationis, adfertur ratio.

347. Respondeo 2dò: Certum esse ex Dialectica, & usu continuo Philosophorum quòd dum aliquod principium, vel propositio distingvitur à Defendente, tunc ille, qui vult restaurare argumentum, in contra & urgere suum intentum, debet assumere partem distinctionis negativam, & contra illam argumentari. Dum ergo nos damus hîc distinctionem principiorum, superiùs allatam, tunc contra illam deberet in forma sic urgeri: *Quæ sunt eadem uni 3tio sunt eadem inter se, etiam in Mysterio Trinitatis posito supra lumen naturæ & compatiente distinctionem rationis, inter Naturam Divinam & Personas.* Jam verò oppositi Authores, nunquam sic argumentantur, contra nostrã distinctionem, ut constat ex responsionibus eorum, sed tantùm indirectè rationes adferunt, in nullo nixas fundamento, ut patet ex immediata objectione. Porro si vellent directè & debitè argumentari, tenerentur ita restaurare argumentum, illudq; probare, sicut nos præmisimus, hoc autem nunquam probabunt, nec probare possunt.

348. Quantùm ad secundam probationem. Nego 1mi, 2di, 3tii argumenti minorem: Quòd autem contra principia lumine naturæ nota, habeatur vel haberi possit ratio, ex lumine fidei supernaturali, id suppositum non est

fal-

fallum, sed verissimum. Pro hac veritate adduco verba jam superiùs citata, Doctissimi Joannis de Ulloa qui in Prodromo distin: 1. cap: 4. ñro 44. inquit: *Si perconteris, an absolute, & universaliter loquendo, sit verum identificari inter se, quæ identificantur cum 3tio omnino singulari? Respondeo: negativè, licèt enim Authoritas, atq; ratio naturalis respondeant affirmativè:* habemus nos firmiorem Propheticum sermonem cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti, in caliginoso loco. *Porro firmior sermo est quem protulit Theologus ille,* & hi tres unum sunt, *quò docemur aliqua esse realiter distincta, quanquàm identificentur cum uno 3tio.* Id ipsum censent SS. Patres à nobis citati.

349. Ad ultimam rationem respondeo: Quando dicimus, quòd habetur, vel haberi potest ratio ex fide, contra prima principia, hoc non intelligimus, quòd hæc ratio, habeatur ad tollenda, falsificanda, violanda, & auferenda principia prima, sed ad hoc, & in eo sensu, quòd principia prima se non extendant, nec debeant extendi ad Mysterium Trinitatis, positum supra lumen naturæ, & supra principia lumine naturæ nota, quæ hic ab Infidelibus opponuntur, & præterea sic intelligimus, quòd de Mysterio Trinitatis, posito supra lumen naturæ, & supra principia lumine naturæ nota, non possit æqualiter discurri, sicut discurritur in his, quæ sunt lumine naturæ cognoscibilia. Quod autem de Mysterio Trinitatis non possit ita æqualiter discurri sicut discurritur in his, quæ sunt creata, & lumine naturæ cognoscibilia: constat id ex eo, quod hoc Mysterium sit ens positum supra lumen naturæ, ut jam deduximus, constat item ex SS. Patribus superiùs citatis, pro nostra conclusione & Illato: nempe constat ex S. Augustino citato ñro 262. ubi inquit: *In rebus corporeis itá esse, non in illa summa Trinitate &c:* & ex S. Anselmo citato ñro 263. & ex S. Thoma citato pariter ñro 264.

350. Sicut ergo ratio, quæ habetur vel haberi potest ex fide, contra prima principia, non tollit, non violat, non falsificat eadem principia, ita & Mysterium Trinitatis, non tollit, non falsificat, nec violat eadem principia per hoc, quod sit supra prima principia; eo enim ipso, quòd sit supra prima principia, non tollit, nec falsificat prædicta principia, sicut Princeps absolutus positus supra aliquam legem, non violat illam legem.

351. Addo: Quoniam nobis frequenter opponitur, quòd Mysterium Trinitatis, non conciliemus cum principiis lumine naturæ notis, ideò quòd conciliemus, probo seqventibus rationibus. Primò: Omnis distinctio seu explicatio principij vel alicujus Propositionis, conciliat unam veritatem, cum altera. Dum ergo nos damus distinctionem, seu explicationem, præfatorum principiorum, & dicimus, quòd illa procedant de his, quæ sunt lumine naturæ cognoscibilia, non autem de his quæ sunt posita supra lumen naturæ, tunc eo ipso conciliamus Mysterium Trinitatis, cum principiis lumine naturæ notis. 2dò. Princeps absolutus positus supra aliquam legem, benè conciliatur cum Legibus sui Regni, etiamsi aliquam legem non observet. Ergo & Mysterium Trinitatis, positum supra principia prima, conciliatur cum his principiis, licèt ex illis aliqua non observet.

352. 3tiò: Oppositi Authores sententiæ nostræ, conciliant Mysterium Trinitatis, partim per destinctionem virtualem intrinsecam, partim per distinctionem formalem ex natura rei, partim per distinctionem realem in 3tio, ut ipsi docent, & censent. Ergo nos benè conciliamus Mysterium Trinitatis, cum principiis primis, per supereminentiam conjunctam cum distinctione rationis: si enim illi benè conciliant Trinitatem Divinam, cum principiis per suos modos? cur nos per nostrum modum,

per supereminentiam, cum distinctione rationis, con-
seu ciliare non possumus? quæ enim hìc disparitas? 4tò. Ideò
in sententia salvante Mysterium Trinitatis per supereminentiam, non conciliaretur Mysterium Trinitatis cum principiis primis, quia prædicta prima principia falsificarentur, tollerentur, violarentur, per prædictam supereminentiam. Sed principia prima non falsificantur, non tolluntur, nec violantur per supereminentiam, ut toties jam probatum est. Ergo &c. Hæ omnes rationes militant etiam pro eo, quòd veritas primorum principiorum possit stare, & defacto stet cum veritate hujus Mysterij.

353. Ad extremum ut ostendatur id, quòd Mysterium Trinitatis Divinæ, conciliemus cum primis principiis, & quòd veritas primorum principiorum, stet cum veritate Mysterij, sciendum & notandum est. Sicut status naturæ accipitur dupliciter, scilicet; vel status puræ naturæ, qui nihil supponit supernaturale: vel status naturæ elevatæ, qui supponit aliquid supernaturale, ita Principia Philosophica, naturalia & lumine naturæ nota, dupliciter possunt accipi, vel *ut purè & præcisè talia, seu independentia ab omni lumine supernaturali, vg: Fidei Divinæ, vel ut elevata seu dependentia ab aliquo lumine supernaturali, illudq; supponentia.* Principia naturalia, & lumine naturæ nota, *ut purè & præcise talia*, sunt Propositiones quædam, certæ, & evidentes, ex ipsis terminis, & ex ipso intellectus nostri lumine naturali notæ, quæ procedunt de suis objectis, nulla habita reflexione ad lumen supernaturale, & ad ea quæ solum ex lumine supernaturali, vel dependenter ab illo, tanquam motivo cognosci possunt, & hoc communiter intelligitur, per principia naturalia, & lumine naturæ nota, simpliciter prolata, ut pote accepta ab Ethnicis Philosophis, destitutis lumine supernaturali, Fidei Divinæ. Jam verò Principia naturalia, & lumine naturæ nota,

nota, *ut elevata*, sunt similes Propositiones, quæ procedunt de suis objectis, habita jam reflexione ad lumen supernaturale, & ad ea, quæ solùm ex lumine supernaturali, & dependenter ab illo tanquam motivo cognosci possunt. Sic *vg*: Illud principium: *Quæ sunt idem simpliciter cum uno 3tio, sunt idem simpliciter & inter se.* Purè & præcisè simpliciter sic prolatum, non supponit ullum lumen supernaturale, & ea, quæ ex solo hoc lumine, vel dependenter ab illo, tanquam motivo cognosci possunt, utpote posita supra lumen naturæ, adeoq; non procedit de his, ut jam supra dictum, sed tantùm de his, quæ sunt lumine naturæ nota, aut cognoscibilia, independenter ab omni lumine supernaturali, tanquam motivo, ita ut illius principij sensus sit iste: *In illis quæ sunt ex ipsa præcisè vi luminis naturalis nota, aut cognoscibilia, quæcunq; sunt idē simpliciter cum uno 3tio, sunt idem simpliciter & inter se.* Potest verò sic elevari, & compleri ab intellectu instructo, jam supernaturali lumine fidei, tam in illis, quæ sunt præcisè ex ipsa vi lùminis naturalis nota, aut cognoscibilia, quàm in illis etiam, quæ sunt posita supra lumen naturæ: *Quæcunq; sunt idem simpliciter cum uno 3tio, sunt idem simpliciter & inter se, ubi in contra non habetur, nec haberi potest ratio potior, & superior, ex lumine supernaturali, vg: Fidei Divinæ.* Similiter & alia principia naturalia, ac lumine naturæ nota, elevari, atq; compleri possunt, dependenter à lumine supernaturali, ut evadant supernaturalia: & licet illa, ut purè & præcisè naturalia, aut lumine naturæ nota, non extendant se ad illa, quæ sunt posita supra lumen naturæ, possunt tamen à nobis extendi, & extenduntur, sed *ut elevata & completa* prædicto modo, ex quibus nihil absolutè ab Infidelibus inferri potest contra Mysterium Trinitatis. Ita in terminis supereminens sententiæ de supereminentia Author, & solidissimus Defen-

for. Hanc doctrinam suam & explicationem seu complectionem principiorum fundat in Doctoribus à se citatis, & in Doctissimo Joanne de Ulloa à nobis toties citato, qui in Prodromo Disp: 1ma Cap: 3. ñro 38. ad finem docet, quòd *veritates Metaphysicas, & universales, oporteat metiri non sola regulâ, quam subministrat lumen naturale, sed illâ etiam, quam Fides Divina præbet: ideo prima principia intelligere debemus, non tantùm juxta sensum naturæ rationalis, sed etiam supernaturalis.* Hoc ipsum docet idem Doctissimus Ulloa in Tractatu de DEO Disp: 1. Cap: 6. ñro 78. & 79. ubi agendo de attributis, quæ non multiplicantur in Divinis, sic inquit: *Hinc licèt in Divinis sint tres Relationes reales, ratione unius simplicis realitatis, non tamen sunt tres ratione triplicis realitatis: sicut sunt tres Personæ Divinæ, ratione unius solius Divinitatis, non ratione trinæ: ergo sicut ex eo, quòd sint tres Personæ Divinæ, non sequitur Personas addere Divinitatem ultra Essentiam, ita ex eo, quòd sint tres relationes reales, non sequitur esse tres realitates. Sunt quidem tres, & est de fide ternarius numerus, sed ternarius in ratione Personalitatis, sive relationis, secus in ratione entitatis, essentiæ, aut perfectionis* &c. Et inferius num: 79. subdit: *Quorum ratio semper, & ubilibet inculcanda est: non aliam multiplicitatem admittere debemus, nisi quam ex scripturis docemur ab Ecclesia, hoc quippè Mysterium non est regulandum, per Metaphysicas rationes, quia omnes illas prætervolat.*

354. Idem sentire videtur, magnum almæ Universitatis Cracoviensis lumen, Rmus Simon Makowski S. T. D. & Professor, qui in Tractatu 6. de SS. Trinitate quæst: 5. in supposito 3tio inquit: *In usu nominum, vel propositionum, in materia Trinitatis, recurrendum esse ad communem usum, & significationem, neq; semper posse haberi rationem rigoris Logici, hoc est, quomodo in logico rigore termini, aut propositiones accipi deberent. Hinc frequenter non secundum rigorem Philoso-*

losophicum, sed juxta communem usum propositiones, in hac materia, negandæ, aut explicandæ sunt. Ex quibus verbis infero: quoniam in materia Trinitatis termini, & Propositiones non semper sumendæ sunt, juxta rigorem Philosophicum. Ergo sumi possunt & sumendæ sunt etiam juxta rigorem Theologicum, & juxta ordinem supernaturalem: consequenter Propositiones naturales, possunt elevari ad ordinem, sensum, & intelligentiam supernaturalem.

355. Supposita hactenus deducta explicatione, divisione, completione, & elevatione primorum principiorũ, satis evidenter constat, quòd conciliemus Mysterium Trinitatis cum primis principiis: quæ prædicto modo explicata, completa, & elevata, evadunt universalissima, amplissima, & ita vastissima ut se extendant etiam ad Mysterium Trinitatis. Constat item ex dictis, quòd in illis omnibus, & in illis tantùm, circa Mysterium Trinitatis positum supra lumen naturæ, proportionatè discurrendũ est, sicut discurrimus in creatis, juxta principia lumine naturæ nota: ubi non habetur in contra ratio, majoris momenti ex fide, & sensu Ecclesiæ, & SS. Patrum.

356. Pro hac veritate confirmanda addo. Ista Propositio: *Aliqua quæ sunt idem simpliciter cum uno 3tio, sunt idem simpliciter & inter se, etiam ibi, ubi in contra habetur, & haberi potest ratio potior & superior, ex lumine supernaturali vg: Fidei Divinæ.* est falsa: quia est cum præjudicio fidei. Ergo ista altera est vera: *Quæcunq; sunt, idem simpliciter cum uno 3tio, sunt idem simpliciter & inter se, ubi in contra non habetur, nec haberi potest ratio potior, & superior ex lumine supernaturali vg: Fidei Divinæ:* est inquam vera, quia est una ex contradictoriis & quia est conformis fidei.

357. Infertur ex hactenus dictis. Mysterium Trinitatis est supra lumen naturæ, & supra principia lumi-

ne naturæ nota. Ergo Mysterium Trinitatis, non est contra lumen naturæ & contra principia lumine naturæ nota. Antecedens jam est probatum ex SS. Patribus à nro 261 usq; ad numerum 264. Pro hujus Antecedentis veritate, adduco etiam Rmum Simonem Makowski in Alma & Celeberrima Universitate Cracoviensi S. T. Doctorem & Professorem, multis Tractatibus Philosophicis, & Theologicis in lucem editis Clarissimum, qui Parte 1. Theologiæ, Tractatu 6. de Mysterio Trinitatis quæst: 6. Art: 1. inquit: *Lumine naturali impossibile est, devenire in cognitionem Mysterii SSmæ Trinitatis, illudq; demonstrare seclusa omni revelatione*; quod probat ex Math: Cap: 11. *Nemo novit Filium, nisi Pater, neq; Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Item probat ex Cap: 16. *Caro & sanguis non revelabit Tibi, sed Pater meus &c.* Et ex prima ad Corinth: 2dò: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam verò non hujus sæculi, neq; Principum hujus sæculi, quam nemo Principum hujus sæculi cognovit.* Probat tandem eandem veritatem ex S. Hilario, ex S. Augustino, & Gregorio II. summo Pontifice. Ergo &c.

358. Probatur Consequentia. Quidquid est supra lumen naturæ, non est contra lumen naturæ: quidquid est supra prima principia, non est contra prima principia: quidquid est supra aliquam legem, illud non est contra eandem legem, ut toties deduximus instantiâ, de Principe absoluto, posito supra aliquam legem. Ergo &c. Probatur 2dò eadem Consequentia. Idem Doctissimus Simon Makowski postquam concluserit, quòd in cognitionem SSmæ Trinitatis, non possimus devenire lumine naturali, seclusa omni revelatione, tunc post prædictam conclusionem à se probatam, immediatè subjungit Corollariû 1mû his verbis: *Mysterium SSmæ Trinitatis est supra rationem naturalem*, & hoc ibidem probat solidissimè: post

quas

quas probationes subjungit Corollarium 2dum his verbis: *Non est contra Naturam seu veritatem aliquam naturalem, tres Personas esse unius Essentiæ*: & hoc ibidem pariter probat. Ex quibus duobus Corollariis, seu illatis Propositionibus, post primam Conclusionem principalem, sic argumentor. Præfatus Solidissimus Doctor & Professor, 1mo, posuit Propositionem istam: *Mysterium SSmæ Trinitatis, est supra rationem naturalem*: 2dam posuit: *Non esse contra naturam, seu veritatem aliquam naturalem, tres Personas esse unius Essentiæ*. Ergo ex eo, quòd Mysterium Trinitatis sit supra rationem naturalem, infert quòd Mysterium Trinitatis, non sit contra rationem naturalem. Ergo sicut ille, ex eo, quòd Mysterium hoc sit supra rationē naturalē, infert, quod non sit contra rationē naturalem: ita & nos pariter inferimus: adeoq; Consequentia ex 1mo Antecedente illata, est rectissima.

359. Huc spectat quod idem præclarissimus Universitatis Cracoviensis Doctor Tractatu 6. de Mysterio SS. Trinitatis ante Disp: 1mam inquit: *Mysterium SSmæ Trinitatis, adeò sublime est, ut vix ab humano ingenio concipi possit*. Citatq; pro se S. Aug: lib: 3. contra Maximinum Arrianum, ubi inquit: *Qui potest capere capiat, credat & oret, ut quod credit, intelligat. Quid enim hîc, nisi tenebræ; ubi ratio caligat, & mens deficit*.

360. Obijcitur 11. Ideò per supereminentiam non falsificarentur prima principia, quia Mysterium Trinitatis est ens positum supra lumen naturæ, & supra eadem prima principia: quod ipsum illustratur paritate, de Principe absoluto posito supra legem, qui licèt non observet aliquam legem, tamen non violat, nec falsificat prædictam legem: sed hæc paritas non subsistit. Ergo &c. Minor probatur. Paritati prædictæ opponitur alia paritas, quæ sic institui debet. Etiamsi in supremo Principe, obliga-

tio legis (quæ vocatur positiva, & quam ipse Princeps li-berè tulit) locum non habeat, nec Princeps tali legi sit obnoxius, & subjectus; tamen etiam in supremo Principe, obligatio legum quarundam (quæ vocantur leges natu-ræ) locum habet, nec talibus legibus potest contraveni-re dictus Princeps, & casu quo violaret aliquam, peccaret, & ageret contra legem. Tales leges sunt de non men-tiendo, de stando promissis, de servando juramento pro-missario, de displicendo sibi in malo culpæ &c. Ergo si-militer licèt aliquæ veritates, & quasi principia exigentiis rerum infundata, sint talia, ut DEUS illis non teneatur, possitquè iisdem contravenire. Tales veritates sunt *vg*: *Ignis approximatus urit, sol in suo cursu non consistit*, & simi-les. Tamen sunt aliæ veritates, & Principia, eaquè pri-ma & universalissima, exigentiis Metaphysicis infundata, quibus ita DEUS tenetur, ut falsa esse non possint. Ta-lis veritas est: *Quod creatura, si existat, non possit non depen-dere à DEO.* Talia item Principia sunt: *Impossibile est idem esse & non esse. Quæ sunt eadem uni 3tio* &c.

361. Confirmatur. Sicut repugnat summæ Sanctita-ti Divinæ, ita Deum esse supra quascunq; leges, etiam su-pra leges naturæ, ut DEUS nullis teneatur, sed possit con-travenire omnibus. Ita repugnat summæ, & perfectissimæ Essentiæ Divinæ, Deum ita esse supra quæcunq; principia, etiam universalissima, & quæ sunt lumine naturæ nota, ut hæc in DEO locum non habeant, nec DEUS illis te-neatur, sed hæc de DEO dicta falsificari debeant.

362. Respondeo 1mi argumenti. Nego minorem, 2di argumenti concedo Antecedens, & Consequentiam, quia nihil est contra nostram sententiam: nos enim agi-mus hîc de Mysterio Trinitatis, non autem de DEO sim-pliciter prolato, seu 2dum unitatem Essentiæ sumpto. Por-ro DEO 2dum unitatem Essentiæ sumpto, omnia ista

compe-

competunt, quæ in Consequente adferuntur: quia DEUS 2dum Unitatem essentiæ sumptus, potest cognosci ratione naturali, ut certum omnibus, & constat ex S. Thoma à nobis citato ñro 264. ubi dicit: *Per rationem igitur naturalem, cognosci possunt de DEO ea, quæ pertinent ad Unitatem essentiæ, non autem ea, quæ pertinent ad distinctionem Personarum.* Ultimam tamen Consequentiam nempe illam: *Ergo paritas de Principe absoluto, posito supra aliquam legem non subsistit*: absolutè nego.,

363. Si autem argumentum procedat, de DEO secundum distinctionem Personarum sumpto, seu de ipsa Mysteriosissima Trinitate Divina, tunc imprimis nego suppositum, quòd hìc à nobis instituta fuerit paritas de Principe absoluto supra omnem legem posito, quia hìc non potest dari supra omnem legem. Nego item suppositum alterum, quòd Trinitas Divina sit supra omnia principia prima, nullo excepto: sed dicimus, quòd Trinitas Divina, sit supra omnia principia prima, *quæ ab Infidelibus opponuntur, contra eandem Trinitatem, præsertim in his, quæ sunt decisa per fidem, de eadem Trinitate.*

364. Supposito tandem, quòd argumentum procedat de ipsa Trinitate, tunc pariter tàm antecedens, quàm consequentia concedi potest: Trinitas enim Divina non contravenit ullis exigentiis, & veritatibus metaphysicis, quales sunt illæ: *Quæ sunt eadem uni 3tio, sunt eadem inter se.* Item: *Impossibile est idem esse, & non esse.* Item: *Implicat de identificatis verificari prædicata contradictoria*: quia istæ veritates sunt verissimæ in creatis, & in iis quæ sunt lumine naturæ cognoscibilia: sunt etiã verissimæ, in Mysterio Trinitatis, *ubi in contra non habetur, nec haberi potest ratio potior, & superior ex lumine Fidei Divinæ*, ut supra deductũ ñro 262. & alijs; ubi autẽ in contra habetur, vel haberi potest ratio potior, & superior, ex lumine supernaturali fidei, tunc juxta eandẽ

rationem potiorem, & superiorem, de Mysterio Trinitatis discurrendum est: neq; tamen per hoc falsificabuntur prima principia: sicut enim Mysterium Trinitatis est supra lumen naturæ, & supra prima principia, ita eadem principia non extendunt se ad idem Mysterium, nec Mysterium continetur sub illis, consequenter prima principia, non falsificantur per præfatum Mysterium, ut jam toties diximus, & probavimus: Si autem dicta principia ita intelligantur, explicentur; & eleventur, sicut dictũ est ñro 259. tunc se extendunt, etiam ad Mysterium Trinitatis, sed exinde nihil contra nos inferri potest.

365. Quòd autẽ Trinitas Divina non contraveniat exigentiis, & veritatibus metaphysicis, ratio est: Juxta ipsos oppositos, Trinitas Divina, non contravenit exigentiis, & veritatibus metaphysicis, si inter Naturam Divinam & Personas, admittatur distinctio realis in 3tio. Ergo etiam, eadem Trinitas Divina, non contravenit exigentiis, & veritatibus metaphysicis, si inter Naturam Divinam & Personas, admittatur distinctio rationis, conjuncta supereminentiæ ejusdem Trinitatis, sicut à nobis admittitur.

366. Adverto: Quando nos dicimus, quòd principia prima non falsificentur in Mysterio Trinitatis: damus rationem, quòd Mysterium Trinitatis sit supra lumen naturæ: hanc autem rationem probamus, & illustramus ulterius hac paritate: *Princeps absolutus positus supra aliquam legem, non falsificat, neq; tollit illam legem, etiamsi illam non observet. Ergo pariter Mysterium Trinitatis, positum supra lumen naturæ, non falsificat, neq; tollit leges primorũ principiorũ, etiamsi illa non observet.* Ad hanc paritatẽ danda esset ab oppositis directa disparitas, & tamen illa hactenus non est data: & licet in immediata objectione tractaretur de ista paritate, tamen ad illam non apparet ulla disparitas, sed tantum alia est instituta paritas, ad quam ut præmissum est, sufficienter re-

sponsionem dedimus. Qui ergo vult probare convictivè, quòd in Mysterio Trinitatis falsificentur principia prima, ante omnia, vel debet dare disparitatem directam, de Principe absoluto posito supra aliquã legem, vel debet id probare, quòd Princeps absolutus etiam positus supra aliquam legem, tollat & falsificet legem, quando illam non observat.

367. Adverto 2dò: Sicut in alijs objectionibus, ita in præsenti objectione, & paritate instituta, supponitur, quòd principium illud; *Impossibile est idem simul esse, & non esse*, sit omnino idem cum illo altero: *Implicat de identificatis realiter adæquatè verificari prædicata contradictoria*: hoc autem falsum est. Ratio est: prædicata contradictoria irrestricta, non sunt idẽ cum prædicatis contradictoriis restrictis, & è contra. Ergo & principia prædicta non sunt idem secum. Probatur Antecedens: In Trinitate Divina verificantur contradictoria, restricta v.g. *Paternitas est generans*, *Natura Divina non est generans*: ut certum est ex fide; non verificantur autem ista prædicata contradictoria; *Paternitas est, Natura Divina non est*: quia talia prædicata non sunt revelata, neq; decisa per fidem. Ergo &c. Præterea inter hominem, & materiam primam (ex qua componitur homo) verificantur ista contradictoria: *Homo est discursivus*: *Materia prima non est discursiva*: & tamen non verificantur ista contradictoria: *Homo est, materia prima non est*: ut certum omnibus. Ergo prædicata contradictoria irrestricta, non sunt idem cum contradictoriis restrictis, & è contra. Unde ulteriùs infero, quòd istud principium; *Impossibile est idem simul esse, & non esse*: impertinenter hìc in paritate instituta, adductum est, & in aliis locis.

368. Dices: Ex prædicatis contradictoriis, quibuscunq; inferuntur esse simpliciter, & non esse simpliciter. Ergo ubi verificantur prædicata contradictoria restricta, verificantur etiam contradictoria irrestricta. Probatur Ante-

cedens. Ex esse restricto benè infertur esse simpliciter: ex ratione specifica benè infertur ratio generica: ex esse animalis rationalis; benè infertur ratio animalis simpliciter. Ergo si repugnat de eodem verificari esse simpliciter, & non esse simpliciter; etiam repugnat de uno eodemq;, verificari ulla alia prædicata contradictoria.

369. Respondeo: nego primũ Antecedens: probationem ejus distingvo. Ex esse restricto *affirmativo*, rectè infertur esse simpliciter. Concedo Antecedens: ex esse restricto *negativo*, benè infertur esse simpliciter. Nego Antecedens, & Consequentiam, ex secundo Antecedente illatam: quia in Trinitate Divina repugnat verificari, *esse simpliciter*, & *non esse simpliciter*, ut certum ex fide, & tamen non repugnat verificari, alia prædicata contradictoria, nempe restricta, ut pariter certum est ex fide; quæ ne sint chymerica, hactenus de hac difficultate solvenda, & salvanda egimus, & laboravimus, & ad hoc jam præcedentibus numeris respondimus.

370. Obijcitur 12mo. Ex hactenus dictis patet, quòd distinctio rationis admittitur pro modo salvativo Mysterii Trinitatis ab argumentis Infidelium. Sed per distinctionem rationis non potest salvari Mysterium Trinitatis, ab argumentis Infidelium. Ergo &c. Minor probatur: Inter alias difficultates, quæ reperiuntur in Mysterio Trinitatis, sunt etiam prædicata contradictoria, quæ de Natura Divina, & Personis, juxta fidem verificantur. Sed hæc prædicata non possunt salvari, & solvi per Distinctionem rationis. Ergo &c. Probatur minor: Prædicata contradictoria, quæ verificantur de Natura Divina, & Personis, sunt absoluta realia, & nullatenus dependentia ab actibus intellectus. Sed prædicata contradictoria realia, non possunt solvi per distinctionem rationis. Ergo &c. Minor probatur: Distinctio rationis, est improportionata

salvan-

salvandis prædicatis contradictoriis realibus, quia illa fit per actus intellectûs: prædicata autem contradictoria realia, non dependent ab actibus intellectûs. Porro qualia sunt contradictoria, talis requiritur distinctio ad illa salvanda; nempè ubi sunt contradictoria realia, requirunt distinctionē realē, ubi verò sunt contradictoria tantùm per rationē apparentia, ibi requirunt distinctionem rationis.

371. Respondeo: primo retorqueo argumentū de Distinctione Virtuali intrinseca, formali ex natura rei, item de distinctione reali in 3tio, & de quacunq; alia distinctione reali etiam Bacconica, (de qua agemus in Appendice) præsertim autem retorqueo de distinctione reali in 3tio, mediata, hoc modo: Prædicata contradictoria quæ verificantur de Natura Divina, & Personis, sunt immediata. Sed per distinctionem mediatam, non possunt solvi prædicata contradictoria immediata: quia talis distinctio est prædicatis immediatis improportionata: illa enim est mediata, contradictoria autem sunt immediata. Ergo &c. Unde datô non concessô, quòd aliqua prædicata contradictoria mediata (quæ hic excogitantur ab oppositis) salvarentur per distinctionem realem mediatam, non salvarentur tamen prædicata contradictoria imediata.

372. Respondeo 2dò directè juxta dicta nro 272. distingvendo Majorem. Distinctio rationis *conjuncta supereminentiæ Trinitatis Divinæ*, admittitur à nobis pro modo salvativo Trinitatis. Concedo Majorem: Distinctio rationis *se sola sine supereminentia*, admittitur pro modo salvativo Trinitatis. Nego Majorem. Similiter distingvo minorem. Sed per distinctionem rationis *solam, sine supereminentia*, non potest salvari Mysterium Trinitatis, ab argumentis Infidelium. Concedo minorem: Sed per distinctionem *conjunctam cum supereminentia*, non potest salvari Mysterium Trinitatis. Nego minorem, & Consequentiam.

tiam. Ulteriora argumenta id probant, quod inter Naturam Divinam & Personas, debeat dari distinctio realis immediata, quod est contra fidem, & Concilia, & ipsi Authores nobis oppositi, quamvis admittant, inter Naturam Divinam & Personas, distinctionem realem in 3tio mediatam, tamen non admittunt distinctionem realem immediatam: quia admittere distinctionem realem immediatam, Naturæ seu Essentiæ Divinæ à Personis, est error Gilberti: damnatus ab Ecclesia, Ecclesiæ ergo obedire tenemur, non rationi naturali; adeòq; negamus distinctionem realem immediatam Naturæ Divinæ, à Personis, quamvis ibi verificentur prædicata contradictoria realia immediata; negamus pariter distinctionem realem in 3tio mediatam propter eandẽ rationem, & alias inferiùs dandas,

373. Ad pleniorẽ responsionẽ prædictæ objectioni; Ad do primo. Doctissimus Joannes de Ulloa in disputatione 1ma Prodromi, Cap: 5to, n̄ro 51, proponit quæstionem; quonam modo faciendæ sint Conversiones in Mysterio Trinitatis? quam quæstionem resolvit his verbis: *Respondeo cum in hoc arcano Trinitatis negotio, talis detur specialitas, qualem nusquam alibi deprehendimus, extra regulas communes erumpere cogimur.* Pariter dum hîc opponitur, quòd ubi verificantur contradictoria realia, ibi debeat dari distinctio realis, tunc ad hoc respondeo; *cum in hoc arcano Trinitatis negotio, talis detur specialitas, quam nunquam alibi deprehendimus, extra regulas communes erumpere cogimur.* Regula communis & naturalis est, quòd ubi verificantur prædicata contradictoria realia, ibi debet dari distinctio realis, tamen in Mysterio Trinitatis, aliter discurrendum est. Erumpimus ergo extra istam regulam communem, ad supereminentiam Trinitatis Divinæ, & ad distinctionem rationis, salvando præfata contradictoria realia immediata, tam per ipsam supereminentiam Trinitatis

tatis Divinæ, quàm per Distinctionem rationis, quam solam admittunt Concilia, inter Naturam Divinam & Personas, ut ostendimus ñro 283. & alibi fusiùs deducemus. Licèt ergo prædicta distinctio, *se sola sumpta*, sit improportionata ad salvanda contradictoria realia, tamen non est improportionata, cum supereminentia Trinitatis Divinæ. Huc spectat quod idem Ulloa in Tractatu de DEO Disp: 2. Cap: 3. ñro 24. inquit: *Distinctio non debet exactè regulari per contradictoriorum susceptionem, alias cum Paternitas & Essentia, realiter simpliciter, & absolutè suscipiant contradictoria, distingverentur realiter simpliciter absolutè, ut dicebat Porretanus.* Quod est contra fidem. Unde Doctissimus Simon Makowski Doctor Almæ Universitatis Cracoviensis in Tractat: 6. de Trinit: quæst: 3. inquit: *De Fide est in Divinis, à parte rei inter Naturam Divinam & Personas, nullam dari distinctionem realem, tanquam rei à re, neq; etiam formalem, ut communiter docent Theologi contra Scotum.*

374. Ad eandẽ responsionẽ addo secundò. Idem Joannes de Ulloa, ad salvanda contradictoria in Mysterio Trinitatis, admittit Distinctionem rationis, eamq; vocat *Virtualem*: tamen de illa ipse asserit, & confitetur, quòd non sit actualis à parte rei distinctio, nam in Logica Majore disputatione 1mâ Cap: 2dò ñro 59. inquit: *Verum est dari actu, & independenter ab intellectu id, quod est Distinctio Virtualis, capacitatem scilicet suscipiendi duo prædicata contradictoria, cæterum nec est à parte rei distinctio, nec datur à parte rei distinctio Virtualis: quemadmodum à parte rei, datur id, quod est Universale, nempe natura humana vg: sed non est à parte rei Universale.* Post hæc idem Author in eadem Logica Majore loco citato, ñro 60. inquit: *Distinctionem Virtualem, non eo fine à nobis adstrui in Divinis, ut difficultatem Mysterii de medio tollamus, eandem quippe difficultatem trahit secum distinctio virtualis, quam Mysterium, & quisquis huic dis-*

senti-

sentiat, illi quoque resistet. Adstruimus igitur illam, quia necessaria, & sufficiens videtur ad veritates, quas per fidem docemur: necessaria quidem contra eos Authores, qui censent non verificari in Divinis, duo prædicata contradictoria. Sufficiens item contra opinantes, inter Essentiam & Paternitatem, versari aliquam actualem, ac ex natura rei distinctionem. Posita vero dicta distinctione, integra perseverat difficultas Mysterii. Quæ ergo solutio exhibenda est huic quæstioni? Quomodo de Essentia & Paternitate verificantur contradictoria? Respondendum: quia re ipsa contradictoria suscipiunt. Et ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa. Et quomodo suscipere possunt contradictoria, cum sint prorsus idem? Respondent aliqui, quia distinguuntur virtualiter. Mala solutio: tam difficilis; namq; & obscura est, quàm ipsa quæstio. Nequè juvat definitionem esse legitimam explicationem definiti, quippè hoc tantùm subsistit, quando in definitione, non apparet æqua difficultas, ac in definito, secus quando apparet, ut in præsenti contingit. Germana seu genuina, itaq; responsio est. Quia hoc habent per suammet Essentiam, nobis patefactam per Scripturas. Et in his, tanquam in ultimo ex hac parte resolutivo, sistendum est intellectui Catholico. Sin verò intellectus Scripturas non admiserit, recurrendum est ad argumenta credibilitatis, quæ congerunt Theologi, & quæ evidentem reddunt credibilitatem hujus Mysterii, temerariamquè, & imprudentem negationem ejusdem.

375. Sicut ergo iṁediate citatus Author ingenuè confitetur, quod distinctio rationis (quàm illi vocànt Virtualem:) non tollit, nec solvit difficultates hujus Mysterij: ita ego confiteor, quod distinctio rationis dependens ab intellectu, *se sola*, non sufficit ad solvenda Argumenta Infidelium, tamen supposita supereminentia Trinitatis Divinæ sufficit, & potest sufficere ad solvenda prædicta Argumenta. Qvod si intellectus, nequè Scripturas, nequè supereminentiam Divinæ Trinitatis admiserit, tunc recurrendum est ad moti-

motiva credibilitatis, quæ colligunt Theologi, & quæ evidẽtẽ reddunt credibilitatẽ hujus Mysterii. Ex eodẽ immediatè citato Authore constat, quòd ille ultimatò Mysteriũ Trinitatis, ab argumẽtis Infideliũ non salvat, per aliquã distinctionẽ realẽ Naturæ Divinæ à Personis, sed per hoc, quòd id Mysteriũ, constat ex superiori ratione, nẽpe ex supernaturali lumine fidei, & quòd sit positum supra lumen naturæ.

376. Objicitur 13tio: Principia prima certa esse supra lumen rationis, non est lumen rationis tolli, vel extingvi, sed est illud superari, adeoq; est tale lumen componi cum eo, à quo superatur. Sicut lucẽ Solis, esse supra lucẽ facis accensæ, non est lucẽ facis tolli & extingvi, sed est hanc lucẽ superari, & excedi, quamvis componatur cum luce solis. Adeoq; Mysteriũ Trinitatis esse supra lumen rationis, non est lumen rationis tolli, & extingvi, nec est per illud falsificari prima principia, & in Mysterio hoc locũ non habere. Sed per supereminentiã in sensu defendentis acceptã tollitur & extingvitur lumen rationis, & per eã falsificantur prima principia, & in Mysterio Trinitatis locum non habent. Ergo &c.

377. Confirmatur. Possunt hæc optimè stare, quòd Mysteriũ Trinitatis sit supra lumen rationis, & quod tale lumen non omnino extingvat, & tollat, per falsificationẽ primorum principiorũ. Imò hoc videtur esse omnino necessariũ, ne dictũ Mysteriũ ab Ethnicis, Atheis, Arianis, aliisq; Infidelibus censeatur esse Chymericum & impossibile.

378. Tota enim impossibilitas & chymericitas alicujus rei, habetur ab ejusdẽ repugnantia primis principiis, & maximè illi: *Impossibile est idem esse & non esse.* Quia per hoc principiũ, explicatur ratio adæquata chymeræ & impossibilis: estq; formalissimè definitio ejusdem. Ergo hæc concilianda sunt, & ita est respondendũ ad argumenta Infideliũ, ut ostendatur cum veritate fidei, circa Mysteriũ Trinitatis, stare veritatem primorum principiorum.

379. Respondeo illustrationem in majori positam concedo, & ex illa pro nostra sententia sic argumentor. Lux Solis non tollit neq; extingvit lucem facis accensæ, sed lucem superat & excedit, quamvis componatur cum luce solis. Ergo & Mysterium Trinitatis, non tollit neq; extingvit lucem primorum principiorum, sed superat & excedit lucem primorum principiorum & componitur cum luce eorundem principiorum.

380. Ejusdem argumenti nego minorem, nempe nego, quòd per supereminentiam salvativam Mysterii Trinitatis, ab argumentis Infidelium, cum adminiculo distinctionis rationis, tollatur & extingvatur lumen rationis, & quod per talem modum salvandi falsificentur prima principia. Licet autem in Mysterio Trinitatis principia prima, in sensu Aristotelis solum lumen naturale sequentis prolata non habeant locum, tamen ex hoc nullatenus sequitur, quòd ibi falsificentur eadem prima principia. Sicut licet lex non habeat locũ in Principe absoluto, supra aliquam legem posito, tamen lex non falsificatur per eundem Principem.

381. Confirmationi concedo Antecedens, quia ex illo contra nos inferri potest. Ulteriori rationi quæ in eadẽ confirmatione additur nego suppositum, quòd Mysterium Trinitatis repugnet illi principio: *Impossibile est idem esse & non esse*: quia hujus nullum est fundamentùm, & nulla ratio pro hoc adfertur. Præterea nego hîc suppositum, quòd principium istud: *Impossibile est idem simul esse & non esse* sit idem cum illo altero: *Implicat de identificatis verificari prædicata contradictoria*: ut deductum est ñro 239.

382. Nego item quòd per hoc principium: *Impossibile est idem simul esse & non esse*: explicetur ratio adæquata chymeræ, & impossibilis: & quòd prædictum principium sit formalissimè definitio hymeræ. Adæquata ergo definitio chymeræ est hæc: *Chymera est esse & non esse.* Item: *est esse tale & non esse tale ejusdem de eodem & respectu eodem.*

383.

383. Ejusdem confirmationis consequentiam pariter concedo, & jam ñro 351. item 352. item 353. ostensum est, quòd Mysterium Trinitatis concilliemus cum veritate primorum principiorum, & quod ita respondeamus ad argumenta Infidelium, ut ostendatur cum veritate fidei circa Mysterium Trinitatis, stare veritatem primorum principiorum.

384. Dices Mysterium Trinitatis per hoc, seu in hoc sensu est supra lumen rationis, quod per nulla principia lumine naturæ nota, existentia & possibilitas hujus Mysterii, sit cognoscibilis certò & evidenter, omnisq; ejus certa notitia habetur, dependenter à lumine fidei, quod est supra lumen rationis, non autem in hoc sensu, prædictum Mysteriũ est supra lumen rationis, quòd in eo, & de eo non debeant procedere prima principia, & quòd in illo non debent habere locum.

385. Respondeo primò. Mysterium Trinitatis tripliciter potest cogitari supra lumen rationis, primo in eo sensu, quòd per nulla principia lumine naturæ nota, existentia & possibilitas hujus Mysterii sit cognoscibilis, certò & evidenter. 2do. Potest dici in eo sensu supra lumen rationis, quòd per nulla principia lumine naturæ nota, possit ostendi, & probari ejus repugnantia, & impossibilitas. 3tio. Potest dici in eo sensu supra lumen rationis, quòd in, & de eo, non debeant procedere prima principia, nec in eo habeant locũ, seu suppositô hôc, quòd Mysterium Trinitatis sit supra lumen naturæ, tunc rectè sequitur exinde, quòd de illo non debeant procedere prima principia.

386. Objicitur 14. Si per supereminentiam posset salvari, seu defendi Mysterium Trinitatis ab argumentis Infidelium, tunc per eandem supereminentiam, deberet ostendi idem Mysterium non esse chymericum. Sed non potest ostendi per supereminentiam non esse chymericum. Ergo &c. Minor probatur. Si per supereminentiam posset osten-

di Mysterium non esse chymericum, tunc id deberet ostendi vel ex rationibus intrinsecis, vel extrinsecis. Sed ex rationibus tam intrinsecis, quàm extrinsecis, non potest ostendi non esse chymericum. Ergo &c.

387. Probatur prima pars minoris. Eô ipsô, quòd in sententia salvante Mysterium Trinitatis per supereminentiam, pugnet præfatum Mysterium cum principiis lumine naturæ notis, eaq; falsificet, sequitur hoc Mysterium ex rationibus intrinsecis esse chymericum. Ergo &c. Probatur Antecedens. Illud est chymericum, in quo, de uno eodemq: seu de identificatis omnino verificantur prædicata contradictoria. Sed in Mysterio Trinitatis de uno eodemq;, seu de idẽtificatis omnino, verificãtur prædicata cõtradictoria. Er: &c.

Probatur 2da pars minoris. Ideo ex rationibus extrinsecis dictum Mysterium non esset chymericum, quia est revelatum. Sed hæc ratio non subsistit. Ergo &c. Minor probatur. A DEO revelari non potest aliquid, ut verum, quod ex ratione intrinseca & prædicatis intrinsecis, est chymera. Ergo &c.

Confirmatur. Non potest ostendi ab adversariis, quòd Mysterium Trinitatis, prout exclusivum omnis distinctionis inter Essentiam & Personas Divinas, sit revelatum, & ut tale, Fide Divina credendum. Ergo &c.

388. Respondeo primo. Hôc argumentô probari potest quod inter Naturam Divinam & Personas deberet dari distinctio realis immediata, quia inter Naturam Divinam & Personas verificantur prædicata contradictoria immediata. Respondeo 2do. Hoc argumentum militat contra illos, qui Mysterium Trinitatis salvant per supereminentiam, sine omni distinctione inter Naturam Divinam & Personas, dum autem ego præter supereminentiam, admitto etiam distinctionẽ rationis pro modo salvativo, ideo hoc argumentum me non impugnat.

389. Respondeo 3tio primi & secundi argumenti nego minorem 3tio argumento nego suppositum, quòd Mysteriũ Trinitatis pugnet cum principiis lumine naturæ notis, eaq; falsificet, ut deduxi ñro 289. Probationem tertii argumenti distingvo. Illud est chymericum in quo de uno eodemq; seu de identificatis omnino, *in creatis & lumine naturæ cognoscibilibus verificantur prædicata contradictoria.* Concedo Majorem. Illud est chymericum in quo de uno eodemq; seu de identificatis omnino, *positis tamen supra lumen naturæ & distinctis per rationem verificantur prædicata contradictoria.* Nego Majorem. Similiter distingvo minorem. Sed in Mysterio Trinitatis de uno eodemq; seu de identificatis omnino *positis tamen supra lumen naturæ & distinctis per rationem* verificantur prædicata contradictoria. Concedo Minorem. Sed in Mysterio Trinitatis de uno eodemq; seu de identificatis omnino *& non positis supra lumen naturæ nec distinctis per rationem* verificantur prædicata contradictoria, nego Minorem & Consequentiam ac dico chymericum est in creatis, ac lumine naturæ cognoscibilibus verificari prædicata contradictoria de uno eodẽq; tamen in Mysterio Trinitatis posito supra lumen naturæ, & admittente distinctionem rationis inter Naturam Divinam & Personas, non est chymericum *quod si intellectu capi non potest fide teneatur,* ut concludit S. Augustinus à nobis citatus.

390. Ad probationem 2dam respondeo & dico, quod per illam non tam impugnetur sententia salvans Mysterium Trinitatis per supereminentiam, cum adminiculo distinctionis rationis, quàm ipsum Mysterium Trinitatis, quod Mysteriũ cum jam sit revelatum, non potest ore Catholico dici, quòd sit chymera.

391. Respondeo 2do. Probationis 2dæ nego Minorem. Probationem illius concedo & nego consequentiam, simulq; nego suppositum, quòd Mysterium Trinitatis sit chymera ex ratione intrinseca, & ex prædicatis intrinsecis. Prædicata enim

nim intrinſeca Trinitatis Divinæ, ſunt hæc, quod eſſentia ſeu Natura Divina identificetur realiter adæquate Perſonis, & Perſonæ identificentur realiter adæquatè cum Natura Divina, & tamen eædem Perſonæ non identificentur inter ſe: item quod Naturæ Divinæ & Perſonis competant prædicata contradictoria: hæc autem prædicata non ſunt chymerica, quia ſunt revelata, & certa ex fide ut conſtat ex Concilio Lateranenſi Cap: *Damnamus*: & hæc prædicata intrinſeca, ne dicantur ab Infidelibus chymerica, ſalvamus per ſupereminentiam Trinitatis, & per diſtinctionem rationis, inter Naturam Divinam & Perſonas.

392. Confirmationem diſtingvo. Non poteſt oſtendi quòd Myſterium Trinitatis prout excluſivum *omnis diſtinctionis realis* inter Eſſentiam & Perſonas Divinas, ſit revelatum, & ut tale Fide Divina credendum. Nego Antecedens. Non poteſt oſtendi quòd Myſterium Trinitatis prout excluſivum *omnis diſtinctionis rationis* (quæ fit per actum intellectûs) inter Eſſentiam & Perſonas Divinas, ſit revelatum, & ut tale Fide Divina credendum. Concedo Antecedens, & nego conſequentiam, ac dico, quando Myſterium Trinitatis eſt revelatum ex fide, eſt ſimul revelatum cum excluſione diſtinctionis realis, inter Naturam Divinam & Perſonas, cujus ratio patet ex Concilio Lateranenſi Cap: *Damnamus* ubi dicitur: *Nos Sacroſancto approbante Concilio, credimus & confitemur quod una quædam ſumma Res eſt, incomprehenſibilis quidem & ineffabilis quæ veraciter eſt Pater & Filius & Spiritus Sanctus, Tres ſimul Perſonæ ac ſigillatim quælibet earundem &c.* Porro dum Concilium de ſumma Re, ſeu de Natura Divina affirmat in recto, Perſonas Divinas, tunc eo ipſo excludit diſtinctionem realem, inter Naturam Divinam & Perſonas. Dico ulterius quando Myſterium Trinitatis eſt revelatum ex fide, tunc ſimul eſt revelatum cum admiſſione diſtinctionis rationis, *quæ fit per apprehenſionem intellectionem & intelligentiam*, quia Concilium Lateranen-

ranense solam distinctionem rationis admisit inter Naturam Divinam & Personas, ut constat ñro 283. & fusius constabit in Appendice de distinctione Bacconica à ñro 732. & sequentibus. Addo præterea quod Mysterium Trinitatis prout admissivum distinctionis realis in 3tio, non potest ostendi ab adversariis esse revelatum, & ut tale Fide Divina credendum: quia Concilia & SS. PP. nullam unquam mentionem etiam implicitam faciunt distinctionis realis in 3tio.

393. Obijcitur 15. Aliqua distinctio inter Essentiam & Personalitates admitti omnino debet, nec potest negari nisi perperam. Ergo per recursum ad distinctionem hujusmodi, bene respondetur ad argumenta Infidelium, vel si aliquando ad supereminentiam Mysterii Trinitatis, supra lumen rationis, recurri est necesse, non bene ad illam recurritur, exclusa omni distinctione inter Essentiam & Personalitates. Antecedens imprimis probatur: Est distinctio inter tres Personas, & inter unam Personam, *nec potest aut debet* negari talis distinctio, aliàs deberet negari distinctio includentis ab incluso, & partis à toto. Est item distinctio inter unam Personam, & inter aliam Personam, *vg*: inter Patrem & Filium, ut fides docet. Ergo etiam est distinctio inter Essentiam sumptam, cum tribus Personis, & inter unam Personam: Essentia enim sumpta cum tribus Personis, dicit tres Personas, adeoq; ratione illarum distingvitur ab una Persona. Est item distinctio inter essentiam, cum una Persona *vg:* cum Patre acceptam, & inter alteram Personam, *vg*: Filium. Præterea est aliqua distinctio inter essentiam, secundum se, & inter unamquamq; Personam. Quia non de eodem omnino verè dicitur. *Distingvitur realiter immediatè à Filio* de quo verè dicitur contradictorium prioris prædicati: *Non distingvitur realiter immediatè à Fi-*

à Filio. Item non idem omnino eſt *quod generat* cum eo, *quod non generat.* Ergo &c.

394. Reſpondeo diſtingvendo primum Antecedens. Aliqua diſtinctio nempe *diſtinctio rationis inter Eſſentiam & Perſonalitates admitti debet.* Concedo Antecedens. Aliqua *diſtinctio realis* inter Eſſentiam & Perſonalitates, admitti debet nego Antecedens. Similiter diſtingvo conſequens. Ergo per recurſum *ad diſtinctionem rationis* bene reſpondetur ad argumenta Infidelium. Concedo conſequentiam. Ergo per recurſum *ad diſtinctionem realem* bene recurretur ad ſolvenda argumenta Infidelium. Nego conſequentiam.

395. Probationi Antecedentis prima pars tranſeat, quia probat quòd inter tres Perſonas, & unam Perſonam, datur talis diſtinctio realis inadæquata, qualis datur inter partem & totum alicujus compoſiti creati, quod non bene convenit S. Auguſtino citato ñro 282. dicenti: *In his rebus non tantùm eſt unus homo, quantum tres homines ſimul: at in DEO non ita eſt &c.* Deinde ex parte & toto fit compoſitio increatis, in DEO autem & Trinitate repugnat talis compoſitio.

396. Secundam partem Antecedentis concedo & nego conſequentiam. Ratio negatæ conſequentiæ eſt, quia in conſequenti ſupponitur id, quòd in Eſſentiam Divinam derivetur, vel derivari poſſit prædicatum *diſtincti realiter ab aliqua Perſona vg:* à Filio, quod falſum eſt, cujus ratio eſt, quia prædicatum *Geniti*, non poteſt derivari in Eſſentiam Divinam, *vg:* à Filio, pariter prædicatum *Generantis*, non poteſt derivari in Eſſentiam à Patre, tandem prædicatum *Procedentis*, non poteſt derivari in Eſſentiam, à Spiritu Sancto, etiamſi eadem eſſentia ſumatur cum aliqua Perſona. Ergo etiam prædicatum *diſtincti realiter* non

poteſt

poteſt derivari in Eſſentiam, ab una Perſona. Antecedens patet ex Concilio Lateranenſi, Capite: *Damnamus*, citato à nobis ñro 253. Conſequentia probanda, omnimoda paritate. Propter eandem rationem nego, quòd detur diſtinctio realis inter Eſſentiam, cum una Perſona, *vg*: cum Patre acceptam, & inter alteram Perſonam *vg*: Filium.

397. Tandem nego quòd ſit aliqua diſtinctio realis inter Eſſentiam *ſecundum ſe*, & inter unamquamq; Perſonam: quia id non benè convenit fidei, juxta quam Eſſentia ſecundum ſe non diſtinguitur realiter immediatè à Perſonis. Probationem ultimam ex contradictoriis adductam, diſtinguo. Non idem omnino eſt, *quod generat*, cum eo, quod *non generat*: *in creatis, & in his, quæ ſunt lumine naturæ cognoſcibilia*. Concedo probationem: *In Myſterio Trinitatis increatæ poſito ſupra lumen naturæ, & admittente diſtinctionem rationis inter Naturam Divinam, & Perſonas*. Nego probationem, & dico, quòd in creatis, & in his, quæ ſunt lumine naturæ cognoſcibilia, non eſt omnino idem, *quod generat*, cum eo, quòd *non generat*, tamen in Myſterio Trinitatis, poſito ſupra lumen naturæ, id quod generat, eſt idem realiter cum eo, quod non generat: tantùmq; eſt diſtinctum per rationem; & hæc diſtinctio rationis, ſuppoſitâ ſupereminentiâ Trinitatis Divinæ, eſt ſufficiens ad ſalvanda prædicata contradictoria, vel ſi contendetur, quòd non ſit ſufficiens, tunc recurrendum eſt ad ipſam ſupereminentiam Trinitatis Divinæ: ſicut recurrunt ipſi adverſarii, quando difficultates Myſterii, per diſtinctionem realem in 3tio, ſalvare non poſſunt: qui recurſus ab ipſis adverſariis ad ſupereminentiam, patebit in adverſione 4ta, & in ſequentibus ibidem numeris.

398. Addo: quòd ex prædicatis contradictoriis, quæ verificantur juxta fidem de Natura Divina, & Perſonis, nullô modô poteſt inferri diſtinctio realis in 3tio media-

ta: inadæquata extensivè: nam si distinctio realis in 3tio, mediata, posset inferri ex præfatis prædicatis contradictoriis, tunc etiam posset ibi inferri, distinctio realis immediata: quia ibi sunt & reperiuntur prædicata contradictoria realia immediata, quòd fusiùs patebit in Artic: sequenti. Tandem datô non concessô, quòd daretur distinctio realis in 3tio mediata, tunc per illam salvari deberent, prædicata contradictoria, mediata, non salvarentur autem immediata, licèt ibi defacto verificentur, prædicata contradictoria, immediata, ut jam dictum est. Similiter respondendum est, ad reliqua prædicata contradictoria in eadem objectione adducta: ut respondimus ad illa: *Generat*: *& non generat.*

399. Tandem certum est apud omnes, quòd in Trinitate Divina: *Pater*, *& Generans*: sint secum idem realiter adæquatè, & tamen de Patre, & Generante verificantur prædicata contradictoria hæc: *Pater, est prædicatum dicibile de Natura Divina*: *Generans, non est prædicatum dicibile de Natura Divina.* Jam autem ista prædicata contradictoria, non possunt salvari per distinctionem realem in 3tio, mediatam, inadæquatam extensivè, imò nec per ullam distinctionem realem immediatam: quia inter Patrem, & Generantem, nulla ex prædictis datur distinctio realis. Quæro igitur per quid adversarii salvabunt adducta immediatè contradictoria inter *Patrem*, *& Generantem*? quòd si recurrent ad supereminentiam Trinitatis Divinæ, tunc ego pariter recurro ad eandem supereminentiam de salvandis illis contradictoriis: *generat*, *non generat*, & aliis in objectione specificatis; & hæc responsio ac retorsio danda est ad omnes alias similes objectiones petitas ex verificatione contradictoriorum inter Naturam Divinam, & Personas.

400. Adverto 1mò. Diximus nro 281. quòd ad salvandum Mysterium Trinitatis ab argumentis Infidelium, tàm sit necessaria supereminentia, quàm fides, idq; pro-

bavimus: pro cujus veritate ultra dicta ñro 281. adducimus etiã Reverendissimũ Adamũ Opatoviũ, in Alma Universitate Cracoviensi S. Th: Drẽ, & Professorẽ, Canonicũ Cathedralẽ Cracoviensẽ, qui in Tractatu de Trinitate disp: 1. ñro 1. dicit: *Ratio naturalis fuit occasio plurium errorum; idcirco cum D. Gregorio Nazianzeno orat: 34. dico; quòd in hoc Mysterio Trinitatis, potiùs ducem sequemur fidem, quàm rationem, siquidem captum rationis summè excedit.* Et inferiùs idem Doctor inquit: *Agimus enim de DEO Uno, & Trino, nec jam ampliùs de illius existentia, aut de attributis, quæ in Creaturis cognosci possunt, inquiremus: sed quòd omnino sit DEUS secundum se, in quo identitas substantiæ, seu Essentiæ, conjuncta est, cum reali distinctione relationum, quæ excedunt captum luminis naturalis, proinde primas partes damus fidei. Nemo igitur à nobis expectet, Demonstrationes, & quæ ex immediatis principiis concludant, sed nostra determinatio, sumitur ex S. Scriptura, Sacrorum Conciliorum definitionibus, ac SS. Patrum testimoniis.*

401. Dum ergo & nos hîc salvamus Mysterium Trinitatis, ab Argumentis Infidelium per supereminentiam ejusdem Mysterii, Dux noster, est fides, non ratio naturalis: ipsa enim supereminentia Trinitatis Divinæ, innititur fidei. Pro nostra ergo Conclusione, & sententia, non damus evidentes Philosophicas, & naturales demonstrationes, sed veritas, & certitudo nostræ sententiæ, desumitur ex Sacra Scriptura, Sacrorum Conciliorum definitionibus, ac SS. Patrum testimoniis. Ne tamen in prima fronte solam fidem opponamus Ethnicis: non respondemus ad Argumenta Infidelium: dando immediatè rationem, *quia sic fides docet*; sed respondemus dando rationem, quia Mysterium Trinitatis, est Ens supra lumen naturæ, & supra prima principia positum, & in fundamento hoc, distinguimus, explicamus, & respondemus Theologicè ad argumenta Infidelium, cum adminiculo distinctionis rationis.

402. Præterea idem Reverendiſſimus Adamus Opatovius, eſt iterum pro noſtra ſententia: poſtquam enim in Tractatu de SS. Trinitete Diſp: 2. quæſito 2do, ñro 8vo ſtatuerit Concluſionem, quòd: *Relatio realiter exiſtens in DEO, eſt idem cum Eſſentia Divina ſecundum rem*, adeoq; non diſtinguatur realiter eadem Relatio, ab Eſſentia Divina, tunc ad objectionem ex illo principio: *Quæ ſunt eadem uni 3tio, ſunt eadem inter ſe*, reſpondet his verbis: *Hoc axioma eſſe receptum, tanquam verum in rebus creatis: ſed in hoc Myſterio ſupernaturali* (ſeu poſito ſupra lumen naturæ) *quòd nec Ariſtoteles agnovit, nec ullus Philoſophorum potuit cognoſcere lumine naturali, locum non habet.*

403. Sicut autem expreſsè dixit idem Opatovius, quòd præfatum principium non habeat locum in Myſterio Trinitatis, ita diſp: 6. ñro 3. concl: 3. docet, quòd idem Myſterium, non ſit contrarium rationi naturali, dum inquit: *Verum vero contrariari non poteſt: ſi ergo aliqua ratio naturalis, eſſet, quæ oſtendat impoſſibilitatem Trinitatis, ſequeretur, hoc verum eſſe in Philoſophia, & quia divinitùs eſt revelatum hoc Myſterium, eſſet quoq; verum in Theologia. Ergo verum vero contrarium eſſet, quòd omnino falſum eſt, & condemnatum in Concilio Lateranenſi, ſub Leone X. Quò ad Philoſophos dico, quòd hi Libros Moyſis, & quorundam Prophætarum inſpexerant, unde aliqua confuſè de Trinitate locuti ſunt, hoc enim Myſterium, ut cognoſcatur, requirit fidem, quæ eſt donum DEI, requirit auxilium gratiæ, quòd adhuc in antiquis Philoſophis, non luxerat.*

404. Circa explicationem illius principii: *Quæ ſunt eadem uni 3tio, ſunt eadem inter ſe:* à Doctiſſimo Opatovio datam, illud addo, quòd præfatũ principium, non nuntiaverit eſſe verũ in creatis: in Myſterio autem Trinitatis, non pronuntiavit illud eſſe falſum, ſed tantùm dixit, quòd *in prædicto Myſterio non habeat locum*: Unde in re idem loquitur de præfato principio, quòd ipſum nos loquimur,

& ſen-

& sentimus. Cujus rationem dat, quia nec Aristoteles, nec ullus Philosophorum, potuit illud cognoscere lumine naturali: quòd si non potuit cognoscere, ergo illud sua cognitione naturali non attigit. Ratio autem nostra est hæc; quia Mysterium Trinitatis est supra prædictum principium, adeoq; non est contra illud, consequenter non est absolutè falsum, in Mysterio Trinitatis, sed ita explicandum, sicut nos illud explicuimus, ñro 293. & 205.

405. Adverto 2dò: Quod argumentum pro supereminentia salvativa Mysterii Trinitatis Divinæ, dedimus ñro 266. & sequentibus, de rudi, & indocto Catholico, id totum potest formari, de rudi, & indocto Ethnico: sicut enim rudis Catholicus, ita & rudis Ethnicus, nescit, quid sit distinctio Virtualis intrinseca, formalis ex natura rei, distinctio realis intentionalis Bacconica, & distinctio realis in 3tio mediata: adeoq; consultiùs esset convincere, rudem Ethnicum, per id, quòd Mysterium Trinitatis, sit supra lumen naturæ, & supra principia naturalia, seu supra rationes naturales, supraq; captum intellectus nostri, quàm per aliquam distinctionem realem, ex enumeratis.

406. Adverto 3tio: Tota vis, moles, & machina objectionum, contra sententiam salvantem Mysterium Trinitatis per supereminentiam, opponitur ex hoc capite, quòd Author hujus sententiæ, citatus à nobis ñro 259. admiserit quidem distinctionem rationis, inter Naturam Divinam, & Personas, tamen eandem distinctionem rationis, non admisit, pro modo salvativo ejusdem Mysterii, ab Argumentis Infidelium. Dum autem ego præter supereminentiam, admitto etiam distinctionem rationis, pro modo salvativo, ideò omnia argumenta à Catholicis Authoribus, contra hanc sententiam objecta, cessant, contra me, & hâc unicâ, & solâ ratione solvi possunt, quòd non procedant contra me, quia ego admitto, ultra supereminentiam, distinctionem rationis pro modo salvativo.

407. Adverto 4tò: Licet oppositi nobis Authores, admittant distinctionem realem in 3tio mediatam, ad salvandas difficultates Trinitatis, tamen simul confitentur, quòd hæc distinctio realis in 3tio, mediata, non sufficiat ad salvandas, & solvendas omnes difficultates ejusdem Mysterii: consequenter ad salvandas, & solvendas reliquas difficultates, admittunt supereminentiam Trinitatis Divinæ: & ita inter alios sentit Doctissimus, & Meritissimus Adrianus Miaskowski, qui in Tractatu de DEO, disp: 2da, quæst: 2da, §. 3tio, nro 92. statuit conclusionem tenoris sequentis: *Dicendum est: Per Infinitudinem, & supereminentiam Mysterii Trinitatis, supra lumen rationis, non salvari contradictoria, quæ dicuntur de Essentia, & Personis, si nulla inter hæc admittatur distinctio. Hâc tamen admissâ in quibusdam difficultatibus hujus Mysterii, benè recurritur ad hujusmodi supereminentiam, quæ ab omnibus Catholicis admitti debet.* Secundam ergo hujus Conclusionis partem nro 96. probat hôc modô, & inquit: Per hoc, quòd inter Essentiam, & Personas Divinas, admittatur, aliqua distinctio, salvans principia lumine naturæ nota, non sunt ex haustæ omnes difficultates Mysterii, nec ipsa principiorum salvatio, est lumine naturæ nota, ac cognoscibilis, sed hæc maximè, ex fidei principiis salvantur, & cognoscuntur. Ergo admittenda est supereminentia Mysterii Trinitatis, supra lumen rationis, & admissa etiam distinctione aliqua, inter Essentiã, & Personalitates, ad illam est recurrendum. Probatq; prædictus Author hoc Antecedens, sequenti argumento & ratione. Quia imprimis Mysterium Trinitatis salvandum, non est lumine naturæ notum, imò nec hoc lumine est cognoscibile: præcipuè vero in hoc Mysterio, non est lumine naturæ notum: quod Personæ Divinæ sint Plures, eæq; realiter identificatæ cum Essentia, neq; tamen sint inter se realiter immediatè identificatæ, sed

poti-

potiùs realiter immediatè, inter se distinctæ. Non est item lumine naturæ notum, quòd de Personalitatibus, & Essentia, cùm qua realiter immediatè identificantur, quòd inquam de his verificentur contradictoria, *Paternitas generat, Essentia non generat. Filiatio generetur, Essentia non generetur* &c: sed hæc innotescunt ex definitione Ecclesiæ, adeoq; ex lumine supernaturali.

408. Ex hoc toto discursu citati immediatè Authoris patet, 1mo, quòd admittat supereminentiam Trinitatis Divinæ, & addit, quòd ab omnibus Catholicis hæc supereminentia admitti debeat. 2do patet, quòd distinctio realis in 3tio mediata (quam hic Author acerrimè defendit) non sufficiat ad solvendas omnes difficultates hujus Mysterii. 3tio patet, quòd in his difficultatibus, quæ per distinctionem realem in 3tio mediatam, solvi non possunt, recurrendum sit ad supereminentiam Mysterij; Proinde hunc totum discursum, & rationes, applico pro mea sententia, & dico, quòd admissa distinctione rationis inter Naturam Divinam, & Personas, non sunt exhaustæ omnes difficultates Mysterij, per solam distinctionem rationis: Ergo admittenda est supereminentia Trinitatis Divinæ, & ad hanc supereminentiam, principaliter recurrendum est, in salvandis difficultatibus ejusdẽ Mysterij.

409. Præterea supra citatus Author, in Tractatu de DEO disp: 2da quæst: 2da nro 108. ad finem habet, & dicit sequentia: In solvendis difficultatibus, quæ contra Mysterium Trinitatis opponi solent, aut possunt: duplicem fieri posse recursum ad supereminentiam, unum exercitum, & implicitum, alterum reflexum, explicitum, & signatum. Recursus ad supereminentiam exercitus, & implicitus, tunc est, quando in solutione alicujus difficultatis, respondetur per aliquid tale, cui, quo ad rem convenit ratio supereminentiæ, supra lumen rationis: licèt

non sub conceptu talis supereminentiæ, sed sub alio diverso sibi proprio conceptu. Et sic recursus ad distinctionem inadæquatam extensivè, vel aliam deductam ex principiis fidei, inter Essentiam, & Personas, recursus inquam ad dictam distinctionem, sub ratione talis distinctionis, est recursus exercitus, & implicitus ad supereminentiam. Siquidem eidem distinctioni convenit ratio supereminentiæ, supra lumen rationis, eo ipso, quòd hæc distinctio inferatur ex principiis fidei. Recursus ad supereminentiam reflexus, explicitus, & signatus est, quando ad aliquam difficultatem, respondetur per supereminentiam, sub conceptu formali, & explicito supereminentiæ. Licèt ergo in solvendis difficultatibus Mysterij Trinitatis, recursus reflexus, & explicitus ad supereminentiam non statim fiat: Recursus, tamen exercitus, & implicitus, statim fieri consvevit, quatenus respondetur per distinctionem ex fidei principiis, quæ responsionis ratio, est recursus exercitus, & implicitus ad supereminantiam. Hactenus præfatus Author.

410. Ex quo toto discursu infertur, quòd dum oppositi Authores, propter manutenendam suam distinctionem realem in 3tio, mediatam, inadæquatam extensivè, impugnant supereminentiam, Trinitatis Divinæ, salvativam Mysterij ejusdem, eamq; tanquam sublativam, primorum principiorum, gratis & sine fundamento promulgant: tunc tandem ultimatò iidem Authores eandem supereminentiam Trinitatis Divinæ admittunt, pro modo salvativo ab argumentis Infidelium: & sic prædicta supereminentia, habet testimonium ab ipsis Adversariis, ex propria confessione oris eorum. Ab eodem Authore distinctio realis in 3tio inadæquata extensivè, apellatur nomine supereminentiæ, & dicitur, quòd ei competat ratio supereminentiæ, sed hujus nullum adfertur

funda-

fundamentum, & patebit inferiùs id esse falsum in Articulo sequente, ubi deducetur, quòd distinctio realis in 3tio, non infertur ex prædicatis contradictoriis, quæ de Natura Divina, & Personis verificantur.

ARTICULUS XXVIII.

Vtrùm per aliquam distinctionem realem nemine cogitante talem: vg Virtualem intrinsecam, formalem ex natura rei, realem intentionalem Bacconicam in linea intelligibili, per distinctionem realem in 3tio, salvari, & defendi possit Mysterium SSmæ Trinitatis ab argumentis Infidelium.

411. NIhil solenniùs, & usitatiùs erat Antiquioribus Theologis, quàm salvare Mysterium Trinitatis, ab argumentis Infidelium, per aliquam distinctionem realem, inter Naturam Divinam, & Personas, *vg:* per distinctionem virtualem intrinsecam, formalem ex natura rei, realem in 3tio mediatam, vel alias similes distinctiones reales; sed modò alij apprehenduntur modi, ad salvandum prædictum Mysterium, inter quos est supereminentia Trinitatis Divinæ, supra lumen naturæ, & supra principia lumine naturæ nota. Ad quam sententiam firmandam.

412. Respondeo, & dico: Per distinctionem virtualem intrinsecam, formalem ex natura rei, realem in 3tio, realem intentionalem Bacconicam, non potest salvari Mysterium Trinitatis, ab argumentis Infidelium; probatur. Per illum modum non potest salvari, seu defendi Mysterium Trinitatis, ab argumentis Infidelium, de cujus vera, & actuali existentia dubitatur, disceptatur, & controvertitur, inter ipsos Doctores Catholicos. Sed de vera

& actuali existentia distinctionis virtualis intrinsecæ, formalis ex natura rei, realis in 3tio, realis intentionalis Bacconicæ, dubitatur, disceptatur, & controvertitur, inter ipsos Doctores Catholicos. Ergo &c.

413. Major patet: Quomodò enim per illum modum potest aliquid salvari, vel defendi, qui modus in rerum natura non existit, vel de eo, dubitatur, utrùm existat. Ad hoc ergo ut aliquis modus, sit conveniens, & sufficiens ad salvandum Mysterium Trinitatis, ab argumentis Infidelium, primariò, & ante omnia requiritur id, ut prædictus modus verè, realiter, & actu existat, ac ut sit certus, & non controversus, saltim inter ipsos Doctores Catholicos. Sed præterea eadem Major probatur.

414. Si Theologus Catholicus respondere vellet, ad argumenta Infidelium, illaquè solvere per aliquem modum incertum, de cujus existentia dubitatur, & controvertitur inter ipsos Doctores Catholicos, tunc ad talem modum respondendi, & solvendi argumenta, posset respondere Infidelis, & dicere: *Argumenta solvis per talem modum qui est incertus, & de cujus existentia inter ipsos Doctores Catholicos dubitatur, & controvertitur, proinde tuis solutionibus, non possum esse convictus de veritate Mysterij SSmæ Trinitatis:* consequenter ostende mihi modum certum, & non controversum, saltim inter ipsos Doctores, & Authores Catholicos, tunc modo primum convictus manebo: quem dum non ostendis, nec ego sum convictus, nemo enim per aliquid incertum, potest convinci de certitudine alicujus rei. Præterea Infidelis posset dicere: Non decet Mysterium Trinitatis apud Catholicos certissimum, defendere per modum incertum. Ergo &c.

415. Minor probatur: Distinctio virtualis intrinseca, ejusq; existentia, est tantum certa apud Doctissimos Thomistas, & nonnullos alios Doctores, qui Thomistarum sen-

ſententiam ſunt ſecuti; apud alios verò eſt controverſa, & implicatoria. Diſtinctio formalis ex natura rei, eſt tantùm certa apud ſolos Subtiliſſimos Scotiſtas, apud autem omnes Doctores, & Scholas, eſt controverſa, & implicatoria. Diſtinctio formalis realis intentionalis Bacconica in linea intelligibili, eſt tantùm certa apud ſolos eruditiſſimos Bacconiſtas, apud omnes alios eſt controverſa, & implicatoria; Diſtinctio realis in 3tio, fuit certa apud ſolos acutiſſimos & ſolidiſſimos Doctores Soc: JESU, apud autem alios Doctores, eſt controverſa, & implicatoria, imò hac ætate ipſi Doctores Soc: JESU, diſtinctionē in 3tio realem deſeruerunt, nec per illam ſalvant modo Myſterium Trinitatis Divinæ, quia illi ipſi agnoverunt, quòd diſtinctio realis in 3tio, non ſit ſufficiens ad ſalvandas difficultates præfati Myſterij. Ergo &c. Unde modò nonnulli Recentiores ſalvant hoc Myſterium, per ſupereminentiam Trinitatis Divinæ (nolentes uti voce, & nomine ſupereminentiæ, quamvis iſta fortè vel idem ſonent, vel ad idem collimare videantur); alij per identitatem non omnimodam, alij ultimò reſolutoriè, practicè, quò ad nos, ſalvant per ſupereminentiam Trinitatis Divinæ, ſupra aliqua principia lumine naturæ nota, eamq; innixam motivis credibilitatis fidei Divinæ. Jam autem Doctiſſimus Godefridus Hannenberg in ſuo de DEO tractatu, ſalvat præfatū Myſterium SSmæ Trinitatis, & prædicata contradictoria contra Infideles, per ſolam admirabilem diſtinſtionem Perſonarum ipſarum inter ſe (absq; ulla diſtinctione nemine cogitante inter Eſſentiam, ſeu naturam, & Perſonas) vi cujus *vg*: Pater non eſt aliud à Filio, & Spiritu S. ſed ſolum alius adjectivè, verè tamen realiter, quamvis ineffabili, & nullibi in creatis reperibili modo.

416. Dices: Etiam ſupereminentia Divinæ Trinita-

tis est controversa, inter ipsos Doctores Catholicos. Ergo per illam, utpote controversam, non potest salvari hoc Mysterium ab argumentis Infidelium. Probatur Antecedens. Per supereminentiam non omnes Doctores Catholici, salvant Mysterium Trinitatis, & de illa controvertunt, utrùm sufficiat ad salvandum prædictum Mysterium. Ergo &c.

417. Respondeo: Distinguo primum Antecedens. Supereminentia est controversa inter ipsos Doctores Catholicos, *quo ad existentiam*, nego Antecedens: *est controversa quo ad hoc, utrùm sine omni distinctione sufficiat ad salvandum Mysterium Trinitatis, ab argumentis Infidelium.* Transeat Antecedens, & nego Consequentiam, ac dico: Supereminentia Trinitatis Divinæ, duobus modis potest esse controversa, vel quo ad existentiam, utrùm scilicet existat, vel utrùm sufficiat ad solvenda argumenta Infidelium, sine omni distinctione inter Naturam Divinam, & Personas. Quo ad primum, nempe quo ad existentiam, non est controversa supereminentia Trinitatis Divinæ, quia omnes Catholici Doctores censent, & docent, quòd Mysterium Trinitatis, sit ens positum supra lumen naturæ, & quòd lumine naturæ cognosci non possit, independenter à fide, vel alio lumine supernaturali: dicitur autem tantùm controversa quo ad hoc, utrùm prædicta supereminentia, sufficiat ad salvandas difficultates Mysterij Trinitatis? præsertim si nulla distinctio admittatur inter Essentiam, & Personas: hoc autem nihil obest, ut per illam salventur argumenta Infidelium, supposita distinctione rationis, inter Essentiam, & Personas. Distinctiones autem superiùs specificatæ, sunt controversæ, etiam quo ad existentiam: siquidem multi Authores docent: quòd prædictæ distinctiones non dentur, & sint implicatoriæ, ut supra ostensum est. Transivi Antecedens superiùs positum, quia

quia ipsi Catholici Doctores, dum premuntur gravibus argumentis Infidelium, coguntur recurrere ad supereminentiam, & per illam ultimato maximas difficultates salvant, ut constat ex dictis in adversione 4ta ñro 407. Unde prædicta, supereminentia dicitur esse controversa quo ad modũ salvandi, non tamen debet esse controversa, quod existentiã & ab omnibus Catholicis admitti debet, & admittitur.

418. Dices 1mo: Distinctio realis in 3tio mediata salvans principia prima, innotescit, infertur, atq; eruitur ex his, quæ per fidem, circa dictum Mysterium cognoscuntur, non ex lumine naturæ, sed ex principiis fidei habetur. Ergo de ejus existentia dubitari non potest.

419. Respondeo retorquendo argumentum: Distinctio virtualis intrinseca, formalis ex natura rei, item distinctio realis intentionalis Bacconica, infertur, & eruitur ex his, quæ per fidem circa dictum Mysterium cognoscuntur &c. Ergo de prædictarum distinctionum existentia dubitari non potest.

420. Respondeo directè distinguendo Antecedens: Distinctio realis in 3tio, *legitimè infertur*, ex his, quæ per fidem, circa dictum Mysterium cognoscuntur, nempe ex prædicatis contradictoriis, quæ de Natura Divina, & Personis verificantur. Nego Antecedens: Distinctio realis in 3io, *illegitimè infertur*, ex præfatis contradictoriis. Concedo Antecedens, & nego Consequentiam, ac dico: Licèt Defensores distinctionis realis in 3tio, inferant præfatam distinctionem ex prædicatis contradictoriis, quæ juxta fidem, de Natura Divina, & Personis verificantur, tamen hæc illatio non est legitima, & recta: nam si ex præfatis contradictoriis legitimè inferretur, distinctio realis in 3tio mediata, tunc etiam ex iisdem contradictoriis posset legitimè inferri, distinctio realis immediata. Sed hoc est contra fidem. Ergo &c. Probatur sequela majoris:

Inter

Inter Naturam Divinam, & Personas verificantur prædicata contradictoria realia immediata, ut certum ex fide, (de prædicatis autem contradictoriis mediatis, quæ excogitant Defensores distinctionis realis in 3tio, non constat ex fide) Ergo si &c. Propter paritatem rationis posset ex præfatis contradictoriis legitimè inferri distinctio virtualis intrinseca, formalis ex natura rei, & distinctio realis Bacconica, quòd præfati Authores, qui distinctionem realem in 3tio defendunt, non admittunt, quia solam suam distinctionem realem in 3tio, manutenere, & defendere conantur.

421. Dices 2do: Per distinctionem realem in 3tio mediatam potest optimè responderi ad argumenta Infidelium: & sic ad illud argumentum Infidelium: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Sed Paternitas, & Filiatio, sunt eadem uni 3tio. Quia sunt eadem cum Essentia seu Natura Divina,* Ergo *sunt eadem inter se.* Non apparet ratio, quare ad hoc argumentum, non respondeatur per recursum ad distinctionem inadæquatam extensivè? Hoc modo idem argumentum distinguendo: Quæ sunt eadem *adæquatè tàm intensivè, quàm extensive* cum uno tertio, sunt eadem inter se. Concedo Majorem: Quæ sunt eadem uni tertio, *inadæquatè extensivè*, sunt eadem inter se. Nego Majorem. Sed *Paternitas*, & *Filiatio* sunt eadem *adæquatè, tàm intensivè, quàm extensivè*, cum uno tertio, scilicet cum *Essentia*. Nego minorem: *Paternitas* enim non est ita eadem cum *Essentia*, ut *Essentia* non extendatur ad ullam aliam Personalitatem, seu *Paternitas*, non est eadem cum omni eo, quod est per realem identitatem *Essentia*. Sed *Paternitas*, & *Filiatio*, *sunt eadem adæquatè intensivè*, non tamen *eadem adæquatè extensivè*, cum uno tertio, scilicet cum *Essentia*. Concedo minorem, & nego Consequentiam.

422.

422. Ad alterum argumentum Infidelium. Quod est tale: *Implicat de uno, eodemq; verificari prædicata contradictoria. Sed in Mysterio Trinitatis, de uno, eodemque verificantur contradictoria.* Nimirum *de Essentia verificatur: quòd non generet, non generetur* &c: de *Paternitate verificatur, quòd generet,* de *Filiatione, quòd generetur.* Quæ *Essentia,* & *Paternitas* cum sint realiter identificata, sunt quid unum, & idem. Ergo. Ad hoc inquã argumentum responderi potest cum distinctione. Implicat de uno, eodemque, *excludente omnem distinctionem,* verificari prædicata contradictoria. Concedo Majorem: Implicat de uno, eodemq; *admittente aliquam distinctionem,* verificari contradictoria. Nego Majorem. Sed in Mysterio SSmæ Trinitatis, de uno, eodemq; *excludente omnem distinctionem,* verificantur contradictoria. Nego minorem. De uno, eodemq; *admittente aliquam distinctionem,* verificantur contradictoria. Concedo minorem, & nego Consequentiam: & dico, eò ipso, quòd contradictoria verificentur de uno, eodemq; admittente aliquam distinctionem, non verificantur de eodem secundum omnino idem, nec de eodem in omni ratione. Sed verificantur de eodem aliquomodo distincto. Non implicat autem verificari contradictoria, de eodem, non tamen secundum omnino idem; seu de eodem aliquomodo diverso, & de rationibus, seu prædicatis aliquomodo distinctis, licèt secum identificatis realiter immediatè.

423. Respondeo imò. Quòd tali distinguendi modo, posset responderi ad argumenta Infidelium, per distinctionem virtualem intrinsecam, formalem ex natura rei, & distinctionem realem intentionalem Bacconicam, & tamen talem respondendi modum, non admittunt, Defensores distinctionis realis in 3tio, seu distinctionis inadæquatæ extensivè, sicut eam vocant sui Authores.

424. Respondeo 2do. Ad talem distinguendi modum argumenta Infidelium, posset compendiosè respondere Ethnicus, & dicere: Distinctio realis in 3tio mediata, inadæquata extensivè, est apud ipsos Doctores Catholicos implicatoria, ut supra præmissum est ñro 415. Ergo prædicta responsio data ad argumenta mea, per recursum ad distinctionem realem in 3tio, mediatam, inadæquatam extensivè, non est sufficiens ad solvenda mea argumenta, quæ hìc, à me opponuntur.

425. Præterea posset dicere Ethnicus: præsenti ætate ipsi Doctores Soc: JESU, dereliquerunt modum salvandi Mysterium Trinitatis, per distinctionem realem in 3tio, per aliosq; modos salvant prædictum Mysterium ut dictum est ñro 407; & recentiores Theologi Soc: JESU, impugnant eandem distinctionem realem in 3tio, eâq; jam non utuntur, & sic inter alios, Doctissimus Joannes de Ulloa disp: 1ma cap: 3. §. 2do, ñro 38, salvat difficultates Mysterij, non per distinctionem realem in 3tio, sed per distinctionem rationis in sensu Theologico, quam ibi vocat virtualem. Eandem sententiam Eruditissimus idem Author in Tractatu de DEO disp: 2da, cap: 3. ñro 22, eo fine admittit, & promovet. Tandem Godefridus Hannenberg in Tractatu de DEO, ñro 37, negat distinctionem realem in 3tio, & ultimatò concludit ñro 46, quòd distinctio mediata realis in 3tio, esto gratìs permitteretur inter Essentiam Divinam, & Personas, tamen nullatenus sufficeret ad salvanda contradictoria, quæ ibidem verificantur, & hanc conclusionem solidissimè probat. Quoniam ergo distinctio realis in 3tio, ita impugnatur ab Authoribus Catholicis, proinde (dicet Ethnicus) per recursum ad eandem distinctionem realem in 3tio, nullatenus convinci possum, & solutio argumentorum à me objectorum, per præfatam distinctionem, nullius est momenti, & roboris.

426. Contra eandem distinctionem realem in tertio mediatam, stant omnes Doctores Catholici, qui inter Naturam Divinam, & Personas, negant dari omnem distinctionem realem. Et ita inter alios docet Rdmus Opatovius in Alma Universitate Cracoviensi, S. Th: D, & Professor, qui in Tractatu de SSma Trinitate, quæst: 2. ñro 8. inquit: *Relatio realiter existens in DEO, est idem cum Essentia Divina secundum rem.* Jam vero ñro 11. inquit: *Inter Essentiam Divinam, & Relationes Divinas, nulla distinctio actualis ex natura rei, quæ præcedat omnem operationem intellectûs, potest dari.* Pariter Rñus Simon Makowski, in eadem Universitate Cracov: S. Th: D, & Professor in Tractatu de Trinitate, quæst: 3. inquit: *De fide est in Divinis, à parte rei, inter Naturam Divinam, & Personam, nullam dari distinctionem realem, tanquam rei à re, neq; etiam formalem.* Idem docent omnium Universitatũ, & Academiarum Doctores Catholici, qui inter Naturam Divinam, & Personas, solam distinctionem rationis admittunt, quos enumerare, longum est.

ARTICVLVS XXIX.

Vtrùm Mysterium SS. Trinitatis, & prædicata contradictoria, quæ verificantur in hoc Mysterio salvari possunt sufficienter contra Infideles, per solam admirabilem distinctionem ipsarum Personarum inter se (absq; ulla distinctione nemine cogitante, inter Essentiam seu naturam, & Personas) vi cujus vg: Pater, non est aliud à Filio, & Spiritu Sancto, sed solum alius adjectivè, verè tamen realiter, quamvis ineffabili, & nullibi in creatis reperibili modo?

427. RESpondeo: Sive ista sententia adferat, sive

non adferat modum sufficientem salvandi Mysterium Trinitatis? ab hoc præscindo: quia multa hîc essent tractanda: tamen rationes, quæ mihi contra istam sententiam obiter occurrunt, adfero. Ratio 1ma est: quia ad prædictum salvandi modum, potest Ethnicus dicere: Sicut Mysterium Trinitatis est mihi ignotum, & videtur esse impossibile, ita distinctio admirabilis Personarum in una Essentia, est mihi ignota, & videtur esse impossibilis. Ratio 2da: idem Author post expositã suam sententiã, inter alia nro 20. inquit: *En adverte, quòd in salvando Mysterio Trinitatis recurrimus quidem ad aliquid Mysteriosum (Mysterium enim hoc, debet superare omnia principia naturalia) sed non tale, quod sit ipsum in terminis Mysterium Trinitatis, alias enim nihil explicaremus.* Sed admirabilis distinctio Personarum Divinarum inter se (absq; ulla distinctione nemine cogitante inter Essentiam, seu Naturam, & Personas) vi cujus *vg:* Pater, non est aliud à Filio, & Spiritu Sancto, sed solùm alius adjectivè, verè tamen realiter, quamvis ineffabili, & nullibi in creatis reperibili modo, est ipsissimum Mysterium Trinitatis, licèt latiùs, & ampliùs, sub aliis terminis passim explicetur. Distinctio enim Personarum in una Essentia, sine distinctione reali earundem Personarum ab Essentia, est Mysterium Trinitatis. Ergo præfatus Author, dum dicit se non recurrere ad Mysterium Trinitatis, tamen in re videtur recurrere ad illud.

428. Ratio 3tia. Si quis tali modo dubitantem rudem Catholicum de veritate hujus Mysterij, vel rudem Ethnicum negantem hoc Mysterium, vellet convincere ad credendum, & diceret: debes omnino credere Mysterium Trinitatis, quia ibi datur admirabilis distinctio Personarum Divinarum inter se (absq; ulla distinctione inter Essentiam, seu Naturam Divinam, & Personas) vi cujus *vg:* Pater, non est aliud à Filio, & Spiritu S. sed solùm

lùm alius adjectivè, verè tamen realiter, quamvis ineffabili, & nullibi in creatis reperibili modo: tunc tam rudis Catholicus, quàm rudis Ethnicus posset dicere: Ego non capio, nec intelligo, quid sit ista admirabilis distinctio Personarum Divinarum inter se (absq; ulla distinctione inter Essentiam seu Naturam Divinam, & Personas) vi cujus *vg*: Pater, non est aliud à Filio, & Spiritu S. sed solùm alius adjectivè, verè tamen realiter, quamvis ineffabili, & nullibi in creatis reperibili modo, præcipuè autem non intelligo, quomodo *vg:* Pater, non est aliud à Filio, & Spiritu S. sed solùm est alius adjectivè.

429. Ratio 4ta. Præfatus Author postquàm mentionem fecerit, de supereminentia Trinitatis Divinæ, salvativa ejusdem Mysterij, tunc dicit, quòd prædictæ sententiæ nihil aliud, obijci potest, nisi hoc, quòd videatur nondũ satis facilitare, & declarare Infidelibus, possibilitatem Mysterij SSmæ Trinitatis. Quidquid ergo prædictus Author opponit supereminentiæ salvativæ, hoc ego totum oppono ejus sententiæ, & dico: quòd per ejus modum salvativum, non satis facilitetur, & declaretur, Infidelibus possibilitas Mysterij SSmæ Trinitatis, siquidem admirabilis distinctio Personarum Divinarum in una Essentia, est ita difficilis ad cognoscendum, sicut est difficile ipsum Mysterium Trinitatis.

430. Dices: Modi salvandi Mysterium Trinitatis ab argumentis Infidelium, non dantur à Theologis propter rudes Catholicos, vel rudes Ethnicos, sed propter Theologos, & notitiam Theologiæ habentes. Sed ego respondeo: non tantùm docti Theologi, sed etiam rudes Catholici: & rudes Ethnici sunt convincendi, de veritate Mysterij Trinitatis, sicut enim illi, ita & hi, sunt salvandi, proinde quicunq; modi porriguntur ad salvandum Mysterium Trinitatis, ab argumentis Infidelium, illi sunt

meliores, per quos non tantùm docti Theologi, sed etiam rudes Catholici, & simplices Ethnici, convinci possunt, & persuaderi, ut credant Mysterium Trinitatis.

431. Adverto: In hac sententia illud certum esse, quòd Author illius Doctissimus Godefridus Hannenberg, ultimatò recurrat ad id, quòd Mysterium Trinitatis, sit supra prima principia, adeoq; recurrit ad supereminentiam Trinitatis Divinæ: nam in suo Tractatu de DEO, disp: 1ma, ñro 34. inquit: *Pro complemento dictorum addo: insistendo datæ explicationi Mysterij, clarè & expeditè ostendi, quomodonam salventur prima principia, nec falsificetur forma syllogistica in Divinis, nimirum sic: verum esse etiam in Divinis, quòd illa, quæ sunt idem cum uno 3tio, sint quoq; idē inter se, identitate excludente distinctionem facientem aliud, de quali identitate, procedit hoc principium: quia tamen in Divinis, inter hæc ipsa extrema, nimirum Personas, involvitur præterea distinctio admirabilis, faciens præcisè alium, ideo Mysterium hoc, est supra dictum principium, nullatenus verò contra. Similiter etiam in Divinis implicat verificari de eodem esse, & non esse, simul ejusdem formæ, quoniam verò contradictoria detruduntur ibi, de affirmatione,* & *negatione ejusdem formæ, per aliquid tale, quod nequit dari in creatis, ob limitationem cujusvis entis creati, nimirum per dictam admirabilem distinctionem adjectivam, ideo Mysterium Trinitatis, est etiam supra hoc principium,* &c.

432. In quibus verbis, advertenda sunt specialiter illa verba: *Ideo Mysterium hoc, est supra dictum principium, nullatenus verò contra:* nempe supra illud principium: *Quæ sunt eadem uni 3tio, sunt eadem inter se.* Advertenda item sunt illa similia verba repetita: *Ideo Mysterium Trinitatis, est etiam supra hoc principium: nempe supra hoc: Implicat de identificatis realiter adæquatè verificari, prædicata contradictoria.* Porro dum nos salvamus Mysterium Trinitatis, per supereminentiam præfati Mysterij, cum adminiculo distinctio-

ctionis rationis, nihil aliud dicimus, nisi hoc, quòd Mysterium Trinitatis, sit supra prædicta prima principia, & alia similia, quæ hìc contra Mysterium Trinitatis ab Infidelibus opponuntur: consequenter hoc Mysterium, nullatenus est contra primà principia.

433. Præterea hìc observanda sunt illa verba, quæ in conclusione prædicti Authoris adduntur, nempe illa: *verè tamen realiter, quamvis ineffabili, & nullibi in creatis, reperibili modo*: quæ verba inculcant ineffabilem, & nullibi in creatis reperibilem modum, quo vg: Pater, non est aliud à Filio, & Spiritu Sancto, sed solum alius adjectivè. Porro dum nos salvamus Mysterium Trinitatis per supereminentiam, cum adminiculo distinctionis rationis, tunc pariter dicimus: quòd Pater non est aliud à Filio, & Spiritu Sancto, sed solum alius adjectivè, verè tamen realiter, quamvis ineffabili, & nullibi in creatis reperibili modo. Dicimus item quòd de Patre vg: & Natura Divina, verificentur prædicata contradictoria, verè, & realiter, quamvis ineffabili, & nullibi in creatis reperibili modo. Dicimus tandem quæ sunt eadem uni 3tio, sunt eadem inter se *in creatis, & in his, quæ sunt lumine naturæ cognoscibilia*: *tamen in Mysterio Trinitatis, posito supra lumen naturæ, & compatiente distinctionem rationis, inter Naturam Divinam, & Personas*, quæ sunt eadem uni 3tio, illa non sunt eadem inter se, verè tamen realiter, quamvis ineffabili, & nullibi in creatis reperibili modo. Tandem idem Author nro 52. confitetur cogitatiunculam suam superiùs enucleatã, non solùm multùm illustrationis ex sententia de supereminentia salvativà hujus Mysterii hausisse, sed etiã cũ illa aliquomodo convenire, quatenus sententia salvans Mysterium Trinitatis per supereminentiam, *inter alias supereminentias Mysterij SSmæ Trinitatis, agnoscit etiam supereminentem, & admirabilem distinctionem Personarum inter se.* Ego autem

autem dico: quòd prædictus Author in pluribus nobiscū conveniat, quàm dicat: nam ficut nos non admittimus distinctionem nemine cogitante talem, inter Naturam Divinam, & Personas, ita ille non admittit.

434. Deinde licèt præfatus Author non utatur terminô supereminentiæ in modo suo salvativo, tamen in re recurrit, in salvando Mysterio Trinitatis, ad id, quod est supra lumen naturæ; quod sic probo.

435. Prædictus Author salvat Mysterium Trinitatis ab argumentis Infidelium, per solam admirabilem seu supereminentem distinctionem ipsarum Personarum inter se (absq; ulla distinctione nemine cogitante inter Essentiam seu Naturam, & Personas) vi cujus *vg:* Pater, non est aliud à Filio, & Spiritu Sancto, sed solùm alius adjectivè, verè tamen realiter, quamvis ineffabili, & nullibi in creatis reperibili modo. Sed admirabilis seu supereminens distinctio ipsarum Personarum inter se (absq; ulla distinctione inter Essentiam seu Naturã, & Personas) vi cujus *vg:* Pater, non est aliud à Filio, & Spiritu Sancto, sed solùm alius adjectivè, verè tamen realiter, quamvis ineffabili, & nullibi in creatis reperibili modo, est Ens positum supra lumen naturæ. Ergo dum præfatus Author salvat Mysterium Trinitatis, per admirabilem seu supereminentem distinctionem ipsarum Personarum Divinarum, (absq; ulla distinctione nemine cogitante inter Essentiam seu Naturam Divinam, & Personas,) vi cujus *vg:* Pater, non est aliud à Filio, & Spiritu Sancto, sed solùm alius adjectivè, verè tamen realiter, quamvis ineffabili, & nullibi in creatis reperibili modo, tunc eo ipso salvat per Ens positum supra lumen naturæ, adeoq; per supereminentiam Trinitatis Divinæ, supra lumen naturæ, & supra principia lumine naturæ nota. Major est certa quia est doctrina prædicti Authoris, minor pariter est cer-

ta juxta ipsum eundem Authorem, & juxta Doctores Catholicos, & tandem est certa ex hac ratione, quia distinctioni admirabili Personarum Divinarum inter se, in una Essentia, competit definitio entis positi supra lumen naturæ, quam dedimus n̄ro 257.

436. Infertur ex dictis, Quicunq; Authores Recentiores, conantur modum salvativum Mysterij Trinitatis, ab argumentis Infidelium, invenire alium, & contradistinctum à modo salvativo per supereminentiam, noluntq; uti verbîs, & terminîs supereminentiæ: hi in re, & in ipso facto saltim implicitè agnoscunt supereminentiam Trinitatis Divinæ, & salvant prædictum Mysterium, per eandem supereminentiam. Patet hoc illatùm ex immediata sententia, à nobis relata, patet ex n̄ro 409. ubi dicitur à citato ibi Authore, quòd distinctioni reali in 3tio mediatæ, inadæquatæ extensivè, competat ratio supereminentiæ supra lumen rationis: patet item hoc ipsum ex Adversione 4ta in Artic: præcedenti, n̄ro 407.

437. Ad extremum præfata supereminentia Trinitatis Divinæ, salvativa ejusdem Mysterij, habet testimonium à rudi, & indocta plebe Polona: dum enim homines rudes, interrogantur in Catechismo: Quid sit Sacrosancta Trinitas? respondere communiter solent his verbis Polonicis: *Jest BOG Oyćiec, BOG Syn, BOG Duch Swięty: trzy Osoby, ieden BOG nád námi.* Quæ verba Polonica propter Authores exteros, latinè sic explico: *Est DEUS Pater, DEUS Filius, DEUS Spiritus Sanctus, tres Personæ, unus DEUS supra nos.* Porro dum Parochi Poloni Ecclesiarum docent plebem, quid sit SSS. Trinitas, non addunt illa verba: *Nád námi*, id est *supra nos*: sed ipsa plebs Polona, ipsi rudes homines, occulto quodam sivè superno, sivè naturali instinctu, superaddunt illa verba: *Supra nos.*

438. Ex quo facto, & responsione solita rudium hominũ,

minum, sic discurro, & argumentor. Dum rudes homines Poloni in explicatione, & confessione SSS. Trinitatis, occultô quodam instinctu, addunt illa verba: *supra nos*: tunc eo ipso per illa verba: *supra nos*: agnoscunt, confitentur, & prædicant supereminentiam Trinitatis Divinæ supra nos: hoc est supra lumen rationis, supra captum nostri intellectus, supra omnem rationem naturalem, & supra principia lumine naturæ nota. Infero ulteriùs. Dũ homines rudes in explicatione, & confessione SSS. Trinitatis, addunt illa verba: *supra nos*, tunc eo ipso inculcare videntur, quòd SSS. Trinitas salvari, & defendi possit ab argumentis Infidelium per hoc, quòd sit *supra nos*: hoc est, quòd sit supra lumen rationis, supra captum nostri intellectûs, supra omnem rationem naturalem, & supra principia lumine naturæ nota, adeoq; inculcant, quòd debeat salvari Mysterium Trinitatis, per suam supereminentiam.

439. Dices. Istud argumentum est verè Catecheticum, quia est desumptum ex Catechismo: est vulgare, quia desumptum ex vulgo, adeoq; non est hîc usitandũ. Respondeo, sicut respondi nro 275. Ultra quæ addo, quòd dum tractamus res ad Catechismum spectantes, possumus recurrere ad Catechismum, sicut dum quærimus thesaurum in cavernis, debemus recurrere ad cavernas: dum res quærimus in latibulis, debemus recurrere ad latibula. Porro Mysterium Trinitatis, est maximus thesaurus totius Ecclesiæ Catholicæ, proinde dum hic thesaurus est absconditus, incomprehensibilis, & ineffabilis, latetq; tanquam in latibulis, juxta illud Psal: 17. *Et posuit tenebras latibulum suum.* Proinde debemus confugere ad ista latibula, ut ex illis aliquod lumen capiamus. Præterea argumenta petere ex vulgo, & rudi plebe, non est indecens, quia Christus Dominus dicit Math: cap: 11.

Confi-

Confiteor tibi Pater, Domine Cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & revelâsti ea parvulis. & *Psal.* 8. *dicitur*; *Ex ore infantium & lactentium, perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum & ultorem.* Tandē non tantùm ex rudibus, sed etiā ex ignorantibus licet argumētā petere, sicut fecit S. Paulus Apostolus cum Athenienſibus, Act: 17. ver: 22. *Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præteriens enim, & videns simulacra vestra, inveni & aram, in qua scriptum erat, Ignoto DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.* Sicut ergo Paulus Apostolus ad prædicandū Deum, sumpsit argumētū ex ignorātibus, ita ego ad prædicādā Trinitatē Divinā, ejusq; supereminētiā, supra lumen rationis, & supra principia lumine naturæ nota, confirmādā, & illustrādā desūpsi argumētū ex ignorāti, & rudi plebe. Quid ergo deviū vel incōveniens in tali argumēto? cum DEUS Optimus, Maximus, etiā parvulis, & contēptis in mūdo maxima Mysteria revelaverit. Huc spectat, quod Jòánnes de Ulloa in Logica Majori disp: 1ma cap: 2. §. 5. nro 68. inquit: *In hoc Mysterio hæret attonitum lumen naturale, tanquam ad aspectum rei ignotæ sibi, solum lumen fidei loquitur; Ergo hoc non illud, auscultare debemus, Sed lumen fidei clarè pronūtiat, quæ prædicata opposita inferāt distinctionē reale, & quæ non, inferant, ergo cætera omnes rationes naturales, paritatesq; rejiciendæ sunt & soli lumini fidei standum. Quodsi dixeris, hoc esse ad latibula ad Sacrarium confugere; respondebo; hoc ita esse; nullum tamen in hoc absurdum inveniri: quia qui videre, aut investigare intendit res in solis latibulis, soloq; Sacrario existentes, latibula, & Sacrarium ingredi cogitur.*

440. Dices: Sicut rudis Catholicus, vel simplex Ethnicus potest opponere, & respondere, quòd non intelligat quid sit distinctio virtualis intrinseca, formalis ex natura rei, item distinctio realis in tertio, vel tandē distinctio realis Bacconica; ita idē uterq; potest dicere, quòd non intelligat, quid sit supereminētia Trinitatis, per quā salvatur, & defenditur idem Mysterium. Ergo sicut prædictæ distinctiones, non sunt sufficientes ad salvādū prædictū Mysteriū, ita supereminentia prædicti Mysterii.

441. Respondeo: Casu quo responderet rudis Catholicus, vel indoctus Ethnicus, quòd non intelligat, quid sit supereminētia Trinitatis Divinæ, tunc illi facile explicari posset, nēpe quòd supereminētia Trinitatis, nihil aliud est, nisi quod idem Mysteriū sit supra lumen rationis, supra captū intellectûs, & supra omnē rationē naturalē, adeoq; ratione naturali probari non potest, nec percipi; sed tantū percipi & cognosci potest, depēdēter à fide, vel alio lumine supernaturali: & ita docet S. Scriptura Concilia & SS. Patres. Prædictæ autē distinctiones cum sint inter ipsos Doctores Catholicos controversæ, imò à multis implicatoriæ, non possunt ita facilè explicari rudibus & indoctis: & pro illis admittendis nulla adest scriprura, nulla Concilia, & nulli SS. Patres.

442. Dices: Licet supereminētia Trinitatis Divinæ, sufficeret ad convincendos rudes Catholicos, & indoctos Ethnicos de veritate SS. Trinitatis, tamen non sufficit ad cōvincēdos Doctos, & in Theologia speculativa versatos Ethnicos, illi enim sicut Mysteriū Trinitatis, & ejus existētiā absolutè negāt, ita pariter negant, quòd idē Mysterium sit ens positū supra lumen naturæ. Ergo supereminētia Trinitatis Divinæ, etiā cum adminiculo distinctionis rationis, non est sufficiens, & adæquatus modus, ad salvādū idē Mysteriū, ab argumētis Infidelium.

Respondeo: (Præmissa retorsione de distinctione virtuali intrinseca formali ex natura rei, reali in tertio &c.) & dico. Quoties Ethnici negarent Mysterium Trinitatis esse supra lumen naturæ, toties illis probādū est hoc modo. Ens positū supra lumen naturæ est illud, de cujus possibilitate, non potest constare ex lumine naturali, indepēdēter à lumine fidei Divinæ, omniq; alio lumine supernaturali, & simul constat de illo, vel constare potest, ex lumine fidei Divinæ, vel alio lumine supernaturali. Sed Mysteriū SS. Trinitatis, est ens tale, de cujus possibilitate non potest constare ex ipso præcise lumine naturali, indepēdēter à lumine fidei Divinæ, omniq; alio lumine supernaturali: constat tamen de possibilitate & existentia ejusdē Mysterii SS. Trinitatis, ex lumine fidei Divinæ,

ſeu revelatione Divina. Ergo &c. Major eſt definitio entis poſiti ſupra lumen naturæ, ut conſtat ex num: 257. probariq; poteſt communi argumento, quo probari ſolet rectitudo cujuſcūq; definitionis. Prima pars minoris certa eſt apud omnes Catholicos, & omnes Infideles.

Secūda pars minoris probatur. Datur revelatio Divina, & fides illi innixa de Myſterio SS. Trinitatis, quæ revelatio quòd detur, ſitq; infallibilis, probatur à Theologis Controverſis, ex univerſalibus, motivis credibilitatis: qualia motiva credibilitatis ſunt miracula in confirmationē fidei Catholicæ facta: itē oracula Sybillarū Divino Spiritu afflatarū, vaticinia Prophætarū, gloria Martyrū, & Doctorū Catholicorū conſenſus, item eſt comparatio Fidei Catholicæ ad alias ſectas: item eſt ſanctitas doctrinæ Catholicæ, tandē ſunt veræ notæ & ſigna Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ &c. quæ omnia tradūtur in Tractatu de fide. Ergo &c. Quodſi Ethnici hac probatione non fuerint cōtēti, tunc illis reſpōdēdū eſt cum Prophæta: *Niſi credideritis non intelligetis*, & cum SS. Auguſtino & Thoma citatis ñro 260. & cum S. Ephrem citt: ñro 263.

443. Ad cōplemētū clarioris reſponſionis ad objectionem ñro 344. & 345. propoſitā hic addo. Illa propoſitio adverſariorū ibidē allata nēpe: *Si in Myſterio Trinitatis contra principia lumine naturæ nota haberetur, vel haberi poſſet ratio, ex lumine ſupernaturali, tunc hoc nihil aliud eſſet, niſi revelatum eſſe, & fide Divinâ credi, quod Myſterium Trinitatis, ſit contra principia lumine naturæ nota, ipſiſq; adverſetur, & quidem per hoc quod ſit ſupra talia principia.* Iſta inquam propoſitio, ſeu ſequela ipſius falſa eſt, quod ſic oſtenditur: Licet in Principe abſoluto poſito ſupra aliquā legem, habeatur vel haberi poſſit ratio contra legē, quod illā non debeat obſervare: tamen Princeps poſitus ſupra aliquā legem, non eſt contra legem, ut toties diximus. Ergo pariter licet in Myſterio Trinitatis, habeatur vel haberi poſſit ex lumine ſupernaturali fidei, ratio contra prima principia tamen Myſteriū Trinitatis, non eſt contra prima principia: eò enim ipſo,

quòd supponatur & credatur esse supra prima principia, non est contra prima principia.

444. In eadem objectione decima n̄ro 346. explicatur ab adversariis propositio hæc: *Ratio ex lumine supernaturali fidei est superior ratione naturali primorum principiorum:* explicatur inquam sic: illam non debere intelligi, quòd rationis superioris & potioris, veritas, tollat veritatem naturalem primorum Principiorum nec eam compatiatur, sed potius, quòd assensus veritati rationis superioris, firmior esse debeat, quàm assensus rationi naturali.

Respondeo: primam partem explicationis concedo, & hoc ipsum expressè sentio. Secundam partem explicationis pariter concedo, & ex illa sic argumentor: Assensus veritati rationis superioris, firmior esse debet, quàm assensus rationi naturali, ut ipsi fatentur oppositi. Ergo habendo rationem supernaturalem firmiorem, de Mysterio Trinitatis, potiùs illam sequi debemus, quàm rationem naturalem primorum Principiorum.

445. Dices: Licèt in creatis detur distinctio rationis, tamen in iisdem creatis implicat verificari prædicata contradictoria, de identificatis realiter adæquatè. Ergo licèt inter Naturam Divinam & Personas detur distinctio rationis, tunc etiam ibi implicat verificari prædicata contradictoria. Respondeo: concesso antecedente, nego consequentiam, disparitas est, quia à creatis ad Mysterium Trinitatis non licet universaliter argumentari: unde reduco in memoriam quod dictum est, n̄ro 449. *Cæteræ omnes rationes naturales paritatesq; rejciendæ sunt, & soli lumini fidei* (ultimato) *standum.*

446. Plurima hìc restant dicenda, tam de supereminentia salvativa Trinitatis Divinæ, quàm de distinctione virtuali intrinseca, formali ex natura rei, quàm de distinctione; reali in 3tio mediata inadæquata, extensive, sed quia partim, prope septuagenaria ætas, partim sum-

ſumptus notabilis non permittit, ideo ab his abſtinemus. Cæterùm ex his, quæ dicta ſunt, multa, imò planè omnia ſolvi poſſunt. Quidquid autem hîc ſcripſi, feci propter gratam memoriam Authoris hujus ſententiæ, citati nro 259, ut diſcant qui diſcere tenentur, quòd Parentibus, & Profeſſoribus nulla ſit par gratitudo.

ARTICULUS XXX.

447. *Illud conſtat eſſe licitum, quod nulla eſt lege prohibitum.* Eſt erutum, & collectum ex S. Auguſtino. Lex prohibens duplex eſt, alia explicita, alia implicita: quod ergo nulla lege eſt prohibitum, tàm explicita, quàm implicita, illud eſt licitum. Unde licèt non adſit lex expreſsè prohibens aliquid, adſit tamen implicita, vel diſſenſus, & reſiſtentia ſuperioris, tunc temporis non eſt licitum aliquid agere.

448. *Prius eſt eſſe alicubi, quàm manere.* Eſt S. Auguſtini, Tractatu 74. in Joannem, ad finem. Ratio eſt, quia manere, importat aliquam durationem, & moram, adeoq; ſupponit eſſe, ſeu exiſtentiam: ubi enim non eſt eſſe, ibi nec mora, ſeu permanentia eſſe poteſt.

449. *Quod nunquam eſt, omnino non eſt.* Deducitur ex S. Auguſtino Epiſt: 57. Senſus eſt, quod nullo tempore eſt, illud abſolutè non eſt, poteſt tamen aliquando eſſe.

450. *Ibi non eſt propinquitas, ubi non eſt aliqua diſtantia.* Ratio juxta S. Thomam 4. Senten: diſtin: 40. Articulo 2. eſt, quia ſicut (inquit) nec ſimilitudo eſſe poteſt, ubi non eſt aliqua diverſitas. Ratio præterea eſt: quia propinquitas præſupponit diſtantiam, quomodo enim unum appropinquaret alteri, ſi pro priori non eſſet diſtans ab illo?

451. *Verius est aliquid, ubi est per essentiam suam, quam ubi est per similitudinem.* Habetur apud S. Thomam in quæstionibus disputatis, quæst: de Verbo Art: 6. ad 1mum; sensus est: Verius est aliquid, ubi est per suam essentiam, seu realem existentiam, quàm ubi est per similitudinem existentiæ. Sic Rex existens in palatio, secundũ suam realem Personam, certè ibi verius est, quàm ubi tantùm est per imaginem suam à quocunq; depictam, & locatam in eodem palatio. Huic axiomati conforme est illud S. Bonaventuræ 1. Senten: distin: 36. quæst: 2. *Verius est res, ubi est secundum propriam entitatem, quam ubi solùm secundum similitudinem.*

452. *Malum, ut malum, semper est in bono.* Est S. Augustini in Enchiridio cap: 13. & 14. ubi ait, non posse esse malum nisi in bono, quia si esset purum malum, se ipsum destrueret. Quod ut intelligatur sciendum est, quòd omne malum seu omnis actio mala, sit accidens, proinde indiget suo subjecto existente, in quo recipiatur. Sed subjectum existens, receptivum mali, est bonum, saltim bonitate transcendentali. Ergo omne malum, est in bono, nempe in subjecto bono.

453. *Malum tendit ad non esse.* Est S. Augustini apud Alensem 1. par: sum: quæst: 40. memb: 1. Hoc axioma ita explicari potest: Malum tendit ad non esse *perfectionis seu tendit ad carentiam, & sublationem perfectionis,* non autem tendit *ad sublationem sui subjecti, in quo idem malum* recipitur. Malè enim agentes licèt perfectionem oderint, tamen suam existentiam amant, & volunt diutissimè existere, ac vivere. Contingunt tamen aliqui peccatores ita mali, ut intendant etiam suum non esse, & illi sunt tales, qui se ipsos occidunt, vel suspendunt, aut aliis modis vitam suam auferunt.

454. *Nemo peccat in hoc, quod vitare nullo modo potest.*

Est

Est S. Augustini apud Albertum Magnum distin: 30. lit: B. Est verum de omni peccato actuali, si illud absolutè, & simpliciter vitari non potest: non autem de peccato originali, quia infantes nullo modo vitare possunt peccatum originale, & tamen illud contrahunt.

455. *Gravius est delictum, quo major incurritur pœna.* Est S. Augustini de unico Baptismo libr: 1. ubi inquit: *Quis dubitat hoc esse sceleratiùs commissum, quod est graviùs vindicatum.* Certissimum est, quòd ex pœna graviori inferatur gravius esse delictum: sed plerumq; contingit, quòd pro gravioribus delictis, minores assignentur pœnæ, pro minoribus graviores: ita pro furto suspenduntur fures, pro homicidio autem plerumq; homicidæ vitâ donantur, & pœnîs pecuniariis mulctantur, præsertim quando homicidia perpetrantur à Personis potentibus.

456. *Melior est natura, quæ peccare potest, quàm quæ non potest peccare.* Est S. Augustini in Enchiridio cap: 105. Cæterùm non est universale, ut docet S. Thomas in quæst: disputatis, quæst: de Potentia DEI, Artic: 6, qui in responsione inquit: *Dicendum, quòd illa comparatio non est intelligenda universaliter: sed solùm inter hominem, & animalia bruta: non inter hominẽ, & Deum: nam DEUS peccare non potest, & Beatus.*

457. *Nihil simplex mutabile est: Omnis autem Creatura mutabilis.* S. Augustinus lib: 6. de Trinitate cap: 6. Est per se clarum, & evidens.

458. *Quantò aliquod corpus, est propinquius materiæ primæ, tantò est ignobilius.* Est S. Thomæ lib: 1mo contra gentes, cap: 90. ex quo infert elementa, ignobiliora esse corporibus mixtis, & probat, quia quod est propinquius materiæ, est magis in potentia. Circa hoc axioma id adverto; quòd materia non sit absolutè ens ignobile: Ergo & illud, quod est ipsi propinquius, non est ignobilius. Quod autem materia 1ma, non sit ens absolutè ignobile.

le. Ratio est primo: quia materia prima est substantia. 2do: quia est ingenerabilis, 3tio: quia est incorruptibilis. 4to: quia est pars cujuslibet compositi substantialis physici. Tandem forma materialis, unita materiæ, est illi propinquissima, & tamen per hoc non est ignobilior. Per hanc tamen adversionem, nolo contradicere S. Thomæ.

459. *Principium mutabilitatis, est materia.* Reperitur apud S. Thomam, in quæstionibus disputatis quæst: unica de Spirituali Creatura, Art: 1. qui in responsione ad tertium, ait: id intelligi de mutabilitate substantiæ, quò ad esse, non quò ad operationem. Potest etiam sic explicari: Principium *activum* mutabilitatis est materia. Negandum. Principium *passivum* mutabilitatis, est materia. Concedendum. Præterea etiam forma, est principium mutabilitatis, ut patet in mutatione ligni in ignem, ubi forma ignis, consumit formam ligni, & in locum ejus inducitur forma ignis.

460. *Materia proportionatur formæ.* Porro hæc proportio materiæ ad formam, non debet esse omnimoda, adæquata, & per omnia æqualis, sed tantùm secundum aliquid, scilicet secundum dispositionem, quæ requiritur ad recipiendam formam, & ita docet S. Thomas 3. sent: distin: 16. quæst: 1. Art: 1. ad tertium: *Dicendum* (inquit) *quòd debet esse proportionata formæ, non autem necesse est, ut habeat omnes conditiones formæ, sed ut sit disposita ad recipiendum formam, secundū modum suum. Unde non oportet, ut si anima hominis secundum naturam suam, est immortalis, quòd etiam corpus est immortale.* Ex quibus verbis patet, quòd proportio materiæ ad formam, consistat in dispositione, sed præterea consistit etiam in capacitate ad recipiendam formam, tandem consistit in eo, quòd sicut forma est incompleta, ita & materia debet esse incompleta.

A R-

ARTICVLVS XXXI.

461. *NAtura est, in qua nullum malum est, vel etiam in qua nullum potest esse malum: esse autem natura, in qua nullum bonum sit, esse non potest. Proinde nec ipsius diaboli natura, inquantum natura est, malum est, sed perversitas, eam malum facit.* Verba sunt S. Augustini libr: 19. de Civitate DEI Cap: 13.

462. *Id cuiq; est naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis ordo naturæ.* Hoc axioma colligitur ex S. Augustino lib: 21. de Civitate DEI cap- 8. ubi inter alia dicit: *Omnia quippe portenta, contra naturam dicimus esse, sed non sunt. Quomodo est enim contra naturam, quod DEI sit voluntate, cum voluntas tanti utiq; Conditoris, conditæ rei cujusq; natura sit. Portentum ergo sit, non contra naturam, sed contra quam, est nota natura.* Præfatum axioma sic est explicandum: Id est cuiq; naturale, quod DEUS facit, & tribuit creaturæ, ut Author naturæ, quod autem DEUS facit, & tribuit creaturæ, ut Author gratiæ, id non est naturale. Sic *vg:* DEUS, fecit Mysterium Incarnationis, & Redemptionis, tamen hæc non sunt naturalia creaturæ: pariter DEUS facit, & concedit creaturis gratias supernaturales, requisitas ad salutariter operandum, & tamen hæ gratiæ, non sunt naturales creaturis rationalibus. Cæterùm & ipsa verba S. Augustini explicationi subjacent: quia certum est, quòd in aliquo sensu portenta sint contra naturam, nempe, quia illis natura non indiget, nec illa exigit.

463. *Quantò aliqua res habet perfectiorem naturam, tantò est majoris virtutis, in agendo.* Est S. Thomæ. Ratio est, quia virtus naturæ, identificatur eidem naturæ. Ergo quò perfectior est natura, eò perfectior est, illius virtus in agendo: si tamen ab extrinseco impediatur, cogitur virtutem suam suspendere.

464. *Impossibile est, quòd intentio naturæ frustretur.* Ita S. Thomas quæst: 5. de conservatione rer: Art: 9. Hoc axioma ita explicari potest: Impossibile est *secundum cursum ordinarium*, quòd intentio naturæ frustretur; non est tamen impossibile, *de Potentia DEI absoluta.*

465. *Quod naturaliter est tale, semper, & ubiq; est tale.* Hoc axioma sic explicari potest, quod naturaliter secundùm essentiam est tale, semper, & ubiq; est tale: quod autem naturaliter secundùm accidentia est tale, illud non semper, & ubiq; est tale: sic aqua naturaliter est frigida, & tamen per accidens potest esse calida.

466. *Virtus naturæ, in nulla re subjacet voluntati.* Est apud S. Thomam in quæstionibus disputatis, quæst: 3tia, de Creatione Artic: 15. in responsione ad 4tum. Hoc axioma sic potest explicari: Virtus naturæ, seu causæ necessariæ, in nulla re subjacet voluntati, nam quòd ignis urat, id nullatenus dependet à voluntate: tamen virtus naturæ seu causæ liberæ, qualis est anima, subjacet voluntati. Pariter virtus corporis subjacet voluntati, juxta illud Genes: 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu, dominaberis illius.*

467. *Natura non deficit in necessarijs.* Est apud S. Thomam in quæstion: disputatis, quæst: 1. de Veritate in communi Art: 8. Potest sic explicari: natura non deficit in necessarijs, quando non impeditur aliunde; quando autem impeditur, tunc deficit, & deficere potest.

468. *Natura semper facit, quòd melius est.* Reperitur apud S. Thomam in quæst: disputatis, quæst: 3tia de potentia DEI Art: 6. in responsione ad 26tum. Non est Universale; quia inter operationes naturæ, aliæ sunt bonæ, aliæ meliores, aliæ non ita meliores, vel non ita bonæ: & tamen tam has, quàm illas natura operatur. Ergò natura non semper facit, quòd melius est, sed etiam facit, quod bonum est.

469. *Ea, quæ contra naturam fiunt, in paucioribus accidunt*. Est S. Thomæ 1ma parte, quæst: 63tia Artic: 9no. Ratio est ab experientia, per quam certum habetur, quòd monstra in paucioribus accidant: aliæ autem generationes naturaliter, & ordinariè fiunt. Ratio præterea est, quia natura, quantùm potest, tantùm intendit finem, & effectum sibi connaturalem.

470. *Natura ordinatur ad gratiam, sicut gratia ad gloriam*. Est S. Thomæ in quæst: disp: quæst: de Prophet: Art: 4. ad 4tum. Quod sic potest explicari: natura rationalis quantum est ex DEO, ordinatur ad gratiam, si tamen *vg:* homo hanc ordinationem impedierit, vel se ad illam non disposuerit, tunc gratiam non consequitur, sed ab ea removetur.

471. *Nulla natura potest supra se ipsam*. Habetur apud S. Thomam 1. 2dæ, quæst: 109. Art: 3. Ratio est, quia sicut gratia, non potest quidquam supra se ipsam, ita & natura, alias eo ipso excederet activitatem virtutis suæ.

472. *Gratuita præsupponunt naturalia*. Ita S. Thomas 2do Sentent: ad Hannibaldum, dist: 26. quæst: unica, Art: 3. Præfatæ propositionis sensus est hic: Dona supernaturalia gratiæ, præsupponunt dona naturæ, & ipsas potentias naturales: Cui enim dona gratiæ darentur; si non essent pro priori naturales potentiæ?

473. *Illud, quod natura operari potest, non est supra facultatem naturæ*. Ita S. Thomas quæst: 6. de miraculis. Art: 2do, quod sic limitari potest: Quod natura potest operari *viribus naturæ*, id non est supra facultatem naturæ, tamen illud, quod natura potest operari, tantum *ut elevata per gratiam*, est supra facultatem naturæ.

474. *Natura non agit, nisi sibi simile*. Habet id axioma S. Thomas in quæst: disputat: quæst: 3. de Potentia DEI, Art: 8. potest sic explicari: Natura seu causa univoca,

voca, non agit nisi sibi simile, natura tamen æquivoca, potest agere, seu producere sibi dissimile.

475. *Quidquid consequitur principia naturæ, procedit ab ipso Auctore naturæ.* Ita S. Thomas 2. senten: distinct: 32. quæst: 2da, Art: 1. ad 4tum. Est verissimum, & explicatione non indiget: sicut enim principia naturæ, procedunt ab Auctore naturæ, ita, & illa omnia, quæ comitantur prædicta principia. Adverto tamen, quòd gratiæ supernaturales speciales, non dantur à DEO, ut Auctore naturæ, sed ut Auctore gratiæ.

476. *Naturæ resistere, difficile est.* Habetur apud S. Thomam 6. Eth: lect: 11. sensus est. Naturæ difficile resistere, non tamen impossibile, quia defacto eidem resistitur.

477. *Natura rei, est primum in unoquoq;.* Ita S. Thomas 1. parte, quæst: 87. Art: 1. sensus est: Natura est principium primum, omnium proprietatum, & perfectionum rei.

478. *Illud, quod invenitur in omnibus, etiam ratione carentibus, videtur esse naturale.* Ita S. Thomas 1ma part: quæst: 60. Art: 4. Est per se clarum, & constat inductione; Sic quia animal reperitur in omnibus, etiam ratione carentibus, ideo est naturale suis speciebus, & individuis: pariter quia esse vivens reperitur in omnibus suis inferioribus, ideo illis est naturale.

479. *Illud, quod sequitur naturam aliquam, æqualiter invenitur in omnibus habentibus illam naturam.* Ita S. Thomas 2do senten: distinct: 25. quæst: 1. Art: 4. in responsione ad secundum: potest sic explicari: Illud, quod sequitur naturam aliquam, *tanquam proprietas essentialis ejusdem naturæ*, æqualiter invenitur in omnibus habentibus illam naturam: tamen illud, quod invenitur in omnibus *tanquam proprietas accidentalis*, non æqualiter invenitur in omnibus, haben-

habentibus illam naturam, sic capacitas, & ingenium sequitur naturam humanam, & tamen non reperitur æqualiter in omnibus.

480. *Illud, quod est naturale, semper inest.* Habet istam propositionem S. Thomas 1. part: quæst: 63. Art: 5. sensus est: Illud, quod est naturale rei, semper identificatur eidem rei, ut constat inductione omnium prædicatorum, & perfectionum cujuslibet rei: tamen aliter dicendum de actibus naturalibus potentiarum naturalium, qui non identificantur rei, sed distinguuntur ab illa.

481. *Cuicunq; est aliquid naturale, oportet etiam esse naturale id, sine quo illud haberi non potest.* Ita S. Thomas 3. contra gentes cap: 129. Ratio est: quia connexa secum, naturaliter se requirunt.

482. *Quod debilitat aliquid, non est ei naturale.* Reperitur apud S. Thomam in quæst: disputatis de Spirituali creatura Art: 2do in responsione ad 2dum. Hoc axioma sic limitari potest: quod debilitat aliquid, *seu violentiam infert alteri*, non est eidem naturale: quod debilitat aliquid, *non inferendo eidem violentiam*, illud ei est, & potest esse naturale: sic passio iræ, concupiscentiæ immoderatæ, debilitat hominem, & tamen ei est naturalis: pariter omnis morbus contingens homini, & alijs animalibus, debilitat hominem, & alia animalia, & tamen morbi sunt prædictis entibus naturales, licèt sint contingentes.

483. *Quælibet res naturalis, per naturalia potest consequi finem suum.* Ita S. Thomas 1ma 2dæ quæst: 109. Art. 5. in responsione ad 3tium. Sic est limitandum: quælibet res naturalis, per naturalia media, potest consequi finem suum *naturalem*, non tamen *supernaturalem*.

484. *Naturalibus neq; meremur, neq; demeremur.* Est S. Thomæ 1. part: quæst: 60. Art: 2. quod sic limitandũ: naturalibus neq; meremur, neq: demeremur, *si eis non utamur*

tamur ad meritum, vel demeritum, si tamen eis utamur ad meritum, vel demeritum, possumus illis mereri, vel demereri; sic ratiocinari, seu discurrere est naturale homini, & tamen nostris ratiocinationibus possumus mereri, vel demereri: Sic bibere, dormire, ambulare, sunt actiones naturales, & tamen illis possumus mereri, si dictas actiones ad Majorem DEI gloriam faciamus, juxta illud Apostoli, Ad Colossen: 3. ver: 17. *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in Nomine Domini JESU Christi gratias agentes DEO, & Patri per ipsum*: tandem concupiscentia, & libido, sunt actiones naturales, & tamen multi, per illas demerentur.

485. *Natura solùm habet determinare de illo, quod est corpus, vel passio corporis. Aristoteles 3. de anima.* Sensus est: quod naturalis scientia, principaliter habeat determinare, de illo, quod est corpus, vel passio corporis, minùs tamen principaliter, potest etiam de illo determinare, quod non est corpus, vel passio corporis: Sic vg: Scientia naturalis determinat, & agit de anima, ac de potentiis animæ, licèt illæ non sunt corpus, vel passio corporis.

486. *Natura non determinatur ad unum.* Aristoteles 9. Metaphys: Sensus est: Quòd natura non determinetur, nec sit determinata, ad unum *tantùm individuum* producendum, est tamen determinata, *ad unum modum producendi.*

487. *Natura in suis operationibus, non facit saltum.* Idem 9no de Natura. Sensus est: quòd natura non agat *sine medio, sed per medium*: Unde communiter in Physica docetur, quòd causa non possit agere indistans, non agendo per medium.

ARTICVLVS XXXII.

488. NIl *sub sole novi.* Axioma istud habet fundamentum Ecclesi: Cap: 1. ubi dicitur: *Nil sub*

sole novi, nec valet quisquam dicere, hoc recens est, jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos. Sicut autem solidum, & firmum habet fundamentum, ita à multis, non usitatur in eo sensu, in quo prolatùm est. Multi enim dum vident aliquem, novi aliquid cogitâsse, scripsisse, vel impressisse, negant illud esse novum, & utuntur hoc principio: *Nil sub sole novi.* His omnibus respondendum esse censeo. 1mo: Licèt aliquid sit jam pridem in alijs libris impressum, licèt pridem in alijs reperiatur voluminibus, tamen inde non sequitur, quòd circa illud, labor frustraneus impendatur, ingenium exerceatur, industria vel tempus occupetur, sumptus notabiles pro typo expendantur, si iteratò, & præsertim alio modo, & fine imprimatur. Sic qui collegit Poliantheam, defacto in illa nonnisi totum illud scripsit, quod in alijs pridem reperiebatur libris, & tamen quis dicet, laborem circa Polianthea collectionem, esse frustraneum? Pari modo qui S. Augustini Sententias, in unum collegit volumen, & ad ordinem Alphabeti redegit, certè nil novi scripsit, sed tantum id, quod in eodem Sancto reperiebatur Augustino, tamen quis audebit hunc tantũ laborem, dicere, esse superfluum, dum tot Doctoribus, Professoribus, Concionatoribus, Asceetis, alijsq; Viris eruditis sit utilissimus, utpote ex primo intuitu omnia per ordinem Alphabeti repræsentans. Et quod Majus est, qui Bibliorum Sacrorum Concordantias invenit, & conscripsit, hic totum illud habet, quod est in Biblijs, & tamen Concordantiarũ inventio, collectio, & impressio est toti Ecclesiæ utilissima. Unde hæ, & aliæ similes collectiones, possunt dici novæ, quia in illis reperitur novus labor, nova industria, nova dispositio, & novus finis.

489. Respondendum censeo 2do, verum est in certo Sacræ Scripturæ Sensu, illud, quod dicitur: *Nil sub sole no-*

le novi: sed etiam illud verum est, quòd Sacra Scriptura Apocal: 21, v. 5. dicit: *Et dixit, qui sedebat in Throno: Ecce nova facio omnia.* Item Levit: 26. v. 10. *Comedetis vetustissima veterum, & vetera novis supervenientibus, proijcietis.* Verum item quod dicitur 1. Regum 2do, v. 3. *Recedant vetera de ore vestro, quia DEUS scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.* Huc spectat, quod in Prologo ad suos Tractatus Theologicos Cardinalis de Lugo inquit: *Nova pleraq; vocitare solent parùm eruditi, quæ in vulgaribus Libris, quos ipsi versant, non leguntur, quamvis in aliis vetustissimis reperiantur: eggregiè Tullius in libr: de orat: quidam* (inquit) *reprehendunt, quod inusitatas vias indagemus, tritas relinquamus, ego autem & me sæpe nova videri dicere intelligo, cum vetera dicam, sed inaudita plerisq;.*

490. Dico: Principium istud: *Nil sub sole novi:* sic potest explicari. Nil sub sole novi: *quo ad speciem*, non tamen *quo ad individuum.* Potest etiam sic explicari: Nil sub sole novi, *quo ad substantiam*, multa tamen sunt nova, *quo ad dispositionem, industriam, explicationem, finem, & modum agendi.* Tandem sic potest explicari. Nil sub sole novi, quo *ad intellectum Divinum*, omnia perfectissimè, & comprehensivè cognoscentem, non autem *quo ad intellectum creatum*, qui omnia imperfectè, & abstractè cognoscit. Unde dum hæc cognoscit, quæ antea non cognoverat, illa sunt respectu illius nova.

491. Quæri hìc potest: Utrum contra sententiam novam, rectè arguitur ex eo, quòd sit nova? *vg:* utrum sit hæc recta argumentatio? *Ista sententia est nova. Ergo non est sequenda.* Respondeo contra sententiam novam, non rectè arguitur, ex eo præcisè, quòd sit nova, quia talis argumentatio est similis huic: *Testamentum legis gratiæ, à Christo Domino institutum, est novum. Ergo non est tenendum,* quod est contra fidem.

492. Respondeo 2do. Contra sententiam novam, novitate propria Hæreticis, rectè arguitur ex eo, quòd sit nova; jam autē contra sententiam novā, novitate discretiva ab Hæreticis, non benè arguitur ex eo, quòd sit nova. Ratio primæ partis est: Quod includit aliquem errorem contra fidem, ex eo benè arguitur contra Authorem talis erroris. Sed sententia nova novitate propria Hæreticis, includit aliquem errorem contra fidem, ut supponitur. Ergo &c. Ratio 2dæ partis est: Ex illa sola novitate rectè arguitur, contra novam sententiam, quæ in se includit aliquem errorem. Sed sententia nova, novitate distincta ab Hæreticis nullum errorem contra fidem includit, sed præcisè circa solam veritatem speculativam versatur, non tangendo, nec lædendo fidem. Ergo &c.

493. Quæri potest 2do. Utrum à sententia antiqua alicujus Doctoris, etiam gravis, & classici, liceat aliquando recedere, vel ei saltem in aliquo dissentire? Respondeo affirmativè. Conclusio hæc constat ex Doctrina mei Legislatoris, & Doctoris S. Augustini, qui in Epistola ad S. Hieronymum inquit: *Nisi fortè ille modus est, quo utrumq; hoc vitium, vel vitij suspicionem caveamus, si cum Doctore Amico, sic disputemus, ut quidquid dixerit, necesse sit approbare, nec quærendi saltim causâ, liceat aliquantulum reluctari. Imò verò sine ullo timore assentationis, tanquam in campo luditur, sed mirum, si nobis non illuditur. Ego enim fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremq; deferre, ut nullum eorum Authorem, scribendo aliquid errasse, firmissimè credam. At si aliquid in meis offendero literis, quod videntur contrarium veritati, nihil aliquid, quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minimè intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet Sanctitate, vel doctrinâ præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi*

ita senserint, sed quia mihi, vel per illos Authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec Te mi Frater, sentire aliquid aliter existimo. Prorsus inquam non Te arbitror, sic legi Tuos libros velle, tanquam Prophetarum, & Apostolorum, de quorum scriptis, quòd omni errore careant, dubitare nefarium est. Absit hoc à pia humilitate, & à veraci de Temet ipso cogitatione.

ARTICVLVS XXXIII.

494. N*Egatio est malignantis naturæ, quidquid post se invenit, tollit, seu negat.* Hoc principium explicandum est hôc modô: Negatio est malignantis naturæ, quidquid post se invenit, tollit, seu negat, *distributivè, quando nihil obstat*, quando autē *aliquid obstat*, tunc non tollit, neq; negat omnia. Ratio est: quia multi Sacræ Scripturæ loci, & multi SS. Patrum textus, constant particulis negativis, & negationibûs sibi præfixis, tamen illæ non negant, nec tollunt totum, quidquid post se inveniunt, sed plerumq; aliqua negant, aliqua præscindunt, aliqua excipienda esse innuunt. Sic *vg*: Scriptura Joan: 1. v. 18. inquit: *DEUM nemo vidit unquam.* Ubi ly *nemo* est particula negativa, tamen illa, non negat omnino absolutè, omnem hominem vidisse Deum in terra, quia Christus Dominus erat Homo, & tamen ille juxta communem Theologiam, vidit intuitivè Deum in terra. Similiter Beatissima Virgo Maria Immaculatè Concepta, fuit Homo, & tamen de Illa multi Theologi docent, quòd in instanti Conceptionis suæ, viderit intuitivè, beatificè Deum.

495. Pariter S. Scriptura dicit: *Non est, qui possit resistere voluntati Tuæ:* tamen hæc negatio malignantis naturæ, temperanda est, quia voluntas humana libera, potest ex suppositione Antecedenti, resistere voluntati Divinæ,

ut

ut patet ex eadem S. Scriptura dicente: *Vos semper Spiritui S. resistitis.* Et Psalmista inquit: *A resistentibus dexteræ Tuæ custodi me.* Hoc totum constat & ex Concilio Tridentino citato nro 41.

496. Hæc, & alia plura loca inveniet, qui Sacram Scripturam, & Concilia revolvet. Simile quid, & in SS. Patribus observare licet, & hi enim in multis textibus suis, negationes, & quidem universales adhibent, tamen illæ frequenter non omnino universaliter, absolutè, & illimitatè sunt intelligendæ; Sic S. Doctor & Legislator Ordinis mei Augustinus inquit: *Nulla alia causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere: tolle morbos, tolle vulnera, nulla est causa medicinæ:* tamen in hoc textu negatio, ly *nulla:* non est sumenda universaliter absolutè, distributivè, completè, quia præter hanc causam, multæ aliæ causæ fuerunt, propter quas venit in mundum Christus Dominus, quas causas multas assignant multi Theologi. Et ipse Christus Dominus præter redemptionem generis humani, alias causas addit, dum inquit: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundatiùs habeant.* Item: *Ego veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Ipse quoq; S. Augustinus, ultra præfatam causam alias causas adventûs Dhristi Domini, in multis locis assignat, dum inquit: *Homo sequendus non erat, qui videri poterat, DEUS sequendus erat, qui videri non poterat, ut ergo exhiberetur homini, & quô videretur ab homine, & quem homo sequeretur, DEUS factus est homo.* Pariter Tract: 30. in Joannem inquit: *Unius quippe naturæ sunt, vitis, & palmites, propter quod cum esset DEUS, Cujus naturæ non sumus, factus est homo, ut in illo, vitis esset humana natura, cujus nos homines, palmites esse possemus.*

497. Quæri hic potest: Quando SS. Patres intelligendi sunt loqui universaliter, negativè, vel universaliter affirmativè, sine ulla exceptione, vel limitatione? Re-

 spon-

spondeo: Quando contrarium colligi non potest, vel ex fide, vel ex eorum textibus, vel ex ratione intrinseca. Idem dicendum de S. Scriptura.

ARTICVLVS XXXIV.

498. *Nulla perfectio positiva tribuenda est enti, absq; positivo fundamento.* Suppono 1mo. Perfectio positiva duplex cogitari potest: alia indistincta à pura capacitate, seu aptitudine ad aliquid, alia distincta ab eadem capacitate. Perfectio contradistincta à pura capacitate, est illa: quam res jam actu habet, & quæ actu rei competit, & talis perfectio hominis est, quòd sit animal rationale, vivens, sensitivum &c. Perfectio indistincta à pura capacitate, est illa, quam res non habet actu, capax tamen est, ut illam habeat, & talis perfectio hominis, est v.g: elevabilitas ad videndum beatificè DEUM, & ad producendum aliquid instrumentaliter, cum auxilio DEI. Suppono 2do: Fundamentum alicujus rei, vel sententiæ duplex cogitari potest: aliud positivum, aliud negativum: Fundamentum positivum est: quando alicujus sententiæ datur ratio ex natura, vel proprietatibus ejusdem rei; fundamentum negativum est: quando alicujus sententiæ datur ratio non ex natura, vel proprietatibus rei, sed ex nullitate repugnantiæ, vel necessitatis, vel fundamenti, vel congruentiæ. Hoc fundamentum negativum solet sic exprimi: Nulla est implicantia, nulla necessitas, nulla convictiva ratio, &c. His præmissis.

499. Dico Principium præfatum sic est limitandū. Nulla perfectio positiva, *contradistincta à pura capacitate,* tribuenda est enti, absq; positivo fundamento: perfectio tamen positiva, *indistincta à pura capacitate*, tribui potest enti, absq; positivo fundamento. Prima pars est certa apud omnes.

2da

ada probatur. Multæ perfectiones consistentes in pura capacitate, seu indistinctæ à pura capacitate, tribuuntur entibus, absq; positivo fundamento. Ergo &c. Probatur Antecedens. Materiam primam posse existere, absq; omni forma substantiali, unum idemq; corpus, posse existere in multis locis simul, item naturam creatam posse elevari, ad aliquos effectus sibi naturaliter indebitos, sunt perfectiones positivæ, consistentes in pura capacitate, seu indistinctæ à pura capacitate, ut certum omnibus. Sed hæ tribuuntur entibus, absq; positivo fundamento. Ergo &c. Major patet, minor probatur. Quando prædictæ perfectiones in pura capacitate consistentes, tribuuntur entibus, nullum pro illis datur fundamentum positivum, sed tantùm negativum, seu ratio illa negativa: *Nulla est implicantia, nulla repugnantia, nulla contradictio.* Ergo &c.

500. *Nemo dat, quod non habet.* Hac voce: *Nemo*, intelligitur *nulla causa*, acsi dicatur: *Nulla causa dat, quod non habet.* Hîc ergo discurrendum restat, utrum verum sit, quòd nulla absolutè causa, det id, quod non habet? seu an detur aliqua causa talis, quæ licèt aliquam, denominationem, vel prædicatum non habeat, tamen illud alteri tribuere possit. His præmissis.

501. Dico: Dantur aliquæ causæ tales, quæ licèt aliquam denominationem non habeant, tamen eandem possunt tribuere alteri. Probatur inductione. Pura condonatio extrinseca, si hæc daretur (sicut est possibilis in alia providentia juxta multos) esset causa extrinseca, vi cujus homo denominaretur donatus peccatô, liber, & immunis à peccato commisso, neq; tamen ipsa condonatio extrinseca, habet, vel haberet hanc denominationem, quòd sit donata peccatô, vel libera, immunisq; à peccato commisso, quia pura condonatio extrinseca, nullum peccatũ commisit. Vestis *vg:* est causa extrinseca, à qua homo deno-

denominatur vestitus, neq; tamen ipsa vestis denominatur vestita. Penicillus est causa instrumentalis, à qua denominatur homo pictus, ipse tamen penicillus non est pictus. Securis est pariter causa instrumentalis, à qua lignum denominatur scissum, neq; tamen ipsa securis denominatur scissa: & sic de alijs causis extrinsecis instrumentalibus: imò & de formalibus intrinsecis. Sic gratia sanctificans, infusa animæ contritæ, facit eam Amicam DEI, & Filiam adoptivam, neq; tamen ipsa gratia, denominatur Amica, vel Filia DEI, adoptiva. Deinde anima unita corpori, est causa formalis, vi cujus homo denominatur animatus, nequè tamen ipsa anima, denominatur animata, ab alia anima. Ad extremum materia prima recipiens formam, est causa materialis, vi cujus forma appellatur educta de potentia materiæ, neq; tamen ipsa materia educitur de aliqua potentia, alicujus materiæ. Ergo &c.

502. Dico 2do: Nulla causa adæquata, & principalis dat id, quod non habet, secus inadæquata. Ratio 1mæ partis est. Si causa adæquata principalis, daret effectui suo id, quod non haberet, tunc esset causa adæquata illius, ut supponitur, & non esset. Sed hoc implicat. Ergo &c. Probatur 2da pars majoris. Causa adæquata effectus, debet continere, vel formaliter, vel eminenter eundem effectum. Sed in data suppositione causa adæquata, non contineret tam formaliter, quàm eminenter effectum, quia daret id, quod ipsa non haberet. Ergo &c. Ratio 2dæ partis: Causa partialis, & inadæquata, potest cum alia causa inadæquata, producere talem effectum, cujus ipsa totalem perfectionem in se non continet. Sic voluntas nostra, producit cum gratia DEI, actus supernaturales, quamvis ipsa non sit ullatenus entitativè supernaturalis. Ergo &c.

ARTICVLVS XXXV.

503. NIhil agit ultra gradum perfectionis suæ. Aristotel: 7. Metaph: Agens duplex est, aliud, quod agit virtute propria, alind, quod agit virtute aliena, se elevante, vg Divina. Agens ergo virtute propria, nihil agit ultra gradum activitatis suæ, agens verò virtute Divina, agit ultra gradum activitatis suæ, seu perfectionis suæ: Sic vg: voluntas humana eliciens actus supernaturales, adjuta auxiliô, Divinô, agit ultra gradum perfectionis suæ.

504, *Non ens, non intelligitur* 1. Physico: sensus est: Non ens, non intelligitur, *ut existens, & reale*, intelligitur tamen, *ut non existens, & non reale*, certum enim est, quòd etiam non entia cognoscantur, & concipiantur à nostro intellectu.

505. *Numerus est infinitus, per additionem unitatum.* 3. Physic: Sensus est, quòd numerus possit fieri infinitus, si ei per infinitum addantur unitates.

506. *Nihil est in intellectu, quin potiùs fuerit in sensu.* 1. Physic: Sensus est: quòd omnis cognitio nostra de rebus sensibilibus, dependet à sensu hujus, vel alterius rei: non est autem verum, quòd omnis cognitio nostra, etiam de rebus insensibilibus, neq; sub sensum cadentibus, dependet à sensu nostro: quia DEUM, & Angelos cognoscimus, & tamen DEUM, & Angelos, sensibûs nostris non percipimus.

507. *Nullum complexum est definibile.* 1mo Top: Sensus est: Nullum complexum est strictè definibile, per genus proximum, & differentiam ultimam, est tamen definibile circumscriptivè, per definitiones conglobatas, & laxiores.

508. *Non contingit sensum decipi, circa proprium objectum.*

2do

2do de Anima. Sensus est: Non contingit ordinariè sensum decipi, circa proprium objectum, sæpe tamen contingit, quòd sensus decipiatur circa proprium objectum juxta illud: *Frons, oculi, vultus, persæpe mentiuntur.*

509. *Nulla bona definitio debet dari per opposita.* 5. Top: Est verum de definitione essentiali, non autem de descriptiva. Omnis enim definitio essentialis, debet competere suo definito: opposita autem definiti, non possunt competere eidem definito. Aliquando tamen contingit, quòd fiat definitio, etiam per opposita, sic natura definitur: quòd sit *principium motûs, & quietis.*

510. *Nil scitur, nisi verum.* 1. Post: Sensus est, quòd directè, & immediatè nihil scitur, nisi verum, sed aliquando scitur, etiam falsum, in hoc sensu, quod sit, & infallibiliter deducatur esse falsum.

511. *Necesse est in demonstratione, magis credere principijs, quàm conclusioni*; hoc est, credibilitatem vel scientiam præmissarum, esse majoris credibilitatis, quàm scientiam suæ conclusionis. 1. Poster: 2do. Hoc axioma aliqui sequuntur; alij contradicunt, qui docent, quòd præmissæ non sint certiores, & evidentiores, sua conclusione.

512. *Nota per se, probari non possunt.* 2. Physic: Sensus est: Nota per se, probari non possunt, per rationes demonstrativas, & alia principia per se nota, quia sic fieret processus in infinitum, possunt tamen probari, deducendo adversarium ad absurda, & inconvenientia, quæ ipse supponitur non admittere.

513. *Notitia primorum principiorum, est nobis innata.* 1. Poster: Sensus est, quòd anima, & intellectus noster, habeat naturalem inclinationem ad assentiendum primis principijs, per se evidentibus, & ex ipsa terminorum recta perceptione.

514. *Nec materia est, nec forma est, sed totum compositum.* 7. Me-

7. Metaphyſ: Senſus eſt, quòd nec materia, nec forma exiſtat, *exiſtentiâ propriâ toti compoſito;* tamen tam materia, quàm forma exiſtit, *exiſtentiâ propriâ ſibi, tanquam partibus incompletis.* Porro exiſtentia propria toti compoſito, eſt illa, quâ idem compoſitum exiſtit, tanquam ſuppoſitum plenum, perfectum, & completum, talem autem exiſtentiam, tam materia, quàm forma non habet.

515. *Nil videtur, niſi color.* 2do de Anima. Senſus eſt: Primariò, nil videtur niſi color: Secundariò autem propter viſum colorem, videtur etiam objectum coloratũ.

516. *Non quodlibet, agit in quodlibet, non quodlibet, patitur à quolibet, nec quodlibet fit, à quolibet.* 1. Phyſic: tex: 45. Non tam eſt explicandum, quàm inductione illuſtrandum: conſtat enim, quòd non quælibet cauſa producit quemcunq; effectum, ſed tantùm ſibi proprium, & ad quem producendum, habet ſibi innatam virtutem; conſtat item, quòd non à qualibet cauſa, patiatur alia quæcunq; cauſa, quòd non à qualibet cauſa, fiat quodlibet ens: Solus enim DEUS Optimus, Maximus, eſt talis cauſa, à qua ſunt creatæ omnes aliæ cauſæ.

517. *Nobiliora ſunt, quæ paucioribus indigent.* 1. Cæli. Non eſt univerſaliter verum, quia muſca paucioribus indiget, quàm homo, & tamen muſca non eſt nobilior homine. Valet tamen in multis, ſi ſint cætera paria: Sic *vg:* in ſtatu regulari, nobiliores, & perfectiores ſunt illi Religioſi, qui paucioribûs indigent.

ARTICVLVS XXXVI.

518. OMne *objectum cognitionis, præſupponitur ad cognitionem.* Ita Sanctus Auguſtinus lib: 4. in Geneſim ad Lit: cap: 32. ubi inquit: *Neq; enim cognitio fieri poteſt, niſi cognoſcenda præcedant* &c. Et inferiùs inquit:

quit: *Quam notitiam ſanè præcedebant, quæ fiebant, quia præcedit cognitionem, quidquid cognoſci poteſt. Niſi enim prius ſit, quod cognoſcatur, cognoſci non poteſt*. Ratio eſt: Sicut enim viſus requirit objectum videndi, ita cognitio requirit objectum cognoſcendi, & ſicut potentia viſiva non poteſt videre objectum, niſi illud exiſtat in rerum natura, ita cognitio non poteſt ferri in objectum, ſi illud nullo modo exiſtat, etiam repræſentativè, & ex modo noſtro concipiendi, ſeu intentionaliter.

519. *Omne, quod intelligitur, intelligentis comprehenſione finitur*. Ita S. Auguſtinus libr: 83. quæſt: 15. Hoc axioma S. Thomas 2da 2dæ, quæſt: 8. Art: 2. ad 1mum explicat, & dicit verum eſſe de ijs, quæ perfectè cognoſcuntur, & quæ cognoſcuntur quò ad omnem cognoſcibilitatem: Secùs verò, ſi imperfectè cognoſcantur: nam DEUS intelligitur à Beatis, non tamen eorum comprehenſione finitur: igitur valet tantùm, quando cognitio eſt adæquata. Poteſt etiam ſic explicari: Omne, quod intelligitur, intelligentis comprehenſione finitur, *ſi ſit finitum*: ſi autem ſit *Infinitum ſimpliciter*, tunc intelligentis comprehenſione non finitur: noſtra enim comprehenſio creata non habet tantam activitatem, & virtutem, ut objectum infinitum ſimpliciter finiat, ſeu reddat finitum etiam in cognoſcendo.

520. *Ordo eſt parium, diſpariumq; rerum, ſua cuiq; loca tribuens diſpoſitio*. Ita loquitur S. Auguſtinus libr: 19. de Civitate DEI, Cap: 13. Senſus eſt, quòd ordo reperiatur inter res pares, & diſpares, vigore cujus ordinis, ſuus cuiq; tribuitur locus, & gradus. Hoc dictum explicans Henricus in Summ: Art: 52. quæſt: 1. in reſponſione ad primum notat, S. Auguſtinum loqui de ordine, qui eſt in rebus corporalibus: ſed mihi id non probatur, quia non tantùm in corporalibus, ſed etiam in ſpiritualibus ordo ſervatur, & talis eſt inter Angelos, quorum ſunt mul-

ti ordines, ut constat ex Sacra Scriptura. 2do: Idem Henricus monet, quòd in corporibus ordo non est, nisi disparium: si autem est parium, tunc hoc non est secundùm rationem, quâ paria sunt, sed largè sumendo paritatem, & imparitatem, pro quacunq; diversitate, vel dissimilitudine. Cæterùm & hoc videtur non subsistere, quia duo oculi unius hominis, vel bruti, sunt sibi pares, & tamen inter illos, est ordo naturalis. Similiter dici potest de ambabus manibus, vel duobus pedibus hominis.

521. *Objectum cognoscibile, proportionatur virtuti cognoscitivæ.* Habet id axioma S. Thomas 1. parte, quæst: 85. Art: 1. in C. Quod sic limitandum videtur: Objectum cognoscibile naturaliter, proportionatur virtuti cognoscitivæ: non autem objectum cognoscibile supernaturaliter, vel notum ex sola fide: & sic Mysterium Trinitatis, & Incarnationis, non proportionatur virtuti cognoscitivæ naturali: vel si ibi est aliqua proportio, illa est valde remota, quia Mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis, excedit omnem intellectum, & omnem virtutem cognoscitivam naturalem, tantumq; ex fidei lumine cognosci potest.

522. *Quod cognoscitur in communi tantùm, non perfectè cognoscitur.* Habetur apud S. Thomam 1. contra gentes, cap: 5. Sensus est: quod cognoscitur, sub generalibus, & universalibus terminis, illud non discretè, & expressè cognoscitur.

523. *Cognitum est in cognoscente, secundũ modum cognoscentis.* Est S. Thomæ in 1ma parte, quæst: 12. Art: 4to in corpore. Quod sic intelligendum est: cognitum est in cognoscente intentionaliter, per rationem, & repræsentativè, non autem entitativè, & Physicè.

524. *Quantò aliquid est magis remotum à cognoscente, tantò minùs subjacet cognitioni ejus.* Habetur apud S. Thomã

 2. sen-

2. senten: distin: 4ta quæst: 1. Art: 2do. Est verissimum, & ratio est, quia sicut à potentia visiva, quantò est magis remotum objectum, tantò minus subjacet potentiæ visivæ, ita dicendum de objecto cognitionis. Ratio 2da est: quia Mysterium SS. Trinitatis, quantò magis est remotum à cognoscente naturaliter, tantò minus subjacet cognitioni naturali.

525. *Omne, quod est, unum est.* Principium hoc habet fundamentum in doctrina S. Augustini, qui libr: 2do de moribus Manichæorum, cap: 6. inquit: *Nihil est esse, quàm unum esse. Itaq; inquantum quodq; unitatem adipiscitur, intantum est: unitas enim, est operatio, convenientia, quæ sunt inquantum sunt, eaq; composita sunt, nam simplicia per se sunt, quia una sunt, quæ autem non sunt simplicia, concordiâ partium imitantur unitatem, & intantum sunt, inquantum assequuntur.* Et libr: de vera Religione. Cap: 23. inquit: *Quis non videat, neq; ullam speciem, neq; ullum omnino esse corpus, quod non habeat unitatis, qualecunq; vestigium.* His præmissis: Dicendum, quòd præfati principij sensus, sit hic: Omne, quod est, unum est, unitate transcendentali. Ratio est: quia unitas transcendentalis, est indivisio entis, in se ipsum, & divisio ab omni alio. Sed omne, quod est, defacto est, indivisum in se, & divisum ab omni alio. Ergo &c.

526. *Omne, quod est, verum est.* Pariter principium istud, habet fundamentum in doctrina S. Augustini, qui libr: 7. Confessionum, cap. 15. inquit: *Omnia, vera sunt, inquantum sunt.* Et libr. de vera Religione cap: 34. *Omne corpus, verum corpus est.* Et libr: 2do Soliloquior: cap: 5. *Lapis non est, si verum non est.* Item: *Si dicis nihil esse verum per se, non times, ne sequatur, ut nihil sit per se. Unde enim lignum est hoc, inde etiam verum lignum est.* His præmissis: Dicendum, quòd sensus præfati principij, sit hic: Omne quod est, verum est, *veritate transcendentali.* Ratio est;

Veri-

Veritas transcendentalis, est ratio, vi cujus ens, est in se ipso, & quo ad se ipsum ens. Sed talis veritas, competit cuilibet enti. Ergo &c.

527. *Omne, quod est, bonum est.* Principium istud habet etiam fundamentum in doctrina S. Augustini, qui libr: 1. contra Julianum in appendice, Tom: 7. inquit: *Omnis natura, inquantum natura est, bona est.* Et libr: 2. Confess: cap: 12. *Quod non est bonum, non est: si omni bonô privabuntur, omnino nulla erunt.* Et libr: 12. de Civitate DEI, cap: 5. *Omnis natura, inquantum natura, bona est.* His præmissis: Dicendum, quòd præfati principij sensus, est hic: Omne, quod est, bonum est, bonitate transcendentali. Ratio est: Bonitas transcendentalis consistit in eo, quòd res sit, & existat, sed cuilibet rei existenti competit talis bonitas. Ergo &c.

ARTICVLVS XXXVII.

528. O*Mne, quod est, quando est, necesse est esse, & omne, quod non est, quando non est, necesse est non esse.* Aristotel: 1mo Perihermenias. Necesse, seu necessarium duplex est: aliud necessarium necessitate antecedente, aliud necessarium necessitate consequente: Necessarium necessitate antecedente, est actus ille, qui non potest, non esse ideo, quia pro priori ad illum ex parte actus primi, ponitur, aliquid connexum essentialiter cum illo, quod non est in potestate principij ponentis actum: sic *vg:* lignum applicatum passo ustibili, & non impeditum à DEO, necesse est urere: & quidem necesse, necessitate antecedente ustionem, & determinationem, quia ustio ignis non potest non esse, sed omnino debet esse, propter connexionem decreti Divini efficacis, accomodantis se efficaciter exigentiæ ignis applicati, quæ exigit ustionem, hoc autem

autem decretum, est unum ex requisitis essentialibus, ex parte actus primi ad ustionem. Necessarium ex suppositione, vel determinatione, ac necessitate consequente est, quod non potest non esse ideo, quia supponitur illud esse ipsum, seu, quia supponitur esse aliquid tale, quod ad illud consequitur, & sine illo esse non potest: sic vg: dum Petrus actu sedet, necessario sedet necessitate consequente, seu supposito, quòd sedet, non potest non sedere, sed omnino debet sedere, quàmdiu sedet, quia non potest cum sessione, componere non sessionem, adeoq; si jam supponitur sedere, ex libera determinatione sua, tunc necessario sedet, in sensu composito sessionis, quia in sensu composito sessionis, non potest sedere, & non sedere simul. His præmissis: Constat sensus præfati principij, nempe sensus est hic: Omne quod est, quando est, necesse est esse, *necessitate consequente*, non autem *necessitate semper antecedente*. Similiter intelligenda altera pars principij superiùs allati. Ratio patet ex definitione necessitatis consequentis, & Antecedentis. Breviùs loquendo sic potest explicari: Omne, quod est, quando est, necesse est esse, *in sensu composito essendi, non autem in sensu diviso.*

529. *Omne constitutivum, est distinctivum.* Principium istud non subsistit, si procedat de distinctivo specifico, & discriminativo unius rei ab altera: hoc est, si sensus illius sit: Omne constitutivum est distinctivum specificè, unius rei ab altera: Verum autem est, si procedat de constitutivo, habente se per modum partis formalis, ita ut sensus illius sit: *Omne constitutivum, habens se per modum partis formalis, in aliqua essentia, aut toto, est distinctivum specificè unius rei, ab alia.*

530. Ratio primæ partis est: Defacto dantur multa talia constitutiva rerum, vel essentiarum, quæ tamen non distinguunt specificè, unam rem, ab altera. Ergo non

omne

omne constitutivum, est distinctivum specificè. Probatur Antecedens. Animal est *vg:* constitutivum Metaphysicum essentiæ, tam humanæ, quàm bovinæ, habens se per modum partis materialis, & tamen per animal, homo non distinguitur specificè à brutis. Similiter materia prima, in omni toto, seu composito physico, est constitutivum physicum ejusdem compositi, habens se pariter, per modum partis materialis, in eodem composito, & tamen per eandem materiam primam, non distinguitur specificè, unum compositum, ab altero composito. Ergo &c.

531. Ratio 2dæ partis est: Totum seu compositum est duplex, unum Metaphysicum, aliud Physicum. Sed constitutivum tam totius Metaphysici, quàm physici, habens se per modum partis formalis, est ratio sufficiens, vi cujus una res, distinguitur specificè ab altera. Ergo &c. Probatur minor, quo ad primam partem. Constitutivum totius Metaphysici, habens se per modum partis formalis, est differentia ultima rei (sicut constitutivum totius Metaphysici, habens se per modum partis materialis, est genus rei: totum autem Metaphysicum, nihil aliud est, nisi conceptus metaphysicus, seu definitio rei, constans genere proximo, & differentia ultima) Sed differentia ultima rei, est ratio sufficiens, vi cujus una res distinguitur specie ab altera, quia differentia ultima rei, est tale prædicatum, per quod res differt specie, ab omni non illa. Ergo &c.

532. Probatur minor quo ad secundam partem. Constitutivum totius seu compositi physici, habens se per modum partis materialis, est ipsa materia prima, jam autem constitutivum, ejusdem compositi, habens se per modum partis formalis, est ipsa forma physica ejusdem compositi, sic *vg:* in homine, tale constitutivum, est anima rationalis. Sed forma physica compositi, est ratio sufficiens, ut

unum

unum distinguatur specie physica ab altero: non potest enim ostendi, per quidnam aliud, composita physica differunt, specie physica inter se, nisi per formam physicam, diversam specie, ab altera forma physica, per quid enim? Ergo &c.

533. Addo. Si præfatum principium procederet de distinctivo materiali, & physico, hoc est, si significat unum constitutivum distingui realiter ab altero, ratione suæ ipsius entitatis, tunc verum est de omni constitutivo physico, sive illud se habeat per modum partis formalis, sive per modum partis materialis. Ratio est, quia omne, quodlibet ens, distinguitur realiter ab altero, per suam ipsius entitatem, & omni enti identificatur sua distinctio, ut communiter docetur in Logica.

534. *Quo solò per possibile, vel impossibile ablato perit res, illud est constitutivum rei.* Hæc definitio constitutivi habebatur pro certa, sed qui admittunt connotata, absolutè illam negant: quia ablatò per possibile, vel impossibile solò connotatò rei, seu requisito essentiali, perit res, & tamen connotatum, seu requisitum essentiale, non est constitutivum rei.

535. *Omne, quod movetur, ab alio movetur.* Principium istud est Aristotelis, & D. Thomæ. Aristoteles enim volens probare existentiam causæ primæ, sic inquit: *Necesse est omne, quod movetur, ab alio moveri.* Pariter S. Thomas 1. part: quæst: 2. Artic: 3. inquit: *Impossibile est ergo, quod secundùm idem, & eodem modo, aliquid sit movens, & motum, & quod moveat se ipsum, omne enim quod movetur, oportet ab alio moveri.*

536. Dico 1mo, ex ista propositione: *Omne, quod movetur, ab alio movetur*: non rectè infertur Prædeterminatio physica. Probatur. Ex motione ut sic, seu ex motione generica, ac indefinita, non rectè infertur motio, seu

præ-

præmotio, vel prædeterminatio in specie talis, ac determinata. Sed in hoc principio, loquitur Aristoteles, & S. Thomas de motione ut sic, seu de motione generica, ac indefinita; motio autem, seu prædeterminatio physica, est motio in specie talis, Ergo &c. Major constat, quia à genere ad speciem, non valet consequentia. Minor etiam patet, quia in prædicto principio, neq; Aristoteles, neq; S. Thomas determinat motionem, in specie talem, sed genericè, indefinitè, ac irrestrictè, loquitur: *Omne, quod movetur, ab alio movetur.* Neq; omne, quod movetur Physicè ab alio, eo ipso movetur prædeterminativè, adeoq; in prædicto principio ly *movetur*, ly *moveri*, sunt termini generici, consequenter ex illis non possunt inferri termini specifici.

537. Dico 3tio. Principium prædictum verum est, si per motionem istam, intelligatur concursus generalis DEI, vi cujus DEUS concurrit ad omnem actum, & operationem causarum secundarum: in hac enim acceptione præfati principij, sensus est hic: *Omne, quod movetur, movetur, seu juvatur ab alio, nempe DEO.* Sine quo creatura non potest prodire in actum, si DEUS suum concursum generalem substrahat juxta illud: *Sine me, nihil potestis facere.*

ARTICVLVS XXXVIII.

538. OMne nolle, præsupponit aliquod velle. Præsuppono, postquam Subtilissimus Scotus proposuerit sibi quæstionem, Utrùm peccatum primum Angeli, formaliter fuit superbia? multa circa hoc adfert n̄ro 1mo, & 2do, tandem n̄ro 3tio, ad meliorem, & firmiorem decisionem quæstionis propositæ, concludit, quòd duplex sit actus voluntatis, scilicet velle, & nolle. Nolle est actus positivus voluntatis, quô fugit objectum dis-

conveniens, seu resilit, ab objecto disconveniente. Vel-
le est actus pariter positivus, quô acceptat objectum ali-
quod conveniens. Hoc ipsum velle juxta eundem Sco-
tum duplex est, aliud amicitiæ, aliud concupiscentiæ.
Velle concupiscentiæ, & ipsius objecti, quod volo alicui
alij amato. Velle amicitiæ est ipsius objecti, cui volo bo-
num. Posita hac divisione actuum voluntatis, supra ci-
tatus Doctor, deinde immediatè subjungit, & docet, quòd
primus actus voluntatis, debeat esse non alius, nisi velle,
& quòd, omne nolle, præsupponit velle, seu quòd prius
à voluntate, debeat elici velle, circa aliquod objectum,
tum deinde nolle. Et hanc doctrinam in 2. distinct: cap:
9. nro 2do probat expressè, & præmittit hoc fine, tan-
quam fundamentum, ut postea resolvat, quale fuerit pec-
catum Angeli, an velle? an nolle? consequenter an lu-
xuria spiritualis, seu philaucia? an superbia? Quoniam
autem hanc doctrinam universaliter tradit, dicit enim
hîs terminîs: *Omne nolle præsupponit aliquod velle*, ideo hîc
dicendum, utrùm hæc propositio, mereatur nomen pro-
positionis universalis, aut principij; His præmissis.

539. Dico: Non omne nolle, præsupponit aliquod
velle. Probatur. Si omne nolle, præsupponeret aliquod
velle, tunc voluntas nostra, non posset unquam elicere nol-
le, nisi prius eliciat velle. Sed hoc dici non potest. Er-
go &c. Probatur minor: Voluntas nostra æqualiter est
libera, tam ad velle, quàm ad nolle. Sed si non posset
priùs ponere nolle, sed omnino velle, tunc non esset æ-
qualiter libera, tam ad nolle, quàm ad velle. Ergo &c.
Probatur minor. In data suppositione voluntas nostra
non esset libera ad velle. Ergo &c. Probatur Antece-
dens. In data suppositione, voluntas deberet ponere hunc
omnino determinatè actum, nempe velle, non posset au-
tem ponere primò nolle. Ergo &c. Antecedens certum

est

eſt apud oppoſitos. Conſequentia probatur. Univerſaliter illa potentia non eſt libera, ad illum actum, quæ hunc determinatè actum, debet primò ponere, & non habet poteſtatem, alium primò ponendi. Sed in dato caſu, voluntas deberet hunc determinatè actum ponere, nempe velle, non poſſet autem primò ponere alium, *vg:* nolle. Ergo &c. Minor certa, Major patet inductione. Si *vg:* Petrus vellet primò audire Miſſæ Sacrificium, tum deinde prandere, tandem Tyrannus superveniens, impediret illum, omnino ab audiendo Sacrificio, & determinaret omnino ad priùs prandendum, tunc defacto illa non auditio, ſeu omiſſio Miſſæ, non eſſet libera Petro, quò ad prioritatem, & ſic de alijs inſtantijs. Ergo &c.

540. Probatur 2do. Ab everſione fundamenti. Ideo omne nolle, præſupponeret aliquod velle, quia à nulla re, refugimus, niſi, quia non poteſt ſtare cum aliquo, quod acceptamus, tanquam conveniens, ut expreſsè docet ſubtilis Scotus. Sed hæc ratio non ſubſiſtit. Ergo &c. Probatur cauſalis verbîs ipſius Subtiliſſimi Scoti dicentis: *Iſtorum actuum patet ordo, quia omne nolle, præſupponit aliquod velle, à nullo enim refugio, niſi, quia non poteſt ſtare cum aliquo, quod accepto, tanquam conveniens: & hoc dicit Anſelmus, de caſu Diaboli, capitulo 3tio, ponens exemplum de avaro, nummo, & pane.* Hactenus Scotus.

541. Minor probatur. Defacto à multis rebus refugimus, & multas res cavemus, vitamus, & abhorremus, licèt illæ res, poſſint ſtare cum eo, quod acceptamus: ſic *vg:* Multa peccata venialia (imò & unum) refugimus, cavemus, vitamus, & abhorremus, licèt illa poſſint ſtare cum eo, quod acceptamus, nempe cum gratia ſanctificante. Pariter multi refugimus divitias, & honores, licèt divitiæ, & honores poſſint ſtare cum eo, quod acceptamus, nempe cum ſalute animæ noſtræ: multi enim

divitias, & honores habuerunt, & tamen salutem animæ, cum divitijs, & honoribus obtinuerunt. Pariter multi refugimus conversationem hominum, licèt illa possit stare cum eo, quod acceptamus, nempe cum amicitia, & benevolentia hominum, & sic de alijs. Ergo non ideo aliquid præcisè refugimus, quia illud non potest stare cum eo, quod acceptamus, sed vel ideo, vel propter alias rationes.

542. Quoniam ergo Subtilissimus Scotus, loco citato docet, quòd ab omni re, non alia ratione refugimus, nisi, quia non potest stare cum aliquo, quod acceptamus. Ideo prædicta causalis, & doctrina, subsistere non potest, siquidem ultra dicta, possumus refugere, vitare, & cavere aliquid, propter multas alias causas, & sic primò refugimus peccatum mortale, ideo, quia hoc DEUS fugiendum, & cavendum præcepit. 2do. Quia peccatum mortale, vitam animæ aufert, mortem infert, infernum causat, à Cælo separat. 3tio. *vg*: ideo, quia peccatum mortale conscientiam affligit, pacem internam tollit, & ad alia peccata disponit. 4to. Quia peccatum mortale est ex natura sua turpe, & abominabile. 5to. Possumus etiam peccatum mortale refugere ideo, quia illud non potest stare cum eo, quod acceptamus, nempe cum gratia sanctificante: sed quòd illud propter hanc solam rationem refugiamus, hoc nunquam verum est: siquidem voluntas, potest ab aliquo abjecto refugere, etiamsi nullam aliam rationem habeat, nisi hanc, ut exerceat libertatem suam, utq; apud illam stet, pro ratione voluntas.

543. Confirmatur. Motivum formale quô afficitur voluntas ad velle hoc *vg*: objectum, est ratio boni in eodem objecto: Motivum formale, quo trahitur voluntas ad nolle, hoc *vg*: objectum, est ratio mali in eodem objecto. Sed voluntati potest priùs repræsentari in objecto ratio mali, quàm ratio boni, quæ enim in hoc implicantia? ergo

ergo voluntas poteſt priùs nolle malum, quam velle bonum. Ergo in dato caſu, eſt prius nolle, quàm velle. Ergo non eſt univerſaliter verum, quòd omne nolle, præſupponit aliquod velle. Iſta ergo propoſitio. *Omne nolle, præſupponit aliquod velle*: ad ſummum tunc vera eſt, quando voluntati repræſentatur in objecto priùs ratio boni, quàm mali: tunc enim voluntas habens repræſentatam ſibi primò rationem boni, poteſt etiam primò ponere velle, cæterùm non neceſſitatur, ut etiam tunc primò ponat velle, & deinde nolle, quando primò rationem boni repræſentatam habet, ſed poteſt illud pro ſua libertate omittere, & poſtmodum ponere nolle, ſi ei repræſentatur ratio mali in objecto.

ARTICVLVS XXXIX.

244. I*Llud eſt mirabilius, quod eſt potentius.* Ita S. Auguſtinus libr: 1. de Civitate DEI, cap: 14. ubi inquit: *Verum illud noſtrum de Jona Propheta incredibilius eſt: planè incredibilius, quia mirabilius, & mirabilius, quia potentius.* Senſus ergo præfati axiomatis poteſt eſſe hic: Illud eſt mirabilius, ad quod faciendum, vel producendum majori potentiâ vel extraordinariâ cauſa utitur. Hoc axiomate uſus eſt noſter Stanislaus à Łowicz, S. T. D. Conventus Gneſnenſis Præpoſitus, pro Immaculata Conceptione B. V. MARIÆ, dum in Enchiridio ſuo, Concione 1ma fol: 70. inquit: *Quando dixit: Beatus venter, à parte totum intelligere debemus, ut totam Virginem Beatam, Sanctam, mundam, Immaculatam, atq; ab omni prorſus peccato alienam credamus, nec unquam originali peccato conſpurcatam. Quoniam tota pulchra mirabili DEI potentia, facta eſt. Scripſit B. Auguſtinus libr: 1. de Civit: DEI, cap: 14.* Illud eſt mirabilius, quod eſt potentius. *Hic profectò magna potentia, etiam verò, & magnum miraculum.*

545. *In pœnis æternis, nunquam unus punitur pro alio.* Est S. Augustini. Verum est, quòd ibi unus non puniatur pro alio: tamen multi puniuntur pro alienis peccatis, quæ tenebantur impedire, & non impedierunt, vel peccati alieni, causa fuerunt.

546. *Potentia non indiget habitu, propter id, ad quod naturaliter est determinata.* Est apud S. Thomam in quæst: disputat: quæst: de fide, Art: 10. Hoc axioma constat inductione, quia omnes potentiæ quæ naturaliter determinatæ sunt, ad aliquid, non indigent habitu.

547. *Potentia, quæ ordinatur ad aliquod objectum, secundum communem rationem, non diversificatur, per differentias speciales, sub illa ratione communi contentas.* Est S. Thomæ 1. parte, quæst: 82. Art: 5, constat inductione; sic vg: potentia odorativa, non diversificatur per diversos odores, & potentia auditiva, per diversos sonos.

548. *Quælibet potentia delectatur naturaliter, in objecti convenientis consecutione.* Ita S. Thomas 1. Sentent: ad Hannibaldum, dist: 1. quæst: unica, Art: 1. ad 5tum. Ratio est, quia cuilibet potentiæ est connaturale delectari de suo fine, quem consequitur.

549. *Nihil subest alicui potentiæ, vel habitui, nisi mediante ratione formali objecti.* Ita S. Thomas 2da 2dæ, quæst: 1. Art: 3. in corpore. Ratio est, quia omnis potentia, respicit principaliter, rationem formalem sui objecti.

550. *Eadem est potentia contrariorum.* Est S. Thomæ 2. de Cælo, Lect: 1. Est verissimum de libera voluntate humana, quia hæc potest velle contraria: est item verissimum de materia prima, quæ est capax suscipiendi formas contrarias.

551. *Pura potentia nullum habet actum.* Propositio hæc habetur à multis per modum principij, usitaturq; ab illis in ordine ad hoc, quòd materia prima nullum omnino

no habeat actum. De hac propositione, ut aliquid proferamus, sciendum est, quod actus multiplex cogitari potest; alius Metaphysicus, alius Physicus seu informativus, alius entitativus. His præmissis, potest sic explicari.

552. Propositio hæc: *Potentia pura nullum habet actum*: vera est, si significet, quòd puræ potentiæ, nullus actus Physicus identificetur realiter, & quòd cum nullo actu connectatur Physicè, aut Metaphysicè determinatè: falsa autem est, si significet, quòd pura potentia, nullum habeat actum etiam Metaphysicum, aut entitativum.

553. Prima pars probatione non indiget, quia certum est apud omnes, quòd nullus actus Physicus, seu nulla forma substantialis physica, identificetur realiter materiæ primæ, certum item est, quòd materia prima, cum nullo actu physico connectatur physicè, aut metaphysicè, sed quantùm de se indifferens est, ad hunc vel illum actum Physicum. Ergo &c.

554. Probatur 2da pars. Actus Metaphysicus materiæ primæ, nihil aliud est, nisi ipsa differentia rei, seu prædicatum, per quod specificè differt materia à forma. Sed materia prima habet suam differentiam. Ergo &c.

555. Probatur 3tia pars. Actus entitativus materiæ primæ, nihil aliud est, nisi ipsa existentia materiæ primæ. Sed materia prima, habet propriam existentiam, distinctam, ab existentia formæ. Ergo. Minor probatur. Quæ producuntur distinctis actionibus, etiam distinctas habent existentias, nam distincta actio ordinatur, & terminatur ad distinctum terminum, seu effectum. Sed materia, & forma producuntur distinctis actionibus. Ergo &c. Minor probatur. Materia prima producta est per creationem, formæ verò materiales producuntur per generationem. Ergo &c.

556. *Potentia superior potest, quidquid potest inferior, &* *nobi-*

nobiliori modo. Aristotel: 3. da anima. Axioma istud verum est de causa prima in genere causæ efficientis, quæ id totũ potest (excepto peccato) quidquid causa secunda potest, concurritq; ad omnem effectum creaturarum. Verum item est de omni Magistro, respectu cujuscunq; discipuli sui; Magister enim totum id potest, quidquid discipulus, & quidem nobiliori, perfectiori, & exactiori modo. Tandẽ verũ est, de potentijs ejusdem generis in substantialitate: in his autem, quæ sunt diversi generis in substantialitate, non valet prædictum axioma: sic *vg:* Anima quamvis sit potentia superior, quàm corpus, tamen non potest supplere vicem corporis in composito, & forma quamvis sit superior potentia, quàm materia, tamen non potest supplere rationem materiæ, in eodem composito.

557. *Potentia opponitur actui.* Aristotel: 9. Metaph: & 1. de anima. Sensus est; Potentia ita opponitur actui, ut cum suo actu possit unum idemq; compositum efficere, non autem ita, ut potentia excludat suum actum, ut patet in composito humano, ubi materia prima est potentia, forma substantialis est actus, & tamen ex potentia & actu fit compositum. Potentia ergo & actus opponuntur sibi relativè, inquantum potentia habet relationem ad actum, & actus ad potentiam.

558. *Potentia sensitiva contrariatur actui.* Sensus est: Potentia sensitiva habet inclinationem ad resistendum rectæ rationi, interim tamen intellectus prudens, vìncit istam inclinationem, & potentiam sensitivam, subditq; suo imperio: Unde fit, quòd tam potentia sensitiva, quàm intellectus, tendunt ad unum, idemq; bonum.

559. *Particularis in materia naturali, æquipollet suæ universali.* 1. Periphermenias. Propositio duplex est: alia in materia necessaria, alia in materia contingenti. Propositio argo particularis in materia necessaria, æquipollet suæ uni-

universali: *vg*: ista propositio particularis: *Homo est rationalis*: æquipollet isti: *Omnis homo est rationalis*. Aliter dicendum de propositionibus in materia contingenti. Sic *vg*: ista propositio: *Homo est doctus*: non æquipollet isti: *Omnis homo est doctus*.

560. *Proprium est substantiæ, in subjecto non esse*. Ita Philosophus in prædicamentis. Axioma hoc explicatione non indiget, sed tantùm ratio datur, quia substantia, est ens per se stans. Ergo non requiritur ut sit, & subjectetur in alio subjecto. Deinde sicut proprium est accidentium, esse in aliquo subjecto, & naturaliter non possunt existere sine subjecto, ita pariter proprium est substantiæ, ut non sit in aliquo subjecto.

561. *Positâ formâ substantiali, ponitur etiam aliud, cujus est forma substantialis*. 5. Metaph: Sensus est: Positâ formâ substantiali, in materia prima, cum omnibus requisitis, ponitur etiam aliud, nempe compositum, cujus est forma substantialis: positâ autem formâ substantiali, extra materiam, non ponitur compositum, cujus est forma. Sic in Cælo plurimæ dantur formæ, nempe animæ Beatorum, & tamen ibi non dantur composita humana.

ARTICVLVS XL.

562. *QVodlibet est, vel non est*. Sensus est: cuilibet Enti competit tantùm esse, aut tantùm non esse: non competit autem simul esse, & non esse. Unde istud axioma coincidit cum illo: *Impossibile est idem simul esse, & non esse*.

563. *Quantò magis potentia passiva distat ab actu, tantò major debet esse potentia activa, potens producere aliquid ex ea potentia passiva*. Est S. Thomæ 1ma part: quæst: 45. Artic: 5. ad 3tium. Videtur esse verum, quia

quantò magis lignum humidum distat à calore, tantò major requiritur calor, seu ignis, ad illud comburendum. Cæterùm non est universale, quia *vg*: Petrus inhabituatus in ebrietate, magis distat a sobrietate, quàm Paulus non ita, inhabituatus, & tamen uterq; potest eâdem potentiâ activâ abstinere ab ebrietate, & exercere sobrietatem. Unde præfatum axioma sic limitari potest. Quò magis potentia passiva distat ab actu, eò major Geòmetricè, non autem Arithmeticè, debet esse potentia activa.

564. *Quò perfectior est actus, eò perfectiorem exigit potentiam.* Habet fundamentum in Aristotele Metapys: 9. qui docet actum *substantiâ, & perfectione priorem esse.* Cæterùm non est universale, quia si agatur de potentia passiva, tunc actus seu forma physica, non requirit perfectiorem potentiam: sic anima rationalis est actus perfectior, quàm anima irrationalis, & tamen perfectiorem potentiam passivam non exigit, siquidem tam anima rationalis, quàm irrationalis exigit potentiam passivam, materiam primam, quæ in omnibus compositis est ejusdem speciei. Si autem sermo sit, de potentia activa, producente suos actus, tunc certum est, quòd actus perfectior, perfectiorem exigit potentiam activam, sic *vg*: intellectio perfectiorem exigit potentiam, quàm sensatio cujuscunq; animalis irrationalis.

565. *Quò perfectior est potentia, eò perfectiores habet operationes.* Sic explicari potest: Quò perfectior est potentia eò *semper* habet perfectiores operationes. Negandum. Quò perfectior est potentia, eò perfectiores habet *aliquando* operationes. Concedendum. Ratio est, quia anima rationalis, est perfectior potentia, & tamen non semper perfectiores habet operationes, sed plerumq; habet operationes etiam imperfectas.

566. *Quò perfectius est objectum, eò perfectior est cognitio,*

possess-

possessioq; ipsius. Sic limitari potest. Quò perfectius est objectum, eò perfectior Arithmeticè est cognitio, possessioq; ipsius; negandum: eò perfectior est *Geòmetricè* cognitio, possessioq; ipsius; Concedendum. Ratio autem hujus, quòd cognitio objecti perfectioris, non sit *Arithmeticè* ita perfecta, sicut est ipsum objectum, est hæc: quia Visio beatifica est cognitio, & possessio DEI, simpliciter infiniti, & tamen ipsa Visio beatifica non est simpliciter infinita. Si autem loquamur de cognitione Divina, qua DEUS cognoscit Creaturas, aliquas perfectiores aliquas imperfectiores, tunc non quò est perfectior creatura, eò est perfectior cognitio DEI, quia omnis cognitio DEI, sive cognoscat objectum perfectius, sive imperfectius, est simpliciter perfecta, nequè datur majoritas, aut minoritas inter cognitiones Divinas.

567. *Quidquid ex ratione pluribus Communi dicitur de uno, ex illis pluribus, id ipsum debet dici de aliquo quovis, cui ratio hæc Communis est.* Hoc principium communiter accipitur, & intelligitur sine omni limitatione, & sic illustratur videlicet; Si quis negat Petrum existere, ex hac ratione, quòd mortuus sit, debet pariter negare Paulum existere, qui pariter mortuus est. Ratio hujus datur ex illo principio: *Dici de omni, est dici de aliquo.* Item: *dici de nullo, est dici de aliquo non.* Quidquid enim ex ratione communi dicitur de aliquo; dicitur, & dici debet de omnibus, & Singulis, sub tali ratione contentis, aliàs non ex ratione communi diceretur, aut illa ratio non esset sufficiens, ut ex illa de quopiam aliquid diceretur. Quidquid verò dicitur de omnibus, & singulis, sub ratione communi comprehensis, dicitur etiam, & dici debet, de uno quovis singulari, divisim accepto, adeoq; quod dicitur de uno, ex ratione communi, rectè dicitur, diciq; debet, & de altero, cui talis ratio communis est. Unde communiter censetur,

quòd huic principio infundetur ille argumentandi modus, qui dicitur: *Argumêntum ad hominem:* & retorſio argumenti in adverſarium, quæ tunc eſt, quando ſua ratione confutatur adverſarius, ejusq; aliqua ſententia oppugnatur, illa ratione, quâ ille in diverſa materia evincenda, contra nos utitur, vel quam ex quibusdam principijs admittere tenetur. Contrarium tenent alij Authores, & limitant iſtud Principium.

568. Qui tandem Authores præfatum principium ſine limitatione intelligunt, fundant in eo quæſtiones, quæ in Tractatu de Virtutibus Theologicis diſputari ſolent. Prima utrùm amor unius objecti, ſit eo ipſo amor omnium aliorum objectorum, ſub tali ratione, motivoq; communi contentorum? Item utrùm fides de uno objecto, ex ratione, motivoq; communi, ſit eo ipſo fides, omnium aliorum objectorum, ſub tali ratione, motivoq; communi contentorum? Tertia in Tractatu de Pænitentia: Utrùm contritio, ſeu dolor de uno peccato mortali, ex ratione, & motivo communi, ſit eo ipſo dolor ſaltem virtualis, de alijs mortalibus, ſub eadem ratione, & motivo communi contentis? Innixi itaq; præfato principio, communiter, reſolvunt, & docent, quòd implicet amor unius objecti, ex ratione, motivoq; communi, niſi ſimul ſit amor, & omnium aliorum objectorum, ſub eadem ratione communi contentorum: ſimiliter & de contritione concludunt: Unde juxta illos, qui amat *vg:* Petrum, ex hac ratione communi, quia Petrus ingenioſus eſt, neceſſariò debet amare, ſaltem virtualiter Paulum, ſi etiam Paulus ingenioſus eſt: pariter qui dolet de peccato mortali *vg:* ſuperbiæ, ideo quia DEUS bonus eſt, neceſſario ſaltem virtualiter debet, & de omnibus alijs peccatis dolere, ideo; quia DEUS bonus eſt; quia Bonitas Divina, eſt ſufficiens, commune, & adæquatum, motivum doloris, de omnibus pec-

peccatis, & omnia peccata, continentur ſub eodem motivo communi Bonitatis Divinæ. Quidquid autem quæri ſolet de amore, vel dolore, ex ratione communi, idem proportionatè quæri poteſt de omni alia virtute, *vg*: utrùm fides, ſpes, abſtinentia, mortificatio ex ratione communi, circa unum objectum, ſit eo ipſo fides, ſpes, abſtinentia mortificatio, ab omnibus alijs objectis ſub eadem ratione communi contentis? Quare ut hæ, & aliæ difficultates infallibiliter reſolvi poſſint, ſtatuendum eſt, utrùm præfatum principium, ſit omnino univerſale, & nulla inſtantia extra controverſiam tali infringibile. Hîs præmiſſis.

569. Dico: Principium præfatum explicandum hôc modô: Quidquid ex ratione pluribus communi, *connexa cum eo, pro cujus ratione datur, & nullatenus dependente, à libertate*, dicitur de uno, ex illis pluribus; id ipſum debet dici de alio quovis, cui hæc ratio connexa, & nullatenus dependens à libertate, communis eſt: Non tamen quidquid ex ratione pluribus communi, *non connexa, & dependente à libertate* dicitur de uno, ex illis id ipſum debet dici, de alio quovis, cui ratio non connexa, dependens à libertate, communis eſt. Similiter explicandum eſt, & illud alterum principium: *Omnia alia, quæ ſub rationem communem aliquam (ab quam unum verè affirmatur), cadunt æqualiter, vera ſunt æqualiter, adeoq; pariter affirmanda.*

570. Prima pars explicationis, certa eſt apud omnes, cæterùm claritatis gratiâ, non tam probatur, quàm illuſtratur: Petrus *vg*: Paulus, Andreas, Michàél, &c ſunt plura contenta ſub hac ratione communi *homo*: hæc ratio communis, ſcilicet eſſe hominis, eſt omnino independens à libertate, connectiturq; cum eſſe animalis rationalis, ita ut quidquid ſit homo, id omnino debeat eſſe animal rationale, ut certum eſt apud omnes. Quidquid ergo ex

præ-

prædicta ratione communi, dicitur *vg:* de Petro, contento sub eadem ratione communi, idem omnino debet dici, de Paulo, Andrea, Michàéle, & de reliquis omnibus. Unde si *vg:* affirmetur de Petro, quòd sit animal rationale, ex hac ratione communi, quia est homo, id omnino debet affirmari de Paulo, Andrea, & Michàéle, & cæteris, propter paritatem rationis.

571. Huic principio taliter intellecto infundantur syllogismi causales, quales sunt *vg:* isti: Ideo Petrus est animal rationale, quia est homo. Sed etiam Paulus est homo. Ergo etiam Paulus est animal rationale. Item: Ideo Paulus est risibilis, quia est homo, sed etiam Andreas est homo. Ergo etiam Andreas est risibilis. Hi, & omnes alij syllogismi causales sunt recti, sed in illis ratio communis pluribus, est connexa, & nullatenus dependens à libertate: ratio enim communis pluribus in prædictis syllogismis est: *Esse hominis*, esse autem hominis connectitur cum esse animalis rationalis, & cum esse risibilis, nec dependet à libertate, ut certum est.

572. Secunda pars explicationis illustratur. Petrus *vg:* & Paulus, & sic de alijs, sunt contenti sub ratione communi. *Doctus* vel *ingeniosus*, seu sub hac ratione, quòd Petrus sit *doctus*, vel *ingeniosus*, non enim solus Petrus, sed etiam multi alij, sunt, & possunt esse docti, vel ingeniosi: Unde ratio *docti, vel ingeniosi*, est ratio communis pluribus, ita sicut ratio hominis, ut jam supra ostendimus. Positô ergo, quòd tam Petrus, quàm Paulus sit *vg:* doctus, voluntas potest amare Petrum, ex hac ratione communi, quia est doctus, potest autem non amare Paulum, etiamsi Paulus pariter sit doctus. Ratio hujus, est libertas voluntatis creatæ, cui ex duobus objectis sibi æqualibus, placet unum eligere, & alterum reprobare, juxta illud: *Stat pro ratione voluntas.*

573.

573. Quod si quis dicat: Positô hôc, quòd Petrus sit animal rationale, ex hac ratione communi, quia est homo, debet omnino concedere, quòd etiam Paulus sit animal rationale, ex eadem ratione communi, quia est homo. Ergo positô hôc, quod voluntas amat Petrum, ideo, quia doctus est, debet etiam Paulum amare, si etiam Paulus pariter doctus est.

574. Respondeo concessô Antecedente. Nego Consequentiam. Disparitas est: ideo ille, qui concedit Petrum esse animal rationale, ex ratione communi, *quia est homo*, debet concedere, quòd pariter Paulus sit animal rationale, quia ratio hominis, connectitur cum animali rationali, & nullatenus dependet à libertate: Jam autem ratio docti, non connectitur cum amore voluntatis (potest enim aliquis esse doctus, & tamen à voluntate non amari) item ratio amoris, dependet à libertate voluntatis, sicut ratio docti à libertate *vg*: Petri, ut certum apud omnes.

ARTICVLVS XLI.

575. *QVò major est Persona offensa, eò major offensa.* Axioma hoc principaliter tribuitur D. Thomæ: prima autem semina, seu initia illius deducit R. P. Joannes de Ulloa, ex Aristotele 5. Ethicor: cap: 5. dicente: *Si is, qui Magistratum gerit, alium percutit, non est percutiendus: at si quis Magistratum percusserit, non solùm repercutiendus est, sed & suppliciò afficiendus.* In hoc axiomate explicando, duplex est Authorum sententia, prima DD. Thomistarum, qui docent absolutè, quòd quò major sit Persona offensa, eò major sit offensa: & quia Persona Divina est infinita simpliciter, ac dignitas, seu Majestas ejus, est simpliciter infinita, ideo etiam juxta illos peccatum, per quod

eadem

eadem Persona Divina offenditur, est infinitum simpliciter, in ratione offensæ. Secunda sententia docet idem axioma, non esse absolutè, & sine omni limitatione verum, sed in aliquo sensu verum, adeoq; limitandum, & explicandum. Limitatur ergo hôc modô: Quò major est Persona offensa, eò major est offensa, *major inquam est, proportione, & calculatione Geometrica, non autem Arithmetica*: hoc est: Quò major est persona offensa, eò major est offensa, majoritate non omnino exactâ, & tantâ, quantâ vg: est Persona offensa, sed majoritate minori, & inæquali: Unde licèt juxta hos Authores crescat offensa, ex dignitate, & majoritate Personæ offensæ, tamen non crescit omnino tantùm, quantùm crescit dignitas Personæ offensæ, sed nonnisi crescit proportionatè, & limitatè: consequenter licèt Persona Divina offensa, sit infinita simpliciter, tamen peccatum non est infinitum simpliciter, sed finitum. Et ita communiter docent plurimi Authores, quorum sententiam sequor.

576. *Quando sunt duo agentia, quorum unum est fortius, & alterum debilius, fortius producit citius suum effectum, quàm debilius.* Hoc axioma verum est, de agentibus sibi contrarijs, quorum unum resistit alteri, ipsa enim resistentia unius contrarij, contra alterum contrarium, causat retardationem, adeoq; quod agens est fortius, illud citiùs producit suum effectum. Quando autem prædicta duo agentia, non sunt sibi contraria, nec sibi resistunt, tunc possunt ambo simul, suum producere effectum: Sic vg: Duo corpora lucida, quorum unum est intensius altero, possunt ambo, in instanti suum producere lumen.

577. *Quidquid potest causa prima cum secunda, hoc potest se sola.* Author in libr: de Causis. Sensus est: Quidquid potest causa prima cum secunda, hoc potest se sola *in genere causæ efficientis, seu tanquam causa efficiens*, sed in genere

causæ

causæ formalis, vel materialis, non potest id totum facere: Causa enim prima, non potest esse causa formalis, vel materialis alicujus compositi, ut nemini dubium.

578. *Quæcunq; differunt genere, differunt numero, & specie.* 5. Metaphys: Sensus est, quæ diversa habent genera, illa sunt diversa numerô, & specie.

ARTICVLVS XIII.

579. *ID, quod est formale* (seu ratio formalis alicujus) *potius est, quàm materiale.* Ita S. Thomas 2da 2dæ, quæst: 9. Art: 2do ad 3tium. Ratio est, quia formale: seu ratio formalis entis, habet se per modum actûs, seu formæ. Materiale autem habet se per modum potentiæ seu materiæ: porro forma est potior, quàm materia. Sed in DEO istud axioma, non habet locum, quia ibi licèt sit ratio formalis constitutiva DEI, nihil tamen est materiale, vel potentiale.

580. *In unoquoq; principalius est id, quod est formale in ipso, quàm quod est materiale in eo.* Ita S. Thomas quæst: 26. de passionibus animæ Art: 2do. Hoc axioma coincidit cum præcedenti.

581. *Remoto formali cujuslibet rei, tollitur ipsa res.* Constat ex S. Thoma 3tia parte, quæst: 86. Art 4. Ratio est, quia ratio formalis rei, est essentialis eidem rei. Ergo si illa tollatur, tollitur & ipsa res.

582. *Quod convenit alicui per formalem rationem suam, convenit illi ubicunq; ponatur, sive in relativis, sive in absolutis.* Est Jòánnis Bacconis 1. senten, dist: 6. quæst: 1. Art: 3. Ratio est eadem quæ supra.

583. *Remotô priorî, removetur posterius.* Axioma hoc est Doctoris Angelici, illudq; sic explicari potest: Remotô priorî *prioritate temporis, dignitatis, vel etiam loci,* non

removetur posterius, remoto autem priori tali, *cum quo posterius connectitur Metaphysicè, vel Physicè, imò aliquando & moraliter*, removetur, & illud posterius, taliter connexum.

584. Ratio primæ partis est: Remoto Petro *vg:* hodie nato, non est necesse removeri Paulum cras nascendum. Remoto Episcopo, vel Rege per mortem, non est necesse removeri Capitulum, vel Senatum. Remoto pariter Andrea, tenente primum locum, non est necesse removeri Matthæum posteriori loco sedentem, & sic de alijs. Ergo remoto priori, prioritate temporis, dignitatis, vel loci, non est necesse removeri posterius.

585. Ratio 2dæ partis est: Connexio Metaphysica, imò etiam physica (supposito quòd non sit impedita) talis est naturæ, ut si extremum prius pereat, cum quo posterius prædictô modô connectitur, necessariò debet perire, & ipsum posterius, ut patet inductione: sic quia posterius, *vg:* creatura connectitur Metaphysicè cum DEO, ideo si DEUS per impossibile periret, & removeretur (quod implicat) necessario deberet perire, & removeri creatura. Pariter quia dies hodierna connectitur Physicè cum existentia solis, ideo si pereat sol, necessariò deberet perire & dies, nisi miraculosè conservaretur à DEO, etiam remoto sole. Ergo remoto priori tali, cum quo connectitur Metaphysicè, vel Physicè posterius, necessarium est, ut idem posterius removeatur.

586. Ratio 3tiæ partis est: Vicarius Episcopi, connectitur moraliter cum Episcopo, quo ad exercitium, & Officium Jurisdictionis Episcopalis, remotoq; tali Episcopo per mortem, removetur seu cessat Jurisdictio Vicarij, ut certum est ex praxi continua. Ergo aliquando dum posterius connectitur moraliter cum priori, tunc si illud prius removeatur, necessarium est removeri, & tale posterius. Dixi *aliquando*, quia id non est universaliter verum,

rum, siquidem amor filij, connectitur aliquando moraliter, cum existentia Matris, vel Patris, & tamen remota per mortem Matre, vel Patre, potest amor Filij non cessare, erga Patrem, & Matrem.

587. Tota hæc explicatio est conformis Doctori Angelico, qui 1. 2dæ, quæst: 15. Art: 5. dicit, *Remoto priori, removetur posterius, quod propriè ex eo tantùm sequitur: si autem aliquid ex pluribus sequi possit, non propter hoc, posterius removetur, uno priorum remoto. Sicut si induratio possit fieri, & à calido, & à frigido, (nam lateres indurantur ab igne, & aqua congelata induratur ex frigore) non oportet, quòd remoto calore, removeatur induratio.* Quod idem est, acsi diceret: quando unus idemq; effectus, dependet essentialiter ab una determinate causa, ita ut ex alia sequi, vel ab alia ulla produci non possit, tunc remoto priori, seu illa causa, necessarium est removeri & posterius, seu effectum: quando autem unus idemq; effectus, dependet à pluribus causis, vel principijs, tunc licèt una causa removeatur, non est omnino necessarium removeri effectum, quia hic potest adhuc produci, vel conservari, à reliquis causis, vel principijs.

ARTICVLVS XLIII.

588. *Illud, quod quidquid habet, hoc est: est omnino simplex.* Hanc propositionem confitetur se desumpsisse Aloysius Novarinus parte 2da, libr: 12. Axiomatum, fol: 192, ex verbis S. Augustini, libr: 11. de Civitate DEI, cap: 10. ubi idem S. Augustinus inquit, DEUM ideo dici simplicem, quia quod habet, *hoc est.* Universaliter igitur illud, quod, quidquid habet, hoc est, est omnino simplex. Verba S. Augustini, sunt hæc: *Non enim sola est ista Nominis Trinitas, sine substantia Personarum, sicut*

Sabelliani Hæretici putaverunt. Sed ideo simplex dicitur, quo-niam quod habet, hoc est: exceptô, quod relativè, quæq; Perso-na ad alteram dicitur. Nam utiq; Pater habet Filium, nec ta-men ipse est Filius: & Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater. In quo ergo ad se ipsum dicitur, non ad alterum, hoc est, quod habet: Sicut ad se ipsum dicitur vivens, habendo uti-que vitam, & eadem vita ipse est. Propter hoc itaq; natura di-citur simplex, cui non sit aliquid habere, quod vel possit amittere, vel aliud sit habens, aliud quod habet, &c. Quoniam juxta S Augustinum, ens simplex est illud, *quod quidquid habet, hoc est*: quæri potest, quid intelligatur per illa verba: *quod quidquid habet, hoc est?* Respondeo per ista verba: *quod quidquid habet, hoc est*: intelligitur, quod quamcunq; habet perfectionem ens simplex, tunc omnis illa perfectio est i-psissimum hoc ens simplex. Seu clarius loquendo, quam-cunq; perfectionem habet ens simplex, hæc omnis perfe-ctio, ita realiter adæquatè identificatur enti simplici, ut de illo possit prædicari. Sic *vg*: DEUS habet istas perfe-ctiones: *Aseitatem, Omnipotentiam, Omniscientiam, Immensita-tem, Misericordiam, Justitiam, Intellectionem, Volitionem &c.* Hæ ergo omnes perfectiones, sunt DEUS, & DEUS est omnis illa perfectio, unde verè dicitur: Omnipotentia est DEUS, Aseitas est DEUS, Omniscientia est DEUS, Immensitas est DEUS, Misericordia DEI, est DEUS, Justitia DEI, est DE-US, Intellectio, & Volitio DEI, est DEUS, &c. &c. Hæc explicatio est conformis S. Augustino loco citato dicen-ti: *Habendo utiq; vitam, & eadem vita ipse est.* Hîc tamen subintelligenda est illa clausula, quam ipse S. Augustinus addit: *Exceptô, quod relativè quæq; Persona, ad alteram dicitur.*

589. Dices: Etiam Creatura *vg*: homo, habet suas perfectiones, sibi realiter adæquatè identificatas, quæ pos-sunt prædicari de homine, sic *vg*: rectè dicitur: *Homo est*

animal

animal rationale, item *animal rationale est homo*. Ergo sequeretur quòd homo esset ens simplex. Respondeo distinguo Antecedens. Creatura *vg:* homo, habet omnes perfectiones, sibi realiter adæquatè identificatas. Nego Antecedens. Habet aliquas perfectiones sibi realiter adæquatè identificatas. Concedo Antecedens, & nego Consequentiam, ac dico, ad rationem entis simplicis, requiritur, ut omnes perfectiones ejus, sint ipsi realiter identificatæ, jam autem perfectiones hominis, non omnes sunt eidem homini identificatæ: sic *vg:* Intellectio, & Volitio hominis, non sunt illi realiter adæquatè identificatæ, sed potiùs distinguuntur realiter ab illo: in DEO autem Intellectio, & Volitio Divina, identificatur realiter eidem DEO. Idem dicendum de omnibus alijs actibus Divinis.

590. *Nullum simplex potest esse à duobus*. Reperitur apud S. Thomam 1. senten: distin: 11. quæst: 1. Art: 1. sed non est universale, quia Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, & tamen est ens simplicissimum. Unde S. Thomas, ibidem in responsione ad 7mum, inquit: *Dicendum, quòd simplex non potest procedere à pluribus, quæ sunt diversa per essentiam, quorum sunt diversæ operationes, secùs quorum una sit virtus, sicut Spiritus Sanctus, procedit à Patre, & Filio.*

591. *Simplex, si attingitur, totum attingitur*. Est apud S. Thomam in quæstionibus disputatis, quæst: 7. de simplicitate DEI, Art: 1. ad 2dum. Ratio est: quia omne simplex est indivisibile. Ergo dum attingitur, totum attingitur. Adverto tamen, quòd licet ens simplex, totum attingatur, tamen non totaliter, seu non plenariè comprehenditur, nam dum cognoscimus DEUM existere, attingimus Eum totum, quia simplicissimum, & indivisibilem, tamen Ejus essentiam non comprehendimus.

592. *Quantò aliquid est propinquius uni simplici, tantò*

minus dividitur. Est apud S. Thomam 2do senten: distin: 3tia, quæst: 1. Art: 3. qui in responsione ad 3tium inquit: *Esse verum de simplicitate naturæ, non de pluralitate graduum.* Unde Angeli DEO simplicissimo propinquiores sunt, tamen valde multiplicantur, licèt naturâ, simpliciores hominibûs.

593. *Major est simplicitas, ubi est identitas sine distinctione, quàm cum distinctione.* Est apud S. Thomam 1. Senten: ad Hannibaldum, dist. 8. quæst: 3. Art: 1. ad 2dum. Circa hoc axioma illud adverto, quòd in DEO datur identitas, cum distinctione reali Personarum inter se, & tamen in DEO datur simplicitas summa. Præterea juxta doctissimos Thomistas, inter Prædicata DEI absoluta, datur distinctio virtualis intrinseca, & tamen inter eadem prædicata, datur summa simplicitas.

594. *Simplex, aut totum habetur, aut totum amittitur.* Est S. Thomæ 1. 2dæ, quæst: 53. Art: 2. Ratio est: quia ens simplex nullas habet partes. Ergo vel totum habetur, vel totum amittitur: totum inquam habetur, modò superiùs expressô.

595. *Ab uno simplici, non procedit nisi simplex.* Est apud S. Thomam, in quæst: disput: quæst: 3. de Potentia DEI, Art: 6to. Ubi in responsione ad 22. illud solidissimè explicat. Non est ergo universale, quia DEUS est ens simplicissimum, & tamen ab eo plurima processerunt non simplicia, ut constat, ex tot creaturis.

596. *Quantò aliquid est magis actuale, est magis simplex, & sic tantò minùs illi competit latitudo.* Est Joannis Baccones 1. senten: dist: 16, quæst: 1. Art: 4. §. 1mo. Est verum, si procedat de DEO, qui est actus purissimus: alia autem licèt sint actualia, tamen non sunt simplicia, quia non sunt actus puri.

597. *Species sunt sicut numeri, in quibus non reperiuntur*

æqua-

æquales. Vel ut Aristoteles 8. Metaphys: inquit: *Species rerum, habent se sicut numeri.* Doctissimus Joánnes de Ulloa, censet hoc axioma verum esse, quatenus inter species distinctas, inæqualitatem similitudinis, id est dissimilitudinem concedere oportet: si enim duo non fuerint inter se, notabiliter dissimilia, erunt similia in tota sua essentia Metaphysica. Ergo ejusdem erunt speciei. Ergo si non fuerint ejusdem speciei, necesse est, quòd aliquô prædicatô essentiali differant, eò quòd & in illo dissimilia sint. Ego censeo præfatum axioma posse sic explicari: Species quæ *de facto dantur*, sunt sicut numeri. Concedendum. Species *etiam possibiles, ultra has, quæ de facto dantur*, sunt sicut numeri. Negandum. Quia multi probabiliter docent, duas species adæquatè distinctas, posse esse perfectione pares. Inter species autem, quæ defacto dantur, non sunt ostendibiles, quæ sint sibi omnino in perfectione pares, ut patet inductione.

598. Illud hic adverto. Numeri si immediatè successivè post se ponantur, unus alteri inæqualis est, solùm quò ad unitatem, scilicet unus alterum superat, sola unitate, ut patet reflectenti. Quando ergo dicitur: *Species sicut numeri*: non est sensus: quòd sicut numeri prædictô modô sumpti, sola unitate se se superant, & sunt sibi inæquales, ita & species una alteram superat, uno tantùm omnino gradu perfectionis; non est enim inter species, hæc exacta, & arithmetica inæqualitas, sed solùm geómetrica.

599. *Sicut principium in speculabilibus, ita finis in agibilibus, seu operabilibus.* Est Philosoph: 7. Ethicor: & 2. Physic: Præfatum axioma habet sensum istum: *Sicut se habet aliquod principium universale in scientijs speculativis, ita finis in operibus practicis.* Porro principium quodlibet, ita se habet in scientijs speculativis, ut si sit principium Metaphysi-

physicum, conclusio, & veritas ex illo deducta, sit Metaphysica, si Physicum, conclusio evadat certa Physicè: si morale, conclusio evadat certa moraliter. Eodem modô se habet finis in operibus nostris, ut si finis noster sit bonus, opus nostrum evadat bonum, si malus, opus evadit malum. Si finis est contra virtutem religionis, & in loco sacro, opus evadit sacrilegum: Si sit contra justitiam, opus evadit furtum, vel rapina, vel aliud simile. In hoc ergo principia Scholastica, habent proportionem, & convenientiã, cum quocunq; fine, quòd sicut à principijs specificantur, vel certificantur scientiæ, ita à finibus specificantur opera nostra.

600. *Sublatâ quacunq; parte integrante, tollitur totum.* Sensus est: Sublata quacunq; parte integrante, seu constitutiva totius, vel essentialiter necessaria ad totum, tollitur totum: sublata autem parte non constitutiva totius, nec essentialiter necessaria ad totum, non tollitur totum: sic *vg:* Sublata manu, vel digitô, non tollitur totum. Addo, quòd dentur in composito tales partes, quæ licèt non sint constitutivæ totius, tamen illîs sublatîs, tollitur totum, qualis *vg:* pars, est caput, vel cor: sublato enim capite, vel corde, tollitur homo.

601. *Solius substantiæ est definitio.* Aristotel: 7. Metap: Sensus est: quòd substantia possit definiri, independenter ab accidente, accidens autem passim definitur, dependenter à substantia, licèt aliquando etiam accidens definitur sine respectu, & ordine ad substantiam.

ARTICVLVS LXIV.

602. *OMnia opera ad extra sunt toti Trinitati communia.* Est principium omnium Theologorum. Porro opera DEI, alia sunt ab extra, alia ad intra: opera

DEI ad intra sunt Processiones Personarum Divinarum: opera ergo ad extra, sunt communia toti Trinitati, quia tota SSma Trinitas creavit cælum, & terram, & omnia quæ sunt in mundo: opera autem ad intra, sunt propria Personis Divinis, de quibus communiter agunt Theologi.

603. *Omne totum est majus sua parte.* Est evidens in creatis, non autem in Mysterio Trinitatis. Et hoc constat ex S. Augustino citato, ñro 262. ubi solvendo argumenta Infidelium ex hoc principio, inquit: *In rebus corporeis ita esse, non in illa summa Trinitate.* Plura videantur citato ñro 262.

604. *Quidquid convenit parti, & toti, priùs convenit parti, quàm toti.* Est S. Thomæ in 3. distin: 2. quæst: 2. Art: 1. Ratio est, quia pars præsupponitur ante totum, quia totum componitur ex parte, vel partibus. Ergo illi priùs aliquid convenit, quàm toti. Unde quando totum dicitur corporeum, vel materiale, prius hoc convenit corpori, vel materiæ, ex qua componitur totum.

605. *Totum universale adest cuilibet parti secundum totam suam essentiam, & virtutem.* Est S. Thomæ 1ma parte, quæst: 77. Art: 1. Constat inductione sic *vg:* Animal est totum universale, & hoc adest seu reperitur in omnibus suis partibus, seu inferioribus sub se contentis, *vg:* in homine, equo, cane, & alijs.

606. *Totum est compositius, & posterius suis partibûs.* Est S. Thomæ 2. Pericher: lect: ultima. Ratio est eadem, quæ supra data est, quòd pars, sit prior toto.

607. *Ubi totum est, partes quoq; omnes esse, necesse est.* Ita loquitur S. Fulbertus Carnotensis, sermone contra Judæos. Est verum de composito substantiali physico, & partibus ejus constitutivis: non autem de toto integrali, vel morali, quale est *vg:* Respublica, communitas, vel Civitas: potest enim tota Respublica subsistere, sine suis aliquibus partibus.

608. *Nihil convenit alicui toti secundum partem, nisi quod convenit parti.* Ita subtilis Scotus 1. senten: distin: 19. quæst: 2da. Ratio est, quia determinatio totius, dimanat à parte, ex qua componitur. Ergo si pars aliqua non habeat aliquam denominationem, non potest illam toti tribuere.

ARTICVLVS XLV.

609. DE *summa veritate, nullus potest judicare.* Ita docet S. Augustinus, de vera Religione: hoc dictum, sic potest explicari: De summa veritate, id est de rebus ad fidem spectantibus, nullus privatus potest judicare, potest tamen Caput Ecclesiæ Summus Pontifex, & frequenter judicat, & decernit, quid sit credendum. Quod si per summam veritatem intelligatur ipse DEUS, tunc de Eo nullus potest judicare, tanquam judex, quia creatura non habet potestatem, supra suum Creatorem. Huc spectat illud Isaiæ 40. ver: 13. *Quis adjuvit Spiritum Domini? aut quis Consiliarius ejus fuit, & ostendet illi?* &c.

610. *Rationalis natura, refugit falsitatem, quantum potest.* Ita S. Augustinus in Enchiridio. Hoc dogma ita explicari potest: rationalis natura *prudenter, & non contumaciter agens*, refugit falsitatem, quantùm potest, tamen rationalis natura, *imprudenter, vel contumaciter agens*, non refugit falsitatem, quantùm potest: imò penes falsitatem se opponit, qualiter faciunt Hæretici.

611. *Majoris est Authoritatis, qui nullo modo potest mentiri, aut fallere, quàm qui aliquomodo fallere potest; aut mentiri.* Ita ex S. Augustino colligit, & infert Malbertus quæst: 1. de objecto fidei Art: 3. dubio 7mo. Hæc propositio, est verissima, & lumine naturæ nota.

612. *Omne, quod est verum, à prima veritate verum est.* Hæc doctrina est S. Augustini apud Alensem 3. part: sum: quæst

quæst: 78. membr: 4. Ratio est: sicut enim omne bonũ est, à prima Bonitate, nempe DEO: ita omne verum, est à prima Veritate: Omnis enim creatura à DEO totum participat, quidquid habet.

613. *Quod ab omnibus dicitur, non potest totaliter falsum esse.* Est apud S. Thomam 1ma 2dæ, quæst: 5. Art: 3. ad 3tium. Hoc axioma ita limitari potest. Quod ab omnibus *fidelibus, vel classicis Authoribus, & fide dignis* dicitur, non potest totaliter falsum esse. Quod ab omnibus *infidelibus vel Hæreticis dicitur,* illud potest totaliter falsum esse, ut constat experientiâ, multi enim, aut omnes Hæretici, opponuntur penes suos errores, & tamen illi, sunt totaliter falsi.

614. *Illud, quod non impletur, nisi aliqua variabili conditione existente, non habet immobilem veritatem.* Ita S. Thomas quæst: de Prophet: Art: 11. Ratio est, quia ipsa variabilis conditio, potest variare statum veritatis.

615. *Magis debet concedi, quod est verum per se, quàm quod est verum, per accidens.* Ita S. Thomas in 3. distin: 4. quæst: 2. Art: 2. Est notum ex terminis: Ratio est, quia accidens potest abesse, vel adesse, adeoq; veritas per accidens, est minor, quàm veritas per se.

616. *Veritas est majoris efficaciæ, quàm figura.* Ita S. Thomas in 4. dist: 12. quæst: 2. Art: 2. Ratio est: quia figura est tantùm umbra, vel imago rei, veritas autem est ipsa res, per figuram signata: Sic vetus testamentum, erat figura novi, unde novum testamentum, est majoris efficaciæ, quàm vetus, quia in novo omnia impleta sunt, quæ figurabantur in veteri.

617. *Voluntas non fertur in incognitum.* Ita S. Augustinus libr: 10, de Trinitate, cap: 1. dum inquit: *Quod quisq; prorsus ignorat, amare nullo pacto potest.* Item in eodem libr: 10. cap: 2. inquit: *Quilibet igitur studiosus, quilibet curiosus, non amat incognita, cum ardentissimo appetitu, instat sci-*

re, *quod nescit.* Præterea S. Anselmus in moral: cap: 48. ait: *Nulla res amatur sine sui amore, & intelligentia.* Tandem Aristoteles 2. Anim: cap: 10. ait: *Appetibile non moveri, nisi mente, aut imaginatione perceptum.*

618. *Nihil tam est in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas.* Est S. Augustini apud Adam 1. senten: dist: 1. quæst: 9. Ratio est, quia nihil est intimius voluntati, quàm ipsa voluntas. Ergo si illa habet potestatem, ad alia objecta externa, à se distincta, tantò magis habet in se ipsam.

619. *Velle, quod non deceat, id ipsum miserrimum est.* Ita S. Aug: libr 13. de Trinit: cap: 5. Non est enim major miseria hominis, quàm dum vult id, quod non decet: omnis enim natura rationalis, tenetur id velle, quod decet: proinde cum vult id, quod non decet miserrima efficitur, non tantùm in anima, sed etiam in corpore.

620. *Mala voluntate vel sola quisq; miser efficitur: sed miserior potestate, qui desiderium malæ voluntatis implet.* S. Aug: libr: 13. de Trin: cap: 5. Per malam voluntatem intelligitur hîc voluntas propria: voluntas enim mala esse non potest nisi sit propria. Voluntas autem propria illa est, quæ non vult esse subjecta præceptis DEI, vel potestatis in loco DEI constitutæ, sed suum judicium, arbitrium, & sensum sequitur, præfertq; suum judicium judicio DEI, vel superiorum. Tali voluntate propria, si quispiam vult aliquid, miser efficitur: quodsi voluntatem propriam implet, adhuc miserior, imò miserrimus evadit. Ratio est, quia qui propriam voluntatem facit, 1mo DEUM O. M. offendit, 2do offendit superiores, 3tio se ipsum interne affligit, 4to affligit & ipsos superiores, 5to concipit aversionem, & aliquando etiam odium contra superiores. 6to concepta aversione contra superiores, nihil est ipsi magis consvetum, quàm contra superiores loqui, mur-

murmurare, eorum dicta, & facta taxare, & alios ad hæc murmura inducere. Ex hac tandem aversione contra superiores, sequitur tepiditas in Spiritu. Et ita sentit, & docet, sublimis Asceta, R. P. Gaspar Druzbicki S. J. qui in libro suo intitulato: *Sublimitas Perfectionis Religiosæ*, in Appendice cap: 5. pag: 341. inquit: *Quintum tepidi Spiritûs signum, aversus à superioribus animus, ac proinde, sequitur Religiosæ disciplinæ, quæ olim levis, & grata fuit, fastidium, tædium, odium. Nunquam vidi spiritualem hominem ferventem, qui non simul spiritualibus quibuscunq; esset addictissimus, disciplinæq; amantissimus. E contra omnes, quos videre mihi licuit à superioribus aversos, & quoquo nomine alienatos, semper cognovi in spiritu tepidos extitisse.*

621. *Viventia, non viventibus præponuntur.* Ita S. Augustinus libr. 15. de Trinitate cap: 5. ubi inquit: *Neq; enim Divinorum Librorum tantummodo, Authoritas, esse DEUM prædicat, sed omnis quæ nos circumstat (ad quam nos etiam pertinemus) universa ipsa rerum natura proclamat, habere se præstantissimum Conditorem, qui nobis mentem, rationemq; naturalem dedit, quâ viventia, non viventibus, sensu prædita non sentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, impotentibus potentia, injustis justa, speciosa deformibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus, invisibilia visibilibus, incorporalia corporalibus, beata miseris, præferenda videamus.*

622. *Volenti non fit injuria.* Axioma istud in materia morali, usitari solitum sic est limitandum: Volenti *contra legem, vel ob prudentem metum, & cadentem etiam in virum constantem*, non fit injuria. Negandum. Volenti *sine incussione prædicti metûs, volenti item legitimè, & secundùm legem*, non fit injuria. Concedendum. Ratio est: Multi enim multa volunt, sed plerumq; propter metum gravem, & propter metum prudentem, & cadentem in constantem virum:

rum: *vg:* dum latro aliquem invadit, & vult eum occidere, tunc temporis homo invasus, redimendo vitam suam, vult dare pecuniam, quam habet, & defacto dat; Cæterùm quia hæc volitio ipsius procedit à metu prudenti, sibi incusso, ideo ipsi fit injuria, potestquè pecuniam latroni datam, justè repetere, si daretur occasio, & modus. Pariter si aliquis Rector Ecclesiæ, velit aliquem contractum inire & defacto iniverit, vult quidem ipse, ut supponitur, sed quia agit contra legem, & contra dictamen conscientiæ, ideo ipsi, vel saltem ipsius Ecclesiæ, fit injuria, & hanc si non ille, saltem successor ipsius potest legitimè vindicare, ut patet ex praxi.

APPENDIX

De Distinctione Bacconica.

ARTICVLVS XLVI.

Vtrùm detur distinctio realis, intentionalis Bacconica, seu formalis ex natura rei, in linea intelligibili?

623. ANtequàm respondeã; præsuppono 1mo. Præter distinctionem realem entium positivorum, ab omnibus admissam, item præter distinctionem rationis ratiocinatæ, virtualem intrinsecam, formalem ex natura rei Scotisticam, adstruitur à nonnullis Authoribus, videlicèt Carmelitis Antiquæ observantiæ, distinctio realis intentionalis, seu formalis ex natura rei, in linea intelligibili, independens tamen ab omni actu intellectûs. Hujus distinctionis Author est Doctissimus Joannes de Baccone Ordinis Carmelitarum. Unde hæc distinctio à suo Authore vocatur Bacconica: sequaces verò hujus Autho-

Authoris vocantur Bacconistæ. Ut ergo hujus distinctionis notitia, non tantùm ipsis Doctissimis Bacconistis, sed etiam alijs comperta sit, statui hîc, prædictæ distinctionis naturam, juxta sensum suorum Authorum proponere.

624. Præsuppono 2do. Quod Resolutus Doctor Joannes Bacconius, distinctionẽ entium positivorũ, dividit in distinctionẽ rationis, in distinctionem realem (quam DD. Bacconistæ appellant Physicam, seu entitivam) & in distinctionem realem intentionalem, formalem ex natura rei. Distinctio rationis est illa, quæ fit totaliter ab intellectu. Distinctio realis juxta eundem Bacconium, quæ est in re extra. Distinctio realis intentionalis est illa, quæ non est fabricata ab intellectu, nec consistit in rebus diversis, sed consistit in hoc, quòd eadem res nata est concipi diversimodè ab intellectu. Quod totum patebit in Præsupposito 4to. Breviùs autem juxta DD. Bacconistas, distinctio realis physica est illa, quæ reperitur inter extrema, non pensato ordine ad intellectum, & talis est *vg:* inter hominem & brutum. Distinctio realis intentionalis juxta eosdem Authores, est illa, quæ inter extrema reperitur à parte rei per ordinem ad intellectum: & talis est illa, quæ reperitur *vg:* inter animal & rationale.

625. Hæc distinctio realis intentionalis vocatur ab ijsdem DD. Bacconistis alio nomine, formalis ex natura rei, in linea intelligibili, in esse conceptibili, in esse repræsentativo, obijcibili, intentionali (quæ omnes phrases idem apud illos sonant) cæterùm ne his phrasibûs, se ipsos obruant, frequentiùs utuntur nomine distinctionis intentionalis: per distinctionem autem intentionalem, simpliciter prolatam, nihil aliud intelligunt nisi distinctionem realem formalem ex natura rei, in linea intelligibili, cognoscibili, objicibili, in esse repræsentativo, in esse conceptibili &c. Unde titulos, & quæstiones instituunt,

de

de distinctione intentionali simpliciter prolata, addendo has voces in linea conceptibili, intelligibili &c.

626. Præsuppono 3tio. Quòd sicut hæc distinctio realis intentionalis Bacconica, est simul formalis ex natura rei, in linea intelligibili, & idem est apud Bacconistas distinctio realis intentionalis, & formalis ex natura rei in linea intelligibili: ita ijdem Bacconistæ conveniunt, magna parte in explicatione distinctionis suæ formalis ex natura rei, cum explicatione illa, quam tradunt Scotistæ, explicando suam distinctionem formalem ex natura rei Scotisticam, ut patet ex verbis Elisei Garciæ Doctoris Scholæ Bacconicæ, distinctione 2da, quæst: 1. Ar: 3. §. 2. ñro 459. & 490. dicentis: *Distinctio formalis ex natura rei, est minor distinctione reali physica, & entitativa, compatitur enim cum identitate reali physica entitativa. Illa autem dicuntur distingui formaliter ex natura rei, quæ ex sua ratione formali habent diversas quidditates, diversas inquam, non distinctas, & exigunt attingi, per diversos conceptus, & explicari per diversas definitiones. Quare distinctio formalis ex natura rei, reperitur inter duas formalitates ejusdem entitatis.*

627. *Desidero valde, si quomodo possim explicare hîc mentem Scoti, & Doctoris Resoluti, nempe Joannis Bacconis* (inquit idem Eliseus Garcia) *conveniunt enim in admittenda distinctione formali ex natura rei, in objecto externo: licèt in modo illam explicandi, omnino differant. Itaq; illa distinguuntur formaliter ex natura rei, quæ ex formali, & proprio conceptu suo, nec identificantur, nec distinguuntur physicè. Unde animal distinguitur formaliter ex natura rei, à rationali, quia ex genere suo, nec petit distingui à rationali, nec cum illo identificari, alias non posset ab illo separari, seu distingui & esse in bruto. Itaq; animal ex se, & proprio conceptu, est indifferens ut sit, vel non sit rationale. At verò non est indifferens ut sit vivens, sentiens, quæ est propria ratio constitutiva animalis. Unde si conjungatur*

per

per identitatem cum rationali, tunc animal, & rationale, sunt simplex entitas (ecce identitas physica, seu maxima, ut illam vocant Scotistæ) habent tamen & conservant, distinctas rationes formales; (ecce distinctio formalis ex natura rei) licèt enim animal conjungatur, & identificetur rationali, semper ratio animalis est alia, à ratione rationalis. Sicuti licèt imagines Petri, & lapidis, conjungantur in simplici cognitione, vel specie repræsentante Petrum, simul & lapidem, semper est ratio hominis repræsentativa objectivè, distincta à ratione lapidis. Tum quia animal ex genere suo semper est indifferens, ad esse, vel non esse rationale, cum tamen sit maximè, & omnino determinatum, ut sit vivens, & sentiens. Quare animal, & rationale, sunt alia, & alia ratio, licèt sit simplex entitas. Nec obstat, quod hoc animal sit determinatum ad esse rationale, propter identitatem cum illo, non inquam obstat: tum quia hæc determinatio, est de linea physica entitativa, ab identitate physica, non de formali reali. Tum quia licèt hoc animal, sit identificatum cum rationali, tamen hæc identitas non convenit illi ex genere suo, nec per exigentiam proprij conceptûs, sed per non repugnantiam, quam habet, ut sit rationale. At verò vivens, sentiens, convenit illi ex proprio conceptu, & per exigentiam essentialem, ideo semper animal, & rationale, sunt alia, & alia ratio, licèt physicè sit simplex entitas. In hac ergo alietate rationum formalium, consistit distinctio formalis ex natura rei. Hactenus Elifeus Garcia.

628. Præsuppono 4to. Quoniam Bacconistæ, per explicationem suæ distinctionis formalis, ex natura rei, in linea intelligibili, ita multùm conveniunt, cum distinctione Scotistica, ut illorum distinctio, planè eadem videatur cum Scotistica: ideo obnixè conantur ostendere, differentiam suæ distinctionis, à distinctione Scotistica, ut constare potest ex verbis ejusdem Garciæ dicentis: *In admittenda distinctione formali, ex natura rei, in objecto externo, ante mentis considerationem, convenit Resolutus Doctor, cum Sco-*

 to,

to, in modo verò explicandi, toto cœlo distat. Uterq; admittit identitatem realem absolutam, inter animal, & rationale, uterq; etiam admittit distinctionem formalem ex natura rei, inter illos conceptus, sed aliter, & aliter. Nam Scotus illam propugnat in linea physica: Bacconius verò in linea intentionali. Itaq; animal, & rationale, in sententia Scoti, sunt formalitates diversæ in linea physica, hoc est absoluta, & nullo pensato ordine ad intellectum, independenter enim à consideratione intellectûs, & nullo pensato ordine ad cognitionem, animal, & rationale, sunt rationes formales diversæ, sensatio enim absolutè exigit animal, non rationale, & homo à parte rei discurrit ut rationalis, non ut animal. Productio etiam creaturarum, exigit physicè DEUM, & Unum, & Omnipotentem, non ut Trinum. Quare præcisiones formales objectivæ, in sententia Scoti, sunt de linea physica, at verò in sententia Resoluti Doctoris, animal, & rationale, si considerentur absolutè, & in linea physica, sunt omnino idem. Et sensatio absolutè, non solùm exigit animal, sed etiam rationale, quia physicè exigit, animal identificatum cum rationali. Quare in linea physica, nullas invenit Resolutus Doctor formalitates. Si autem considerentur animal, & rationale, in linea intentionali, intelligibili, respectivè ad intellectum, sunt formalitates realiter, formaliter distinctæ in linea cognoscibili, quia scilicet in eadem entitate, reperiuntur plures formalitates intentionales, per ordinem ad diversas cognitiones. Quare homo in linea physica est entitas simplex, absq; ulla distinctione formali: in linea verò intentionali est compositum ex pluribus formalitatibus, quæ sunt diversæ intelligibilitates in objecto resultantes, respectivè ad diversas cognitiones. Unde distinctio intentionalis Bacconica, est verè formalis, ante omnem mentis operationem, dicitur autem distinctio rationis, quia convenit objecto externo, respectivè ad cognitionem. Audi Resolutum Doctorem quodlib: 3. quæst. 6. Art: 4. §. 4. ubi ait: *Triplex est distinctio entium, quædam totaliter fit ab intellectu* (ecce distinctio rationis) *quædam ita, quod sit in re extra* (ecce distin-

distinctio realis) *quædam ita, quod eorum distinctio, non est ab intellectu fabricata, nec ita, ut distinctio eorum consistat in rebus diversis, sed ita, quod eadem res, per naturam suam, nata est concipi diversimodè ab intellectu, & talis distinctio vocari consvevit à Doctoribus distinctio intentionalis, & potest vocari distinctio in esse conceptibili, sive repræsentativo. Talis est de qua sermo.*

629. *Differt ergo distinctio intentionalis Bacconica* (inquit idem Eliseus Garcia) *à distinctione formali Scotistica, quia Scotistica est in linea physica, Bacconica verò in linea intentionali: Scotistica est distinctio absoluta formalitatum, in se ipsis, Bacconica verò est distinctio relativa ad intellectum. Scotus invenit formalitates distinctas in objecto externo, & physice existente: Bacconius in objecto externo, ut physicè existente, non invenit formalitates distinctas, sed entitates formaliter identificatas, & solum agnovit formalitates distinctas, in objecto externo, secundum esse intentionale, quatenus est diversimodè conceptibile ab intellectu. Insuper formalitates Scotisticæ sunt subjectivæ, quia conveniunt rebus secundùm esse objectivum absolutum, de linea physica: at verò formalitates Bacconicæ, sunt purè objectivæ, quia conveniunt rebus secundùm esse objectivum, sive obijcibile intellectui, quatenus scilicet sunt objecta ab intellectu cognoscibilia.*

630. *Differt tandem distinctio intentionalis Bacconica à distinctione reali entitativa, modali adæquata, &c quia hæ omnes sunt de linea physica: Bacconica verò de linea intentionali. A distinctione autem virtuali differt, quia distinctio intentionalis ex suo genere, est formalis in linea intelligibili, ut postea dicemus: Tum quia distinctio virtualis, est de linea physica: Tum quia est fundamentum ad distinctionem formalem intentionalem.*

631. *In fine observandum (quod valde notandum est ad tollendam æquivocationem) distinctionem formalem ex natura rei, vocari mediam inter distinctionem realem, & rationis, non quia declinet opinio ab extremis, est enim in rigore distinctio realis, utpote omnino independens, ab actuali consideratione intellectus: Sed*

quia est media inter distinctionem realem maximam, non inter distinctionem realem præcise & inter distinctionem rationis. Nec enim est ita magna ac distinctio physica entitativa, nec tam parva ac distinctio rationis. In quo sensu etiam distinctio modalis posset vocari media inter distinctionem physicam entitativam, & distinctionem rationis, nam inter distinctiones reales una est major aliâ. Distinctio enim specifica major est numericâ. Hactenus Eliseus Garcia à nro 493, ad numerum 499. in sua Logica.

632. Ex hactenus dictis patet, in quo volunt convenire Bacconistæ cum Scotistis, & in quo volunt differre: convenire ergo volunt cum Scotistis in hoc, quòd sicut distinctio Scotistica, est ante omnem mentis operationem, & considerationem, & absolutè independens ab intellectu, ita pariter & distinctio Bacconica: convenire item volunt in hoc, quòd sicut distinctio Bacconica, admittitur nonnisi inter illa, quæ habent diversas quidditates, & exigunt attingi per diversos conceptus, & explicari per diversas definitiones, ita pariter & distinctio Bacconica. Differre autem conantur à Scotistis specialiter in hoc, quòd distinctioni Scotisticæ oppingant, & adscribant id, quòd illa sit in linea physica, sua verò distinctio Bacconica, quòd sit in linea intelligibili, seu intentionali, quod utrum verum sit? patebit ex dicendis.

633. Præsuppono 5to ex eodem Garcia: Quòd dum Joánnes Bacconius, ibidem à ñro 500, ad ñrum 502. §. 2. pag: 308. & 309. admittit distinctionem formalem ex natura rei. in linea intelligibili, inter aliqua extrema, vg: inter animal, & rationale: *Nihil aliud docet nisi hoc, quod animal, & rationale, ut considerata in linea physica, secundùm esse absolutum, quod habent in se ipsis, esse omnino idem formaliter, absq; ullo genere distinctionis actualis, at verò si considerentur in linea intelligibili, respectivè ad intellectum, differre formaliter, in esse intelligibili. Contendit enim Resolutus Doctor Joánnes Bacconius*

conius, in simplici entitate reperiri, plures formalitates intentionales, ita ut entitas formaliter simplex in linea physica, sit formaliter multiplex, in linea intentionali. Itaq; animal, & rationale, non sunt diversæ entitates, ideo sunt omnino idem in linea entitativa, habent tamen diversas intelligibilitates, seu formalitates intentionales, ideo differunt formaliter in esse intelligibili. Quomodo autem simplex entitas in esse physico, possit esse multiplex in esse obijcibili, seu intelligibili, ita, ut habeat plures formalitates intentionales, explicat optimè idem Resolutus Doctor in 1. dist: 2. quæst: 2. Art. 34 §. I. exemplo Columbæ, in cujus collo, juxta communem sententiam, unus tantum color reperitur, & tamen incidente luce, repræsentantur visui varij colores. Ecce simplex color in esse physico, multiplex in esse obijcibili, seu repræsentabili, repræsentativè ad visum. Si dicas prædictos colores, non esse veros, sed apparentes & fictos, tunc contra est: quia visus non potest percipere objectum non existens, nec potest fingere ens rationis. Ergo illi colores sunt veri, & non ficti. 2do. Quia ex natura rei, repræsentantur in collo columbæ, & non alibi. 3tio. Quia visus non potest reduci ad actum videndi, nisi color præsupponatur existens, in esse obijcibili. Ergo prædicti colores, non finguntur à visu, sed ex natura rei repræsentantur in collo columbæ. Hoc idem fusiùs explicat Resolutus Doctor, duplici exemplo: 1mo Facies Christi eadem semper manens, apparebit in die Judicij, reprobis horribilis, Justis vero serena, & affabilis: Ecce eadem facies in esse absoluto, apparet multiplex in esse obijcibili, seu repræsentabili. 2do. Eadem Apostolorum prædicatio, diversis nationibus Gentium quasi proprio idiomate, ab omnibus percipiebatur. Eadem S. Scripturæ sententia, tepidis insipida, fervidis melle dulcior apparet: simplex entitas in esse physico, potest esse multiplex in esse obijcibili, seu repræsentabili respectivè ad intellectum.

634. Hanc totam explicationem desumpsi in terminis ex Eliseo Garcia, eo specialiter fine, ut fideliùs, & candidiùs pateat natura ejusdem distinctionis, quam adstru-

unt prædicti Authores: si enim verbis meis illam refferrem, possem ijsdem Authoribus, dare occasionem, quæstionis de voce, plerumq; enim in talibus materijs, etiam voces ipsæ negantur, licèt omnino idem sonent, quod sonant aliæ, dum ab alijs proferuntur. His præmissis.

ARTICULUS XLVII.

Statuitur conclusio negativa de Distinctione Bacconica.

635. DIco. Non datur distinctio realis, intentionalis, formalis ex natura rei Bacconica in linea intentionali, intelligibili, cognoscibili, objicibili, &c. Probatur 1mo. Omnibûs illis rationibûs, quibûs in Philosophia probari solet, quòd non detur distinctio formalis ex natura rei Scotistica: Distinctio enim Bacconica, non differt à Scotistica, nisi solis vocibûs, quas falso distinctioni Scotisticæ oppingunt Doctissimi Bacconistæ, ut constat ex præsuppositis, & constabit inferiùs. Ita omnes omnium Universitatum Doctores, qui inter extrema realiter adæquatè identificata, non admittunt ullam distinctionem realem ante omnem operationem intellectus: ita & Rmus Adamus Opatovius in Alma Universitate Cracoviensi S. T. Doctor, & Professor, Canonicus Cathedralis Cracoviensis in Tract: de SS. Trinit: disput: 2. quæst: 2. nro 11. & Rmus Simon Makowski in eadem Universitate Cracoviensi S. T. D. & Professor, in Tractatu de SS. Trinit: disput: 1. quæst: 3. cujus verba citavimus nro 426.

636. Probatur 2do. Si daretur distinctio intentionalis Bacconica, tunc in rebus præter esse physicum, subjectivum, & grossum de linea physica, daretur aliud esse intentionale objectivum, seu resultativum de linea intentionali, in sensu, & acceptione, Doctissimorum Bacconistarum. Sed præter esse physicum, subjectivum, & grossum

ſum de linea phyſica, non datur ullum eſſe intentionale objectivum, ſeu reſultativum, de linea intentionali. Ergo &c. Major eſt Doctiſſimorum Bacconiſtarum, Minor probatur. Eſſe intentionale, objectivum, ſeu reſultativũ de linea intentionali, in ſenſu, & acceptione Doctiſſimorum Bacconiſtarum, eſt eſſe reale, independens ab actibus, ſeu operationibus intellectûs. Sed præter eſſe phyſicum, ſubjectivum, & groſſum de linea phyſica, non datur ullũ eſſe intentionale reale, independens ab actibus, ſeu operationibus intellectûs. Ergo &c. Major eſt DD. Bacconiſtarum. Minor probatur. Exiſtentiæ actuales rerum, non ſunt admittendæ ſine omni poſitivo, & convictivo fundamento. Sed pro exiſtentia eſſe actualis intentionalis, realis, independentis ab actibus ſeu operationibus intellectûs, nullum eſt poſitivum fundamentum: quia hoc fundamentum nullum oſtendi poteſt, quod enim eſt tale fundamentum? Ergo &c.

637. Dixi: quòd *in ſenſu, & acceptione DD. Bacconiſtarum* præter eſſe phyſicum, non detur aliud eſſe intentionale: quia in ſenſu, & acceptione omnium Scholarum, & totius Philoſophiæ, datur eſſe intentionale, ſeu datur ſtatus rationis, ſed hoc eſſe, & ſtatus rationis, non eſt ens independens ab actibus, & operationibus intellectûs, ſed potiùs eſt eſſe dependens à ratione, & operationibus intellectûs: & tale eſſe intentionale ſunt omnes operationes intellectûs, ſunt omnes definitiones, diviſiones, & argumentationes, ac tandem tale eſſe intentionale, eſt ipſa diſtinctio rationis, fieri ſolita per actus intellectûs.

638. Dices. Datur fundamentum poſitivum admittendi, eſſe intentionale objectivum, ſeu reſultativum de linea intentionali, præter eſſe phyſicum. Ergo tale eſſe intentionale eſt admittendum. Probatur Antecedens. In linea entis realis, præter eſſe abſolutum, datur aliud eſſe

rela-

relativum, ut constat in relationibus realibus, quamvis hoc sensibus non percipiamus. Ergo similiter in linea entis realis, præter esse physicum, per sensus palpabile, datur aliud esse purè intentionale, quamvis hoc illud, sensibus capere non valeamus, eò, quòd sit purè intelligibile, & hoc dicitur esse intentionale. Vocatur autem esse resultativum, quia resultat ex esse physico, ad eum modum, quô resultant passiones ex ente: intelligibilitas enim est passio entis.

639. Respondeo distinguendo Antecedens. In linea entis realis, præter esse absolutum, datur aliud esse relativum, *& hoc esse relativum, est esse physicum*. Concedo Antecedens. Et hoc esse relativum, *est esse resultativum ex esse physico, ac diversum ab esse physico*: Nego Antecedens & Consequentiam. Ratio negatæ consequentiæ est, quia ex certo non potest rectè inferri incertum, & controversum: porro esse relativum est certum apud omnes, esse autem intentionale resultans ex esse physico, & diversum ab esse physico, est incertum, controversum, & à nemine admittitur, nisi à solis DD. Bacconistis. Ratio 2da est: Si ex esse relativo, posset inferri esse intentionale, resultans ex esse physico, tunc pariter ex eodem esse relativo, posset inferri, quodcunq; aliud esse, à quocunq; cogitabile, resultans ex esse physico, & sic confingerentur innumera, & infinita talia entia sine necessitate, & fundamento: quæ entia resultantia confingere, non convenit Philosophis.

640. Dices 2do. Esse intencionale, & cognoscibile, idem sunt, inquit Eliseus Garcia distin: 2. quæst: 1. §. 3. nro 404. Sed datur esse cognoscibile. Ergo datur esse intentionale.

641. Respondeo. Nego majorem, quia omne ens reale, est ens cognoscibile, & tamen non est intentionale: imò negationes, himeræ, & impossibilia, sunt cognoscibi-

scibilia, & tamen non sunt intentionalia, resultativa ex esse physico, quia negationes, impossibilia, & chimeræ non habent esse physicum, & reale. Concedo ergo, quòd datur esse cognoscibile, & intelligibile, sed illud non est quid intentionale resultativum ex esse physico, nec est quid diversum ab esse physico, sed est ipsum esse physicum, daturq; à parte rei, etiamsi nullus intellectus existeret, & etiamsi nulla facta foret comparatio entis cognoscibilis ad intellectum. Dum autem ens cognoscibile actu cognoscitur ab intellectu, & illud diversimodè ap paret intellectui, tunc temporis inter prædicata entis cognoscibilis, non datur distinctio realis, quia prædicata unius ejusdemq; entis identificantur sibi realiter adæquatè: ergo simul non distinguuntur realiter, etiam distinctione reali intentionali, seu graduali, ut à Bacconistis vocatur.

642. Dices 3tio. Certum est quòd in pariete albo, resultat quoddam esse relativum ad similia. Ergo pariter in objecto externo physico, potest resultare tale esse, ad intellectum.

643. Respondeo. Nego Antecedens, quia istius resultationis nullum est fundamentum: esse enim relativum sunt ipsa entia relata, & relativa: relatio autem entium relativorum juxta aliquos Authores identificatur fundamento, & termino: juxta alios autem, identificatur ipsi fundamento, in circumstantia termini.

644. Dices 4to. Ex natura cognoscitiva resultant diversæ virtutes, seu potentiæ intentionales, in ordine ad objecta cognoscibilia. Ergo etiam ex natura objecti cognoscibilis, resultant diversæ formalitates intentionales, seu cognoscibiles, in ordine ad ipsas potentias cognoscibiles.

645. Respondeo distinguendo Antecedens. Ex na-

tura cognoscitiva resultant, seu dimanant diversæ *per rationem distinctæ virtutes, & potentiæ* in ordine ad objecta cognoscibilia. Concedo Antecedens. Ex natura cognoscitiva resultant *diversæ, & realiter distinctæ virtutes, & potentiæ intentionales* in ordine ad objecta cognoscibilia. Nego Antecedens. Similiter distinguo Consequens. Ergo etiam ex natura objecti cognoscibilis resultant *diversæ per rationem formalitates intentionales.* Concedo Consequentiam. *Diversæ realiter absq; omni operatione intellectus.* Nego Consequentiam, ac dico: Certum est, quòd in natura cognoscitiva, *vg*: in anima rationali, dantur diversæ virtutes, seu potentiæ, in ordine ad objecta cognoscibilia, nempè datur intellectus, memoria, & voluntas, sed hæ virtutes & potentiæ, sunt idem realiter adæquatè cum anima: diversæ autem sunt, seu distinguuntur tantùm per rationem, non autem per distinctionem realem Bacconicam. Similiter in omni objecto cognoscibili dantur diversæ formalitates, sed hæ sunt tantùm diversæ per rationem, non autem per distinctionem realem Bacconicam.

646. Adverto argumentum immediatè à Bacconistis propositum, id tantùm probat, quòd in omni objecto cognoscibili, detur fundamentum distinctionis rationis, fieri solitæ per actus intellectûs, non probat autem id, quòd præter esse physicum, detur esse intentionale resultativum, ex esse physico, & diversum realiter ab esse physico.

647. Dices 5to. Virtus productiva specierum intentionalium sensibilium, subtilissima est, nec sensibûs percipitur, & tamen existit à parte rei in objecto sensibili. Deinde existentia substantiæ materialis, subtilissima est, nec sensibûs capitur (sensus enim sola accidentia sensibilia percipiunt, non substantiam, quia hæc, nec est visibilis, nec tangibilis, sed purè intelligibilis) & tamen certa est illius existentia, & sic de alijs. Ergo præter esse physicum

ſicum, datur etiam eſſe intentionale reſultativum, ex eſſe phyſico, quamvis ſenſibûs non percipiatur.

648. Reſpondeo 1mo nego ſuppoſitum, quòd ſpecies ſenſibiles, ſint intentionales, quia ſicut nego eſſe intentionale Bacconicum, ita nego ſpecies ſenſibiles, eſſe intentionales, in eodem ſenſu Bacconico. Reſpondeo 2do, & concedo, quòd detur à parte rei virtus productiva ſpecierum ſenſibilium: concedo item quòd certa ſit exiſtentia ſubſtantiæ materialis, ſed nego Conſequentiam, quòd detur eſſe intentionale in ſenſu, & acceptione DD. Bacconiſtarum. Diſparitas eſt, ideo datur virtus productiva ſpecierum ſenſibilium, quia experimur dari ſpecies ſenſibiles; deindè ideo datur ſubſtantia materialis, quia experimur accidentia illius, & ex accidentibus devenimus in cognitionem ſubſtantiæ: eſſe autem intentionale Bacconicum, non eſt virtus productiva aliquarum ſpecierum, neq; dantur ulla accidentia naturalia ex quibus illud inferamus, & cogamur admittere.

649. Adverto. Iſtud argumentum id tantùm probat, quod dentur talia entia, quæ ſenſibûs non percipiuntur, & hoc eſt veriſſimum: quia DEUS, Angeli, animæ rationales, & gratiæ ſupernaturales dantur, & tamen ſenſibûs non percipiuntur, nec percipi poſſunt: non probat autem id, quod detur eſſe intentionale, in ſenſu Bacconico acceptum.

650. Dices 6to. Cognitio repræſentans lapidem, eſt lapis in eſſe intentionali, non in eſſe phyſico. Ergo defacto datur eſſe intentionale. Confirmatur 1mo. Creaturæ 2dum eſſe intentionale objectivum, ſunt ab æterno, utpote à DEO cognitæ, & in Ideis Divinis repræſentatæ: jam verò 2dum eſſe phyſicum, ſunt factæ in tempore. Confirmatur 2do. Eſſe objectivum intentionale eſt commune ad ens reale, & ens rationis: jam verò eſſe phyſicum, eſt proprium entis realis.

651. Respondeo retorquendo 1mum Antecedens. Cognitio repræsentans lapidem, est lapis in esse intentionali, non in esse physico. Sed esse intentionale juxta Bacconistas, est esse reale independens ab actibus intellectus: Ergo cognitio repræsentans lapidem, est lapis in esse reali independente ab actibus intellectûs: quod nemo admittit. Respondeo 2do distinguendo Antecedens. Cognitio repræsentans lapidem, est lapis in esse intentionali *dependente ab intellectu, seu est imago lapidis, existens in intellectu.* Concedo Antecedens. Cognitio repræsentans lapidem, est lapis in esse intentionali *reali independente ab intellectu.* Nego Antecedens. Similiter distinguo Consequens. Ergo datur esse intentionale *independens ab intellectu.* Nego Consequentiam. Ergo datur esse intentionale *dependens ab intellectu.* Concedo Consequentiam, ac dico: Nemini dubium est, quòd detur esse intentionale dependens ab intellectu, & formatum, fabricatumq; ab intellectu, contradistinctum ab esse reali: esse tamen intentionale, reale, independens ab intellectu, & ejus operationibus, nullatenus datur.

652. Confirmationem primam distinguo. Creaturæ 2dum esse intentionale *dependens ab intellectu Divino,* sunt ab æterno, utpote à DEO cognitæ. Concedo Antecedens. Creaturæ 2dum esse intentionale *independens ab intellectu Divino* sunt ab æterno. Nego Antecedens, & Consequentiam, ac dico, verum est quòd creaturæ 2dum esse intentionale, sint ab æterno, sed hoc esse illarum dependet ab intellectu Divino, & cognitione illius: eo enim ipso, quia sunt à DEO cognitæ, & in ideis Divinis repræsentatæ, tunc dependent à cognitione DEI. De ratione enim Ideæ est, ut sit, existat intra intellectum, ut communiter docent Theologi, & præsertim Rmus Simon Makowski, qui in Tractatu III. de Scientia DEI, disp: 7. Art: 1. Corolla-

rollario 1mo dicit: *Idea est forma* (seu species intelligibilis) *objecta intellectui, intra ipsum existens, ad quam aspiciens artifex operatur.* Sicut ergo creaturæ in Ideis Divinis repræsentatæ, existunt ab æterno, seu imago illarum, ita existunt intra intellectum Divinum, adeoq: esse intentionale, & existentia illarum, dependet ab intellectu Divino. Creaturæ autem nullum habent, nec habebant tale esse intentionale ab æterno, quod non dependeret ab intellectu, & cognitione Divina, illas repræsentante. Confirmationis 2dæ. Nego Antecedens, quia ut jam probatum est, nullum datur esse intentionale reale, independens ab intellectu, & operationibus illius.

653. Dices 7mo. Esse physicum est illud, quod convenit rebus in se ipsis, nulla facta comparatione ad intellectum. Ita se habent *esse corporeum* respectu lapidis: *esse lucidum* respectu solis: *esse calidum* respectu ignis. Quia esse corporeum, non convenit lapidi, per ordinem ad intellectum, sed absolutè, & independenter à tali ordine. Esse intentionale est illud, quod convenit rebus per ordinem ad potentias cognoscitivas. Ergo datur esse intentionale in sensu Bacconico acceptum.

654. Respondeo. Transeat prima pars Antecedentis, quia esse physicum, meliùs, & clariùs sic definitur. Esse physicum est illud, quod convenit rebus à parte rei, seu realiter independenter ab omni operatione intellectus. 2dam partem Antecedentis nego, quia præfata definitio esse intentionalis, non est recta, quia competit etiam esse intentionali illi, quod fit per actus intellectûs: siquidem tali esse intentionali convenit rebus, per ordinem ad potentias cognoscitivas, per quas fit, & formatur. Ergo esse intentionale definitivè est illud, quod convenit rebus dependenter ab operatione intellectûs. Unde dicto argumento, nego Consequentiam..

659.

655. Dices. Doctissimus P. Suarez, libr: 2. de Angelis, cap: 3. nro 24. agnoscit præter esse physicum, etiam esse intentionale objectivum, dum inquit: *Species non sunt similes objectis in esse naturali, sed in esse repræsentativo, vel non sunt similes naturaliter, sed intentionaliter.* Ergo præter esse physicum, admittendum est esse intentionale reale independens ab actibus intellectus.

656. Respondeo nego Antecedens, quia idem Doctissimus Suarez Tom: 1. 3tia part: disp: 24. lect: 2. concl: versu: *Hæc ratio*: hanc distinctionem *inter esse physicum, & intentionale*, dicit *gratis confictam, & vix intellegibilem.* Dum verò idem Doctissimus Suarez dicit, species non esse similes naturaliter, sed intentionaliter: Ly *intentionaliter* intelligendum est, de *esse intentionali per rationem, dependenter ab actibus intellectus*: non autem de *esse intentionali reali, independente ab actibus intellectûs.* Deinde non est credibile, ut ex una voce *intentionaliter*: censeamus Doctissimum Suarez, tenuisse DD. Bacconistarum sententiam, quam semel dixit esse *confictam, & vix intelligibilem.* Et hæc sunt fundamenta pro esse intentionali reali resultativo ex esse physico, quod Doctissimi Bacconistæ adstruunt, quæ fundamenta cum sint dissoluta, ideo pro illo admittendo, nullum fundamentum.

657. Infertur ex dictis. Quoniam præter esse physicum, non datur esse intentionale reale independens ab actibus intellectûs, ut hactenus probatum est: proinde non datur & distinctio intentionalis realis Bacconica.

ARTICVLVS XLVIII.

Adferuntur ulteriores Probationes contra Distinctionem Bacconicam.

658. PRobatur 3tio. Si daretur distinctio Bacconica,

nica, tunc & esset intentionalis, ut supponitur, & docetur à Bacconistis, & non esset intentionalis. Sed hoc implicat. Ergo &c. Probatur Sequela majoris quo ad 2dã partem. Universaliter illa distinctio est intentionalis, quæ dependet ab intentione seu cognitione intellectûs. Sed distinctio Bacconica non dependet ab intentione, seu cognitione intellectûs. Ergo &c. Major patet ex terminis: nam omne illud vocatur intentionale, quod dependet ab intentione, seu cognitione intellectûs, sicut omne illud voluntarium dicitur, quod dependet à voluntate, & omne illud vocatur memorativum, quod dependet à memoria. Ergo etiam omne illud vocatur intentionale, quod dependet ab intentione, seu cognitione intellectûs. Præterea eadem major constat ex inductione omnium distinctionum intentionalium factarum per actus intellectûs. Minor etiam patet, quia distinctio Bacconica, reperitur inter extrema ante omnem operationem, seu considerationem intellectûs, ut docent Bacconistæ.

659. Dices. Distinctio Bacconica, non in eo sensu vocatur intentionalis, quasi verò sit dependens ab intentione, seu cognitione, vel operatione intellectûs; sed ideo, quia reperitur inter extrema, *pensato ordine ad intellectum*: nam si animal, & rationale, consideremus in linea intelligibili, intentionali, conceptibili, respectivè ad intellectum, tunc animal, & rationale, apparent ut plures formalitates intentionales.

660. Contra est: Hæc pensatio, seu ordo ad intellectum vel fit per aliquem actum intellectûs? vel non fit? Si fit per actum intellectûs? ergo distinctio Bacconica, est dependens ab actu intellectûs, quod est contra Bacconistas. Si non fit per actum intellectûs? Ergo nullô modô est intentionalis: quia nullo modo dependet ab intentione, seu actu, vel cognitione intellectûs, neq; ullo modo fit per intentionem, seu cognitionem intellectûs.

661. Neq; diſtinctio Bacconica poteſt ex inde vocari intentionalis, quia eſt penſato ordine ad intellectum, ſeu quia dicit ordinem ad intellectum, quia multa dicunt ordinem ad intellectum, & tamen non ſunt intentionalia: ſic omne ens verum, ſub ratione veri, dicit ordinem ad intellectum, quia eſt ab intellectu cognoſcibile, & tamen omne ens verum, non eſt intentionale, & multa reperiuntur in rebus penſato ordine ad intellectum: & tamen non ſunt, nec dicuntur intentionalia.

662. Adverto: Quando diſtinctio Bacconica vocatur: *Intentionalis*: tunc quæro, unde vox iſta: *Intentionalis* derivatur? & omnino reſponderi debet à Bacconiſtis, quòd derivetur ab iſta voce: *Intentio*. Habita iſta reſponſione, quæro ulteriùs, quid hìc per intentionem intelligatur, an actus intellectûs, an voluntatis? Non intelligitur actus voluntatis, quia diſtinctio Bacconica, non dicitur eſſe penſato ordine ad voluntatem. Ergo per vocem: *Intentio*, debet intelligi actus intellectûs? Ergo diſtinctio Bacconica vocatur: *Intentionalis* ab actu intellectûs. Ergo dependet ab intellectu. Ergo ulteriùs non eſt realis rigorosè, quòd eſt contra Bacconiſtas. Unde dum diſtinctio Bacconica appellatur: *Intentionalis*, hæc appellatio eſt improprijſſima: quia illud tantùm appellatur, verè & propriè intentionale, quod dependet ab intellectu, & fabricatur, ſeu fit per eundem intellectum.

663. Probatur 4to. Si daretur diſtinctio Bacconica, tunc non eſſet in linea phyſica abſoluta, ùt docetur à Bacconiſtis, & ſimul eſſet in linea phyſica abſoluta. Sed hoc involvit contradictionem. Ergo &c. Probatur ſequela majoris quoad 2dam partem. Univerſaliter omnis illa diſtinctio eſt in linea phyſica abſoluta, quæ reperitur inter extrema, ante omnem conſiderationem intellectûs, ſed diſtinctio Bacconica reperitur, inter extrema, ante omnem

omnem considerationem intellectûs, ut docent DD. Bacconistæ. Ergo &c. Minor est certa apud Bacconistas. Major probatur inductione, omnium distinctionum realium: Sic *vg:* Distinctio inter DEUM, & creaturam, inter cælum, & terram, inter hominem, & lapidem, & sic de alijs, est in linea physica absoluta, quia reperitur inter extrema, ante omnem considerationem intellectûs. Proinde cum distinctio Bacconica detur inter animal, & rationale *vg:* Petri, ante omnem considerationem intellectûs, tunc eo ipso est in linea physica absoluta.

664. Dices. Omnis distinctio quæ reperitur inter extrema ante omnem considerationem intellectûs, *& non pensato ordine ad intellectum,* est distinctio in linea physica absoluta: quæ autem distinctio reperitur inter extrema ante omnem considerationem intellectûs, tamen *est pensato ordine ad intellectum*, illa non est in linea physica absoluta. Porro talis est distinctio Bacconica, quæ licèt sit, & reperiatur inter extrema, ante omnem considerationem intellectûs, tamen est pensato ordine ad intellectum, adeoq; non est in linea physica absoluta.

665. Respondeo. Eo ipso, quia distinctio Bacconica, est ante omnem considerationem intellectûs, tunc non est pensato ordine ad intellectum, seu non dicit ordinem ad intellectum. Ergo responsio non subsistit.

666. Probatur Antecedens. Eo ipso, quia distinctio, *vg:* inter hominem, & lapidem, est ante omnem considerationem intellectûs, tunc non est pensato ordine ad intellectum, ut nemini dubium. Ergo pariter quia distinctio Bacconica, est ante omnem considerationem intellectûs, tunc non est pensato ordine ad intellectum. Consequentia probanda omnimoda paritate, deinde distinctio Scotistica non est pensato ordine ad intellectum. Ergo & distinctio Bacconica non est pensato ordine ad intellectum.

Probanda Consequentia illîs paritatibûs; quæ habentur in probatione 10ma.

667. Dices: Longa, & magna disparitas est distinctionis inter hominem, & lapidem, à distinctione Bacconica, quia distinctio inter hominem, & lapidem, est inter res diversas, disparatas, & non identificatas, jam autem distinctio Bacconica, est inter formalitates unius ejusdēq; rei, secum realiter adæquatè identificatas.

668. Respondeo: Distinctio Scotistica est inter formalitates unius ejusdemq; rei, & tamen à DD. Bacconistis censetur esse in linea physica. Ergo etiam quamvis distinctio Bacconica sit inter formalitates unius ejusdemq; rei, tamen est in linea physica. Subsumo. Sed distinctio in linea physica non est pensato ordine ad intellectū. Ergo & distinctio Bacconica non est pensato ordine ad intellectum.

669. Respondeo 2do. Admissô hôc semel, quòd inter formalitates unius ejusdemq; entis daretur distinctio Bacconica, tunc prædictæ formalitates non minus distinguerentur, quàm distinguitur homo, & lapis. Sed hoc implicat. Ergo implicat distinctio realis Bacconica inter formalitates unius ejusdemq; rei. Probatur sequela majoris. Distinctioni reali Bacconicæ nihil deest ad hoc, ut per illam taliter distinguantur formalitates, sicut distinguitur homo, & lapis. Probatur Antecedens. Distinctio Bacconica est ita simpliciter, & in rigore distinctio realis, sicut est distinctio inter hominem, & lapidem. Ergo &c. Antecedens constat ex verbis Elisei Garciæ dicentis de distinctione Bacconica: *Est enim in rigore distinctio realis*, ut patet ex toties dictis supra.

670. Probatur 4to. Si daretur distinctio Bacconica, tunc esset independens ab omni consideratione intellectûs, & simul esset dependens à consideratione intellectûs.
Sed

Sed hoc repugnat. Ergo &c. Prima pars sequelæ certa est apud Bacconistas, 2da pars probatur. Ad distinctionem Bacconicam, requiritur aliqua consideratio intellectûs. Ergo &c. Probatur Antecedens. Doctissimus Eliseus Garcia proponendo varias differentias distinctionis Bacconicæ, à Scotistica, inter alia inquit: *In sententia Resoluti Doctoris animal, & rationale si considerentur absolutè, & in linea physica, sunt omnino idem* &c. *Quare in linea physica nullas invenit Resolutus Doctor formalitates. Si autem considerentur animal, & rationale, in linea intentionali, intelligibili, respectivè ad intellectum, sunt formalitates realiter, formaliter distinctæ in linea cognoscibili: quia scilicet in eadem entitate reperiuntur plures formalitates intentionales, per ordinem ad diversas cognitiones.* &c. ut videri potest in præsupposito 4to. Ergo ad distinctionem Bacconicam, requiritur aliqua consideratio intellectûs: ut colligi potest ex illis verbis: *Si autem considerentur animal & rationale* &c. & ex illis: *Per ordinem ad diversas cognitiones*: adeoq; infero, quòd ibi interveniat, tam consideratio, quàm diversæ cognitiones. Si autem ad distinctionem Bacconicam, interveniat consideratio, & diversæ cognitiones, tunc distinctio Bacconica, non est absq; omni consideratione, & cognitione intellectûs, adeoq; non est ante omnẽ considerationem, & operationem intellectûs.

671. Adverto 1mo. Quando Eliseus Garcia dicit illa verba: *Si autem considerentur animal, & rationale, in linea intentionali, intelligibili, respectivè ad intellectum, sunt formalitates realiter, formaliter distinctæ, in linea cognoscibili: quia scilicet in eadem entitate reperiuntur plures formalitates intentionales, per ordinem ad diversas cognitiones*: quando inquam dicit hæc verba: tunc ex consideratione animalis, & rationalis, infert formalitates realiter distinctas, adeoq; infert distinctionem realem, formalem. Porro ex consideratione animalis, & rationalis, potiùs infertur, & inferri debet

 distin-

distinctio rationis, seu distinctio facta per considerationem, quàm distinctio realis formalis. Deinde si consideretur animal, & rationale in linea intentionali, confitetur idem Author, quòd ibi in eadem entitate reperiantur plures formalitates intentionales, per ordinem ad diversas cognitiones. Ex quo infero, quòd dum animal, & rationale considerantur, tunc ibi dantur diversæ cognitiones: ex hac autem diversitate cognitionum infero, quòd dum animal, & rationale considerantur in illa linea intentionali, tunc per has diversas cognitiones, fit distinctio animalis, & rationalis.

672. Tandem confitetur idem Author, quòd dum animal, & rationale, existit in linea physica, tunc est omnino idem, & nullæ ibi reperiuntur distinctæ formalitates. Si autem animal, & rationale, consideretur in linea intentionali, intelligibili, respectivè ad intellectum, tunc modoprimùm sunt formalitates distinctæ. Quæro igitur, per quid animal, & rationale in linea intentionali existens, fiunt formalitates distinctæ: Non per lineam intentionalem: quia hæc non habet vim, & virtutem distinguendi istas formalitates, vel si habet, tunc hujus virtutis, deberet ostendi fundamentum à DD. Bacconistis: hoc autem nullum ostenditur. Non per naturam, seu non ex natura rei, quia ex natura rei, prædictæ formalitates animal, & rationale, sunt idem realiter adæquatè in linea physica, ut concedit idem Author. Si ergo animal, & rationale, sunt idem realiter ex natura rei in linea physica, quomodo iterum ex natura rei possunt distingui realiter, in linea intentionali? cum animalis, & rationalis, una, eadéq; est natura, tam in linea physica, quàm in linea intentionali: unde si animal, & rationale, sunt semel idē secū realiter adæquatè, ex natura rei, non possunt esse distincta realiter adæquatè, ex natura rei. Tandem animal, & rationale in

linea

linea intentionali considerata, non distinguuntur per aliquid aliud, quia hoc à DD. Bacconistis ostendi non potest. Ergo prædictæ formalitates, distinguuntur per illã considerationem, quã supponuntur considerari. Quodsi distinguuntur per considerationem, ergo distinguuntur per rationem. Ergo non realiter.

673. Dices: Quòd animal, & rationale, sint diversæ formalitates, ex natura rei in linea intentionali, provenit hoc ab ordine ad intellectum, quem ordinem dicit animal, & rationale, consideratum in linea intentionali. Sed contra est. Animal, & rationale, etiam in linea physica, sumptum, dicit ordinem ad intellectum, & tamen juxta Bacconistas, animal, & rationale in prædicta linea physica, non sunt distinctæ entitates, seu formalitates ex natura rei. Ergo pariter licèt animal, & rationale, in linea intentionali sumptum, dicat ordinem ad intellectum, tamen adhuc animal, & rationale non erunt distinctæ formalitates ex natura rei in eadem linea intentionali. Consequentia evidens propter paritatem rationis. Antecedens probatur primo. Animal, & rationale, etiam in linea physica, sumptum, est cognoscibile ab intellectu. Ergo dicit ordinem ad intellectum.

674. Probatur 2do Antecedens. Ordo ad intellectum identificatur cuilibet enti reali, etiam in linea physica sumpto. Ergo quodlibet ens etiam in linea physica sumptum, dicit ordinem ad intellectum. Probatur Antecedens. Relatio cujuslibet entis identificatur enti relato, etiam in linea physica sumpto, sicut distinctio entium positivorum, identificatur cuilibet enti positivo. Sed prædictus ordo ad intellectum in re, est relatio ad eundem intellectum. Ergo &c. Probatur Major. Nullum est fundamentum, & nulla necessitas distinguendi relationem, ab ente relato. Ergo &c.

675. Deinde: Quando animal, & rationale, in linea intentionali sumptum, dicit ordinem ad intellectum, tunc intellectus non facit distinctionem inter animal, & rationale, ut docent Bacconistæ, quia alias illorum distinctio, esset dependens ab intellectu (quod illi fortissimè negant) ordo etiam ille, quem animal, & rationale dicit ad intellectum, certè non facit illam distinctionem inter animal, & rationale, ut in sequenti immediatè probatione deducetur.

676. Adverto 2do. Quando dicitur, quòd animal, & rationale in linea intentionali consideratum, sint distinctæ formalitates: quæro ex Doctissimis Bacconistis ubinã prædicta linea intentionalis resideat, & consistat: ubinam habeat locum, sedem, cubiculum, quietem, & nidum suum? quælibet enim res, adeoq; & linea intentionalis, debet habere locum, & nidum suum, juxta illud Psal: 83. *Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, ut ponat pullos suos.*

677. Non potest dici, quòd pullus iste DD. Bacconistarum, nempe linea intentionalis, habeat locum in objecto externo physico: quia objectum externum physicum, est locus proprius lineæ physicæ: non potest dici, quòd habeat locum quendam medium, inter objectum externum physicum, & inter intellectum, quia pro hoc nullum est fundamentum positivum, & convictivum, siquidem hoc ostendi non potest. Deinde sicut probavimus, quòd nullum detur esse intentionale, medium inter esse physicum, & inter esse rationis, ita negamus, quòd linea intentionalis habeat quendam medium locum inter objectum physicum, & inter intellectum. Ergo restat, ut prædicta linea intentionalis habeat locum in intellectu.

678. Quòd si prædicta linea intentionalis habet locum in intellectu, tunc est effectus, & partus illius, consequenter prædicta linea intentionalis, non est realis, sed depen-

dependens, & formata ab intellectu. Dum ergo animal, & rationale sunt distinctæ formalitates in linea intentionali, tunc eo ipso, sunt distinctæ per intellectum, & in intellectu.

679. Probatur 5to. Si daretur distinctio Bacconica, tunc esset illa, quæ reperitur inter extrema pensato ordine ad intellectum, sed distinctio Bacconica, non est pensato ordine ad intellectum. Ergo &c. Minor probatur. Si distinctio Bacconica esset pensato ordine ad intellectũ, tunc deberet ostendi à Bacconistis, ad quid prosit, & conducat ista pensatio, relatio, & ordo ad intellectum? Sed non potest ostendi, ad quid prosit, & conducat. Ergo &c. Minor probatur. Distinctio Bacconica est ante omnem considerationem intellectûs, ut ipsi docent Bacconistæ. Ergo &c.

680. Dices. Pensatio, relatio, & ordo distinctionis Bacconicæ, ad intellectum, prodest ad hoc, ut distinctio Bacconica differat à Scotistica, per hoc enim distinctio Bacconica differt à Scotistica, quia Bacconica est pensato ordine ad intellectnm, Scotistica verò, est nullo pensato ordine ad intellectum.

681. Respondeo. Relatio, & ordo Patris, ad Filium, non facit essentialiter specificè differre Patrem, à Filio, ergo etiam, & ordo distinctionis Bacconicæ ad intellectum, non facit essentialiter specificè differre, distinctionem Bacconicam à distinctione Scotistica. Quæcunq; ratio probat, quod relatio, & ordo Patris, ad Filium non faciat specificè differre Patrem, à Filio: eadem ratio probat, quòd relatio, & ordo distinctionis Bacconicæ ad intellectum, non faciat differre specificè distinctionem Bacconicam, à distinctione Scotistica Ergo si &c. Confirmatur. Sola relatio, & ordo distinctionis rationis ad intellectum, non facit illam essentialiter specificè differre, ab omni alia distin-

stinctione, sed distinctio rationis differt essentialiter specificè, per hoc quòd fiat, & fabricetur ab intellectu. Ergo pariter sola relatio, & ordo distinctionis Bacconicæ ad intellectum, non facit illam differre essentialiter specificè ab omni alia distinctione, consequenter, & à distinctione Scotistica. Sed de hoc plura dicentur inferiùs in probatione ulteriori. Consequentia ita est probanda sicut est probata immediatè superiùs.

682. Adverto. Etiamsi distinctio Bacconica diceret ordinem ad intellectum, & etiamsi reperiretur inter extrema pensato ordine ad intellectum, tamen est in linea physica, quod sic probatur. Ordo ad intellectum, quem dicit distinctio Bacconica, nihil impedit, ut distinctio Bacconica, sit in linea physica. Ergo distinctio Bacconica est in linea physica. Probatur Antecedens. Ordo quem dicit, seu habet distinctio Bacconica ad intellectum, est physicus. Ergo &c. Probatur Antecedens. Ordinem illum non facit, nec fabricat intellectus. Ergo &c. Probatur Antecedens. Si ordinem illum fabricaret intellectus, tunc distinctio Bacconica fieret per intellectum, sed non fit, ut docent ipsi DD. Bacconistæ. Ergo &c. Probatur Sequ: majoris. Distinctio Bacconica consistit in ordine ad intellectum, ut constat ex definitione illius. Ergo si &c.

683. Confirmatur 1mo. Ordo seu relatio Patris, ad Filium, nihil impedit ut distinctio Patris, à Filio sit in linea physica. Ergo pariter ordo, seu relatio distinctionis Bacconicæ ad intellectum, nihil impedit, ut distinctio Bacconica, sit in linea physica. Antecedens est certum. Consequentia probanda omnimoda paritate: & intimior, seu magis propria est, relatio Patris, ad Filium, quam relatio, seu ordo distinctionis Bacconicæ, ad intellectum.

684. Confirmatur 2do. Quamvis detur ordo, seu relatio Patris, ad Filium, tamen distinctio Patris, à Filio, non est

est minor, quàm distinctio hominis à lapide, licèt inter hominem & lapidem nulla detur relatio. Ergo pariter quamvis detur ordo, seu relatio distinctionis Bacconicæ ad intellectum, & non detur similis ordo distinctionis Scotisticæ ad intellectum, tamen distinctio Bacconica, non est minor, quàm Scotistica.

685. Confirmatur 3tio. Non repugnat ut distinctio inter hominem & lapidem, dicat ordinem ad intellectum, quæ enim in hoc repugnantia? Sed ille ordo distinctionis prædictæ ad intellectum, non impediret, ut distinctio inter hominem & lapidem, sit in linea physica. Ergo pariter ordo distinctionis Bacconicæ ad intellectum, nihil impedit, ut distinctio Bacconica sit in linea physica.

ARTICVLVS XLIX.

In quo proponuntur ulteriores probationes contra Distinctionem Bacconicam.

686. PRobatur 6to. Si daretur distinctio Bacconica, tunc differret à distinctione Scotistica, ut volunt Bacconistæ, & simul non differret. Sed hoc repugnat. Ergo &c. Probatur 2da pars. Totus conceptus definitivus distinctionis Bacconicæ, competit etiam distinctioni Scotisticæ. Ergo &c. Probatur Antecedens. Doctissimus Jòánnes Bacconius Author prædictæ distinctionis, quodlibeto 3tio, quæst: 6. Art: 4. §. 4. dividendo distinctiones entium, sic inquit: *Triplex est divisio entium: quædam totaliter fit ab intellectu* (ecce distinctio rationis) *quædam ita, quòd sit in re extra*, (ecce distinctio realis) *quædam ita, quòd eorum distinctio, non est ab intellectu fabricata, nec ita, ut distinctio eorum, consistat in rebus diversis, sed ita, quòd eadem res, per naturam suam nata est concipi diversimodè ab intellectu, & talis distinctio, vocari consvevit à Doctori-*

bus distinctio intentionalis, & potest vocari distinctio in esse conceptibili, seu intelligibili, sivè repræsentativo. Talis est de qua sermo. Sed totus conceptus definitivus distinctionis Bacconicæ, competit distinctioni Scotisticæ. Ergo &c.

687. Probatur Minor. Conceptus definitivus distinctionis Bacconicæ, in allato textu expressus, est hic: *Quædam* (nempe distinctio) *ita, quòd eorum distinctio non est ab intellectu fabricata, nec ita, ut distinctio eorum consistat in rebus diversis, sed ita, quòd eadem res, per naturam suam nata est concipi diversimodè ab intellectu.* Sed hic totus conceptus distinctionis Bacconicæ, competit etiam distinctioni Scotisticæ. Ergo &c.

688. Probatur Minor. Distinctio Scotistica, non est fabricata ab intellectu, quia juxta suos Authores, est distinctio nemine cogitante: pariter distinctio Scotistica, non consistit in rebus diversis, quia est tantùm inter formalitates, unius ejusdem rei, tandem distinctio Scotistica, est ita, quòd eadem res, per naturam suam nata est concipi diversimodè ab intellectu: siquidem distinctio Scotistica, fundatur in hoc, quòd formalitates unius ejusdemq; rei, sint diversimodè conceptibiles, & definibiles, ex hac diversimoda conceptibilitate, & definibilitate formalitatum unius ejusdemq; rei, infertur distinctio Scotistica. Ergo &c.

689. Tandem distinctio Bacconica, juxta Bacconistas, & Eliseum Garciam distin: 2. quæst: 1. Art: 3. §. 1. ñro 480 est illa, quæ reperitur à parte rei, per ordinem ad intellectum, qualis reperitur inter animal, & rationale. Sed hæc definitio, competit etiam distinctioni Scotisticæ. Ergo &c. Minor probatur. Etiam distinctio Scotistica reperitur inter extrema à parte rei, juxta suos Authores, pariter distinctio Scotistica est, & reperitur inter extrema, per ordinem ad intellectum, quia per ordinem

ad

ad diversas definitiones formalitatum, unius ejusdemq; rei, quæ definitiones, non fiunt sine intellectu. Ergo &c.

690. Dices: Præter id, quòd distinctio Bacconica habet, & dicit ordinem ad intellectum, multis aliis differt à distinctione Scotistica, ùt docet Eliseus Garcia, dum inquit: *Differt ergo distinctio intentionalis Bacconica, à distinctione formali Scotistica, quia Scotistica est de linea physica, Bacconica verò de linea intentionali, Scotistica est distinctio absoluta formalitatum in se ipsis, Bacconica verò est distinctio relativa ad intellectum. Scotus invenit formalitates distinctas in objecto externo; & physicè existente: Bacconius in objecto externo, ut physicè existente, non invenit formalitates distinctas, sed entitates formaliter identificatas, & solùm agnovit formalitates distinctas in objecto externo, secundùm esse intentionale, quatenus est diversimodè conceptibile ab intellectu. Insuper formalitates Scotisticæ sunt subjectivæ, quia conveniunt rebus, secundùm esse objectivum absolutum, de linea physica: at verò formalitates Bacconicæ, sunt purè objectivæ, quia conveniunt rebus secundùm esse objectivum, sive obijcibile intellectui, quatenus scilicet sunt objecta ab intellectu cognoscibilia.* Hactenus Eliseus Garcia, ùt supra dictum in præsupposito 4to.

691. Respondeo. Differentia ultima cujuscunq; rei, debet desumi ex essentiali definitione ejusdem rei, ùt certum apud omnes. Sed differentiæ distinctionis Bacconicæ ab Eliseo Garcia immediatè assignatæ, non reperiuntur in definitione essentiali distinctionis Bacconicæ (excepta differentia de ordine ad intellectum.) Ergo prædictæ differentiæ, non sunt admittendæ. Probatur minor. Definitio distinctionis Bacconicæ juxta Eliseū Garciā est hæc: *Distinctio intentionalis Bacconica est, quæ reperitur inter extrema per ordinē ad intellectū*, ùt patet dist: 2. quæst: 1. Art: 3. §. 1. ñro 480. Sed in hac definitione, non reperiuntur prædictæ omnes differentiæ. Ergo &c. Pariter in definitione Doctis-

ctissimi Joánnis Bacconij non reperiuntur prædictæ differentiæ, ùt constat ex præsupposito 4to. Ergo &c. Vel tandem si differentiæ ab Eliseo Garcia assignatæ, nihil aliud sonant, & significant, nisi ordinem ad intellectum, tunc illæ non sunt plures nisi una, porro ordo ad intellectum non facit specificè differre distinctionem Bacconicam, à distinctione Scotistica, ùt supra probavimus. Breviùs loquendo: differentiæ assignatæ ab Eliseo Garcia, sunt ipsissima verba Synonyma, adeoq; non sunt plures differentiæ essentiales, sed plura verba idem significantia. Præterea differentiæ rerum consistunt in verbis paucissimis, ùt constat inductione: in differentiis autem assignatis ab Eliseo Garcia agglomerata sunt plurima verba & phrases, quod est contra Regulas dialecticas.

692. Probatur 7mo. Si daretur distinctio Bacconica, tunc deberet differre à distinctione rationis ratiocinatæ, quæ fit per intellectum. Sed non differt. Ergo &c. Probatur Minor. Specialis, & ultima differentia distinctionis Bacconicæ, à suis defensoribus datur hæc: *quòd sit pensato ordine ad intellectum.* Sed etiam distinctio rationis ratiocinatæ, fieri solita per intellectum, est pensato ordine ad intellectum. Ergo &c. Major patet ex præsupposito 4to, ñro 628, ubi differentia distinctionis Bacconicæ, à distinctione Scotistica, assignatur hæc, quòd distinctio Bacconica sit pensato ordine ad intellectum, non autem distinctio Scotistica. Porro præfata differentia, debet esse talis, ut per illam distinctio Bacconica, differat ab omni alia distinctione. Minor etiam patet: Nam dum distinctio rationis ratiocinatæ, fit per actum intellectûs, tunc eô ipsô est pensato ordine ad intellectum. Ergo &c.

693. Præterea distinctio Bacconica vocatur relativa ad intellectum, pariter distinctio rationis ratiocinatæ, vocatur

catur, & est relativa ad eundem intellectum, quia fit per eundem intellectum. Distinctio Bacconica vocatur in linea intentionali, conceptibili, cognoscibili, obijcibili, intelligibili, repræsentabili; porro hæ omnes denominationes, competunt etiam distinctioni rationis ratiocinatæ, dum enim formalitates, & prædicata unius ejusdemq; rei, repræsentantur, & obijciuntur intellectui, dum cognoscuntur, concipiuntur, intelliguntur, & intenduntur ab intellectu, tunc temporis intellectus noster, facit distinctionem rationis ratiocinatæ, in linea intentionali, conceptibili, cognoscibili, obijcibili, intelligibili, & repræsentabili. Ergo &c.

694. Dices: Non esse mirum, quòd denominationes distinctionis Bacconicæ, competant distinctioni rationis, quia etiam distinctio Bacconica in aliquo sensu est distinctio rationis, ut sentit Eliseus Garcia, dicens: *Dicitur autem distinctio rationis, quia convenit objecto externo, respectivè ad cognitionem.*

695. Contra est: Distinctio Bacconica est contradistincta à distinctione rationis, quia est in rigore realis, & ante omnem considerationem intellectûs. Ergo impropriè, & abusivè vocatur distinctio rationis, vel si est distinctio rationis, tunc non est realis. Tandem à solo respectu, & ratione ad cognitionem, non potest vocari distinctio rationis, quia multa referuntur ad cognitionem, & tamen non dicuntur entia rationis, ut supra deductũ est.

696. Adverto. Quando DD. Bacconistæ adstruunt, suam distinctionem formalem ex natura rei, realem, intentionalem, tunc totus eorum conatus & labor consistit in hoc, ut ostendant differentiam distinctionis Bacconicæ, à Scotistica, ut constat ex præsupposito 4to. Principalem ergo differentiam ostendunt hanc, quòd distinctio Scotistica sit in linea physica, distinctio autem Bacconica

sit

sit in linea intentionali. Hanc differentiam libenter acceptaremus, si DD. Bacconistæ probarent, ex principiis DD. Scotistarum, quòd distinctio Scotistica sit in linea physica. Sed cum hanc differentiam non probent, ex principiis DD. Scotistarum, nec probare possunt, ideo prædictam differentiam nemo tenetur admittere: consequenter prædicta differentia, quæ assignatur à DD. Bacconistis, non habet ullam vim, & authoritatem. Hâc autẽ differentiâ sublatâ, distinctio Bacconica est omnino idem cum distinctione Scotistica, ùt jam præcedentibus numerîs ostendimus. Ut ergo DD. Bacconistæ efficaciter ostendant, quòd distinctio Bacconica, differt à distinctione Scotistica, debent id convictivè probare, ex ipsissimis principiis, & doctrina DD. Scotistarum: siquidem illi nunquam id docent, neq; hîs terminîs loquuntur, quòd sua distinctio sit in linea physica.

697. Adverto item: Licèt DD. Scotistæ admittant distinctionem formalem ex natura rei, tamen eam nunquam dicunt esse in rigore realem; Doctissimi autem Bacconistæ suam distinctionem formalem ex natura rei, docent esse in rigore realem ut patet ex nro 631, ubi dicitur de distinctione Bacconica: *Est enim in rigore distinctio realis:* Ergo potiùs distinctio Bacconica, est in linea physica, quàm distinctio Scotistica, quia videtur magis esse realis, quàm distinctio Scotistica.

698. Probatur 8vo. Sicut entia, ita & distinctiones entium, non sunt multiplicandæ sine necessitate. Sed si daretur distinctio Bacconica in linea intelligibili, cognoscibili, objicibili, repræsentabili, intentionali, seu pensato ordine ad intellectum, tunc distinctiones entium multiplicarentur sine necessitate. Ergo &c. Major certa apud omnes, sequela minoris probatur. Nulla est necessitas

ſitas, ut inter formalitates unius ejusdemq; rei, detur diſtinctio formalis realis in linea viſibili, penſato ordine ad potentiam viſivam. Sed ſi daretur diſtinctio Bacconica in linea intelligibili, &c. tunc ſequeretur dari diſtinctionem formalem, ex natura rei, realem in linea viſibili, penſato ordine ad potentiam viſivam. Ergo &c. Minor probatur. Quæcunq; ratio probat dari diſtinctionem Bacconicam, in linea intelligibili, penſato ordine ad intellectum, eadem & ſimilis ratio probat dari & diſtinctionem formalem, realem ex natura rei, in linea viſibili, penſato ordine ad potentiam viſivam. Ergo ſi &c.

699. Probatur Antecedens: Ideo juxta Jòánnem Bacconium, ejusq; Sequaces, datur diſtinctio realis formalis in linea intelligibili, &c: quia una, & eadem res, per naturam ſuam nata eſt diverſimodè concipi ab intellectu. Sed etiam una eademq; res, nata eſt diverſimodè videri, à potentia viſiva. Ergo ſi daretur diſtinctio in linea intelligibili, debebit etiam dari in linea viſibili. Ergo ulterius quæcunq; ratio probat &c.

700. Major patet ex doctrina & verbis Jòánnis Bacconij, qui ſuam diſtinctionem fundat in eo, *quòd eadem res per naturam ſuam, nata eſt diverſimodè concipi ab intellectu*, ut legi poteſt in præſup: 4to ad finem.

701. Minor etiam certa eſt, ac evidens: quia ſicut unam eandem rem, poſſumus diverſimodè concipere, ita unam eandemq; rem, poſſumus diverſimodè videre, ut conſtat experientiâ. Probatur & illuſtratur eadem Minor, Exemplô Columbæ (quô exemplô utitur Jòánnes Bacconius, ut videri poteſt in præſuppoſito 5to, ñro 633, in cujus collo, juxta communem ſententiam) unus tantùm color reperitur, & tamen incidente luce, repræſentantur viſui varij colores. Ecce ſimplex color in eſſe phyſico, multiplex in eſſe obijcibili, ſeu repræſentabili, repræſen-

tati-

tativè ad visum. Hoc idem fusiùs explicat Resolutus Doctor, exemplô Sanctissimæ Faciei Christi Domini. Facies enim Christi Domini, eadem semper manens, apparebit in die Judicij reprobis horribilis, Justis verò serena, & affabilis: ecce eadem Facies in esse absoluto, apparet multiplex in esse obijcibili, seu repræsentabili. Hactenus Joánnes Bacconius. Ergo una eademq; res, nata est diversimodè videri à potentia visiva.

702. Propter similem rationem, ultra distinctionem in linea intelligibili, sequitur dari distinctionem in linea gustabili, pensato ordine ad potentiam gustativam, item sequeretur dari distinctionem in linea odorabili, pensato ordine ad potentiam odorativam: item sequeretur dari distinctionem in linea audibili, pensato ordine ad potentiam auditivam: item sequeretur dari distinctionem in linea volibili, pensato ordine ad potentiam volitivam, seu ad voluntatem: item sequeretur dari distinctionem in linea memorativa, pensato ordine ad potentiam memorativam, seu ad memoriam, tandem sequeretur dari distinctionem in linea risibili per ordinem ad potentiam risivam, quod tali probatur argumento.

703. Ideo juxta Bacconistas datur distinctio in linea intelligibili, cognoscibili &c: quia una & eadem res, nata est diversimodè concipi ab intellectu. Sed etiam una eademq; res, nata est diversimodè gustari à potentia gustativa: una eademq; res, nata est diversimodè odorari à potentia odorativa: item una eademq; res, nata est diversimodè audiri, à potentia auditiva: item una eadēq; res, nata est diversimodè appeti, à potentia volitiva, tandem una eademq; res, nata est diversimodè percipi, à potentia memorativa, item una eademq; res, nata est diversimodè rideri, à potentia risiva. Ergo &c.

704. Major certa apud Bacconistas, Minor probatur nul-

nullitate repugnantiæ: nulla enim est repugnantia in hoc, ut potentia gustativa in una eademq; re, sentiat diversos gustus: ut potentia odorativa in una eademq; re, sentiat diversos odores: ut potentia auditiva, in una eademq; re, sentiat diversos sonos, tandem voluntas juxta Bacconistas, potest amare unam formalitatem objecti, alteram non amare, sicut intellectus juxta eosdem Authores, potest unam formalitatem cognoscere, & alteram non cognoscere: idem proportionatè juxta illos debet dici de memoria, & potentia risiva. Ergo &c.

705. Ulteriùs dico: Qualî modô à Bacconistis, definitur distinctio in linea intelligibili, tali modô poterunt definiri prædictæ distinctiones: Sic *vg*: distinctio in linea visibili, est illa, quæ reperitur inter extrema pensato ordine ad potentiam visivam. Distinctio in linea gustabili, est illa, quæ reperitur inter extrema pensato ordine ad potentiam gustativã. Distinctio in linea risibili est illa, quæ reperitur inter extrema per ordinem ad potentiam risivam, & sic de alijs similibus. Unde tot erunt distinctionum species, quot sunt potentiæ rerum, porro nulla est necessitas & fundamentum, multiplicandi tot species distinctionum.

706. Dices cum Eliseo Garcia: Quia res possunt cognosci vel per sensum, vel per intellectum, ideo esse intentionale dividitur in sensibile, & intelligibile. Sensibile est, quod habet esse, in ordine ad sensum, quatenus est cognoscibile ab ipso: sic se habet visibilitas in colore respectu visûs. Esse intelligibile est, quod habent res, per ordinem ad intellectum, quatenus sunt cognoscibiles ab ipso. Ita se habet ratio cognoscibilis in objecto externo, quia convenit illi in ordine ad intellectum.

707. Ens intentionale sensibile, dividitur in varia objecta diversorum sensuum. Ens verò intentionale in-

telligibile, ſubdividitur in varios modos, quibûs res nata eſt concipi, & intelligi. Quia enim eſſe intelligibile convenit rebus, per ordinem ad intellectum, & intellectionem, quot modîs contingit diverſa cognitio, tot modîs dicitur res diverſa, in eſſe cognoſcibili. Unde quia intellectio, dividitur in definitionem, diviſionem, demonſtrationem &c: &c: eſſe intentionale dividitur ex natura rei, in definibile, diviſibile, demonſtrabile. Hactenus Eliſeus Garcia.

708. Ergo ſicut ens intentionale ſenſibile, dividitur in varia objecta diverſorum ſenſuum, ita etiam diſtinctio intentionalis Bacconica, poteſt dividi in varias ſpecies, per ordinem ad diverſas potentias ſenſuum, & potentiarum, adeoq; nullum eſt in hoc abſurdum, quòd præter diſtinctionem in linea cognoſcibili, daretur etiam alia diſtinctio, in linea viſibili, guſtabili, odorabili, volibili, amabili, & tandem in linea riſibili. Confirmatur hoc ipſum exemplô Columbæ, in cujus collo, juxta communem ſententiam unus tantùm color reperitur, & tamen incidente luce repræſentantur viſui varij colores: ut dictum eſt in præſuppoſito 5to ad finem. Sicut ergo in collo columbæ repræſentantur varij colores, ita idem color diſtinguitur in linea viſibili, licèt in eſſe phyſico, ſit omnino idē.

709. Reſpondeo 1mo. Nego ſuppoſitum Antecedenti, quòd præter eſſe phyſicum, detur eſſe intentionale reſultativum ex eſſe phyſico: ùt ſupra in probatione prima deduximus: conſequenter negò, quòd eſſe intentionale, rectè dividatur in ſenſibile, & intelligibile.

710. Reſpondeo 2do. Si DD. Bacconiſtæ, præter diſtinctionem realem in linea cognoſcibili, admittunt etiam diſtinctionem realem in linea viſibili, guſtabili, odorabili, volibili, amabili, & tandem in linea riſibili, tunc ſequeretur, quòd etiam deberent admittere diſtinctionem rea-

lem

lem in linea flebili, lamentabili, pingibili, saltabili, & sic in infinitum: quia multæ res natæ sunt diversimodè fleri, lamentari, pingi, & diversimodè saltare: quarum distinctionum species utrûm conveniens sit admittere? relinquo Judicio prudentûm.

711. Præterea in contra sic argumentor. Si daretur distinctio realis intentionalis in linea visibili, inter formalitates unius ejusdemq; rei, tunc sequeretur, quòd etiam inter hominem *vg:* & lapidem, daretur distinctio realis in linea visibili. Sed hujus distinctionis inter hominem & lapidem, nulla est necessitas & fundamentum. Ergo &c. Probatur sequela majoris. Ideo inter formalitates unius ejusdemq; rei, datur distinctio realis in linea visibili, quia formalitates unius ejusdemq; rei, possunt diversimodè videri, per ordinem ad potentiam visivam. Sed etiam homo *vg:* & lapis, possunt diversimodè videri per ordinem ad eandem potentiam visivam. Ergo &c. Minor patet ex eo, quia nullus Philosophorum hactenus docuit, quòd inter hominem & lapidem, detur distinctio in linea visibili.

712. Ad confirmationem de exemplo columbæ positam, dico, quòd illa multum probet, probat enim, quòd non tantùm detur distinctio realis formalis intentionalis in linea visibili, sed etiam probat id, quòd detur distinctio in linea, partim viridi, partim rubra, partim cærulea, quia hi colores repræsentantur in collo columbæ. Si autem semel admittetur, quòd detur distinctio in linea partim viridi, partim rubra, partim cærulea, tunc pariter deberent admitti tot aliæ distinctiones, quot sunt colores rerum, de quibus nunquam est auditum inter Philosophos. Proinde hìc convenit dicere, quod sentit Aristoteles 1. physic: tex: 10. *Unô absurdô datô, cætera accidunt.*

ARTICVLVS L.

In quo proponuntur ulteriores probationes contra Distinctionem Bacconicam.

713. PRobatur 9no. Si daretur distinctio Bacconica, tunc divisio distnictionis, quam assignat Doctissimus Jòánnes Bacconius, esset recta. Sed præfata divisio distinctionis non est recta. Ergo &c. Probatur minor. Divisio distinctionis, quam assignat Jòánnes Bacconius est hæc: Distinctio alia est rationis, quæ fit totaliter ab intellectu, alia realis, quæ est in re extra (intellige extra intellectum) seu quæ non fit per intellectum: alia intentionalis, (seu in esse conceptibili) quæ consistit in eo, quòd una eademq; res, nata est diversimodè concipi ab intellectu, ut patet ex præsupposito 4to ad finem, ubi dicit Jòánnes Bacconius: *Triplex est distinctio entium*: &c: Sed hæc divisio entium non est recta. Ergo &c.

714. Minor probatur. Inter alias leges rectæ divisionis est etiam hæc: Unum membrum divisionis, non debet contineri in alio membro divisionis. Sed in data divisione distinctionis, unum membrum continetur in alio. Ergo &c. Minor probatur. Primum membrum divisionis in præfata divisione, est distinctio rationis. Secundum, est distinctio realis. 3tium, est distinctio intentionalis Bacconica, ut constat ex dictis. Sed in secundo membro divisionis, continetur distinctio intentionalis Bacconica. Ergo &c. Minor probatur. Distinctio realis juxta Jòánnem Bacconium est illa, quæ est in re extra, nempe extra intellectum. Sed distinctio intentionalis Bacconica, est etiam extra, nempe extra intellectum. Ergo distinctio intentionalis Bacconica est realis. Ergo ulteriùs distinctio intentionalis Bacconica, continetur in secundo membro divisionis, nempe in distinctione reali.

715. Confirmatur. Ideo divisio distinctionis ut sic, in distinctionem rationis, & in distinctionem realem, est recta, quia distinctio rationis, nihil participat de distinctione reali: & distinctio realis nihil participat de distinctione rationis: seu quod idem est, quia distinctio rationis, non continetur in distinctione reali, & distinctio realis non continetur in distinctione rationis, ut nemini dubium. Ergo ut divisio distinctionis ut sic, per Jòánnem Bacconium facta, in distinctionem rationis, realem, & intentionalem in linea intelligibili sit recta, tunc distinctio intentionalis Bacconica, nihil debet participare de distinctione rationis, & de distinctione reali.

716. Subsumo. Sed distinctio intentionalis Bacconica, participat aliquid de distinctione rationis, totum verò participat de distinctione reali. Ergo prædicta divisio Jòánnis Bacconij, non est recta.

717. Probatur prima pars subsumptæ Minoris. Omnis distinctio rationis fabricata per actus intellectûs, est pensato ordine ad intellectum, quia fit per actus intellectûs, adeoq; dicit ordinem ad eundem intellectum. Sed etiam distinctio Bacconica, est pensato ordine ad intellectum, ergo distinctio intentionalis Bacconica, participat aliquid de distinctione rationis.

718. Probatur 2da pars subsumptæ Minoris. Distinctio realis juxta Doctissimum Jòánnem Bacconium est illa, quæ est in re extra, seu quæ est extra intellectum, & non fit per actus intellectûs, sed distinctio Bacconica, est in re extra intellectum, & non fit per actus intellectûs, imò est ante omnem considerationem intellectûs, ut constat ex præsupposito 4to. ñro 628. Ergo distinctio intentionalis Bacconica, est verè distinctio realis, adeoq; totum participat de distinctione reali.

719. Dices: Verum quidem est, quòd distinctio ratio-

rationis fiat pensato ordine ad intellectum, sed simul fit per actus intellectûs: Distinctio autem intentionalis Bacconica, est pensato ordine ad intellectum, sed non fit per actus intellectûs.

720. Respondeo. Juxta concessa. Distinctio intentionalis Bacconica, non fit per actus intellectûs, ergo in re est distinctio realis, adeoq; non est contradistincta, à distinctione reali, consequenter divisio distinctionis, à Doctissimo Jòanne Bacconio facta, non est recta, ùt supra probatum est.

721. Dices: Distinctio entium, potiùs sic debet dividi: Distinctio alia est realis, alia rationis. Distinctio realis est illa, quæ est in re extra. Distinctio rationis, quæ fit totaliter ab intellectu. Distinctio realis subdividitur in distinctionem entitativam, seu in linea physica, & in distinctionem formalem ex natura rei, in linea intentionali. Si ergo ita fiet divisio distinctionis, tunc nihil erit contra leges dialecticas, etiamsi distinctio intentionalis Bacconica erit realis: sicut nihil est contra leges dialecticas, etiamsi distinctio realis subdividatur in adæquatam & in inadæquatam, quamvis utraq; sit realis.

722. Respondeo 1mò. Si ita fiat divisio distinctionis entium, sicut proponitur, tunc fiet recessus per Doctissimos Bacconistas à doctrina sui Resoluti Doctoris Jòannis Bacconij, quia ille distinctionem entium, divisit in distinctionem rationis, in distinctionem realem, & tandem in distinctionem realem intentionalem, ut constat ex verbis illius toties citatis, ubi inquit: *Triplex est distinctio entium.* Porro cum DD. Bacconistæ defendant distinctionem Bacconicam nomine sui prædicti Doctoris, proinde non est conveniens, ut recedant à doctrina ejusdem Doctoris; alias non ejus, sed suam distinctionem defenderent.

723. Respondeo 2do. Si distinctio realis subdividatur in distinctionem entitativam, in linea physica, & in distinctionem realem in linea intentionali, tunc hanc divisionem negaremus, sicut defacto negamus: quia talis divisionis nullum est fundamentum, & quia est contra communem sensum omnium Philosophorum, distinctionem formalem ex natura rei non admittentium, imò tanquam implicatoriam reijcientium, multò magis, si distinctio formalis ex natura rei, dicatur, & sit realis.

724. Probatur 10mo. Distinctio Bacconica convenit in omnibus prædicatis, cum distinctione Scotistica. Ergo in re est distinctio Scotistica. Probatur Antecedens. Sicut distinctio Scotistica est formalis ex natura rei, ita distinctio Bacconica est formalis ex natura rei, sicut distinctio Scotistica, est ante omnem considerationem intellectûs, vocaturq; nemine cogitante: ita & distinctio Bacconica, est ante omnem considerationem intellectûs. Sicut distinctio Scotistica est inter formalitates unius ejusdemq; rei, ita & distinctio Bacconica. Sicut distinctio Scotistica dicitur à Bacconistis in linea physica: ita distinctio Bacconica, est in linea physica. Ut deductum est sub probatione quinta. Præterea siquidem distinctio Bacconica, est verè & rigorosè realis, tunc eo ipso est in linea physica: omnis enim distinctio realis, est in linea physica, ut constat inductione. Tandem sicut distinctio Bacconica dicitur esse pensato ordine ad intellectum, quãvis non fiat per intellectum: ita distinctio Scotistica, potest dici pensato ordine ad intellectum, licèt non fiat per intellectum, & licèt hîs terminîs non utantur Scotistæ, nec eam taliter appellent. Ergo &c.

725. Antecedens est certum apud ipsos Bacconistas, exceptis ultimis duabus partibûs, quarum prima est probata, altera eaq; ultima sic probatur. Distinctio Scotisti-

ca

ca inter alia fundatur in hoc, quòd formalitates unius ejusdemq; rei, possint diversimodè definiri. Sed definitiones formalitatum unius ejusdemq; rei, fiunt pensato ordine ad intellectum. Ergo distinctio Scotistica est pensato ordine ad intellectum. Deinde sicut distinctio Bacconica arbitrariè dicitur, quòd sit pensato ordine ad intellectum, ita pariter arbitrariè appellari potest distinctio Scotistica.

726. Probatur 11mo. Distinctio rationis ratiocinatæ, fieri solita per actus intellectûs, habet locum inter solas formalitates, unius ejusdemq; rei, secum realiter adæquatè identificatas, ut certum apud omnes. Sed si inter dictas formalitates, daretur distinctio realis Bacconica, tunc ibi prædicta distinctio rationis ratiocinatæ non haberet locum. Ergo &c. Minor probatur. Eædem formalitates, seu prædicata unius ejusdemq; rei, non possunt simul distingui, & distinctione reali, & distinctione rationis ratiocinatæ, per actus intellectûs. Ergo &c.

727. Adverto. Fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ, factæ per actus intellectûs, est hoc juxta omnes, quòd una eademq; res, possit diversimodè concipi. Sed hoc ipsum est fundamentum distinctionis Bacconicæ, ut constat ex præsupposito 4to. Ergo distinctio Bacconica, est idem cum distinctione rationis ratiocinatæ, quæ fit per actus intellectûs. Ergo non contradistinguitur à distinctione rationis ratiocinatæ.

728. Adverto item. Postquam Doctissimus Joánnes Bacconius explicuerit suam distinctionem, tandem subjungit: *Et talis distinctio vocari consvevit, à Doctoribus distinctio intentionalis:* ut constat in præsupposito 4to, nro 628, ad finem. Quibûs verbîs attentîs, quæso ostendatur aliquis Doctor extra Scholam Bacconicam existens, qui distinctionem nullô modô, factã ab intellectu, appellet intentionalé.

Ego

Ego enim nullũ talẽ Doctorem legi & vidi. Confiteor quòd omnes Doctores admittant distinctionẽ intentionalẽ, factam per actus intellectûs, sed illã non docent simul esse realẽ, DD. autẽ Bacconistæ admittunt distinctionẽ intentionalẽ & simul expresse docent, eam esse realem.

729. Probatur 12mo. Si daretur distinctio realis intentionalis Bacconica, *vg*: inter animal & rationale ejusdẽ Petri, tunc compateretur secũ identitatẽ realẽ adæquatã entitativã, ejusdẽ animalis & rationalis. Sed distinctio realis intentionals Bacconica, non potest secũ compati identitatem realẽ adæquatã entitativã, animalis & rationalis. Ergo &c. Major est doctrina Bacconistarũ ut constat ñro 626. Minor probatur. Quamvis DD. Bacconistæ constanter doceant, quòd distinctio realis Bacconica, compatiatur secum identitatem realem adæquatam entitativam, tamen ipsa identitas realis adæquata entitativa, non compatitur secum illam distinctionem realem entitativam. Ergo etiam distinctio realis intentionalis Bacconica, non potest secum compati identitatem realem adæquatam entitativam &c. Consequentia patet, ex ipsa paritate. Probatur Antecedens. Distinctio realis adæquata entitativa, non compatitur secum ullam identitatem realem adæquatam entitativam. Ergo etiam identitas realis adæquata entitativa, non compatitur secum ullam distinctionem realem entitativam. Antecedens constat inductione, sic *vg:* Inter DEUM & Creaturam, inter hominẽ & lapidẽ, & sic de alijs, nulla datur identitas realis adæquata entitativa, quia ibi datur distinctio realis adæquata entitativa. Consequentia probanda omnimoda paritate.

His deductis subsumo Minorem. Sed distinctio Bacconica, est distinctio realis entitativa. Ergo illam non potest compati identitas realis adæquata entitativa Probatur antecedens. Distinctio Bacconica est distinctio realis positiva. Ergo est simul distinctio realis entitativa. Antece-

dens certũ, Consequentia probatur. Omne ens reale positivũ, est entitativum. Sed distinctio Bacconica est ens reale positivum: Ergo &c. Plura de hoc videantur ñro 747.

730. Dices. Distinctio rationis fieri solita per actum intellectûs, compatitur secum identitatem realem adæquatam entitativam, seu in linea physica. Ergo etiam distinctio intentionalis Bacconica, potest compati secum identitatem realem adæquatam entitativam.

731. Respondeo concedo antecedens, nego Consequẽtiam disparitas est: quia distinctio rationis, non est distinctio realis: distinctio autem intentionalis Bacconica, est realis: item distinctio rationis est tantùm apparens in intellectu, distinctio autem Bacconica est in re, & ex natura rei: tandem distinctio rationis, non est realis entitativa: distinctio autem Bacconica est realis entitativa, ut immediatè probatum est.

ARTICVLVS LI.

In quo proponuntur probationes Theologicæ contra Distinctionem Bacconicam.

732. PRobatur 13tio. Si daretur distinctio realis intentionalis Bacconica, *vg:* inter animal & rationale, tunc propter Consequentiam doctrinæ, daretur etiam in Divinis. Sed non datur in Divinis. Ergo &c. Major certa apud Bacconistas, Minor probatur. Si daretur distinctio realis intentionalis Bacconica in Divinis, tunc *vg:* Natura Divina, distingveretur à Personis Divinis, tali distinctione reali intentionali Bacconica. Sed non distingvitur. Ergo &c. Sequela certa, Minor probatur. Distinctio realis intentionalis Bacconica, est simpliciter realis. Sed Natura Divina non distingvitur à Personis distinctione simpliciter reali. Ergo &c. Major est certa apud Bacconistas, qui suam distinctionem Bacconicam, aperto ore fatentur esse re-

alem

alem: imò Eliſeus Garcia hujus Scholæ Doctor diſtinctione 2da, quæſt: 1ma, Art: 3. §. 2do, ñro 499. docet eam eſſe rigorosè realem dum inquit: *Eſt enim in rigore realis, utpote omnino independens ab actuali conſideratione intellectûs.* Minor probatur. Natura Divina diſtinguitur à Perſonis, ſola diſtinctione rationis, fabricata, ſeu facta, & dependente ab intellectu. Ergo &c.

733. Probatur Antecedens. Concilium Florentinum ſola diſtinctione rátionis facta ab intellectu, docet diſtingui Naturam Divinam à Perſonis. Ergo &c. Probatur Antecedens. Concilium Florentinum Seſ: 24. de Natura Divina, & Perſonis inquit: *Non re, ſed ſola ratione Paterna Hypoſtaſis, à ſubſtantia ſejungitur.* Item idem Concilium Seſ: 25. dicit: *Ne identitatem conjunctionemq; Divinæ ſubſtantiæ diſtribuere, ac ipſam eandemq; ſubſtantiam re, non autem ſola ratione ab Hypoſtaſibus & Perſonis differre credere videamur.* Ergo Concilium Florentinum ſolam diſtinctionem rationis fabricatam ab intellectu admittit: in his enim locis, non alia ſed ſola diſtinctio rationis ab intellectu facta, intelligitur ut patebit inferiùs. Idem loquitur & docet S. Aug: qui libr: 7mo de Trinitate cap: 6. inquit: *Non enim aliud eſt, DEO eſſe, quàm Perſonam eſſe, ſed omnino idem.* Et infra ibidem: *Et quemadmodum hoc illi eſt eſſe, quod DEUM eſſe, quod magnum, quod bonum eſſe: ita hoc illi eſt eſſe, quod Perſonam eſſe.* S. quoq; Thomas 1ma part: quæſt: 28. Art: 2. in ☉. docet: *Et ſic manifeſtum eſt, quòd Relatio realiter exiſtens in DEO, eſt idem eſſentiæ ſecundum rem, & non differt niſi ſecundum intelligentiæ rationem, prout in Relatione importatur reſpectus ad ſuum oppoſitum, qui non importatur in nomine eſſentiæ.* Et 1. par: quæſt: 39. Art: 1. inquit: *Relatio autem ad Eſſentiam comparata, non differt re, ſed ratione tantùm.* In eundem ſenſum, in Tract: de SS. Trinit: diſp: 13. concludit Reverendiſſimus Adamus Opatovius, dum inquit:

Essentia Divina eadem est formaliter cum Personis, & sola ratione distingvitur. Et Reverendissimus Simon Makowski in Tract: de SS. Trinit: disp: 1. quæst: 3. pag: 389. disertè pronuntiat: *De fide est in Divinis, à parte rei inter Naturam Divinam & Personas, nullam dari distinctionem realem, tanquam rei à re, neq; etiam formalem, ut communiter docent Theologi contra Scotum.* Et hoc totum valet etiam contra Doctissimum Bácconium ejusq; Discipulos, siquidem, ejus distinctio est formalis ex natura rei. & in rigore realis. Quis autem audeat dicere, quòd inter Naturam Divinam & Personas, detur distinctio in rigore realis? cum id evidenter repugnet Concilijs, & SS. Patribus, superiùs citatis.

734. Respondent Doctissimi Bacconistæ, per illa verba Concilij, *non re*: excluditur à Natura Divina & Personis, *distinctio realis entitativa, seu in linea physica*: non excluditur vero: *distinctio de linea intelligibili, intentionali, seu conceptibili.* Illa autem verba: *Sola ratione*: intelligenda sunt de *ratione objectiva ratiocinata, & prævia ad omnem cognitionem.* Imò per ista verba: *Sola ratione*: intelligi potest distinctio formalis, Bacconica, quia etiam distinctio Bacconica, vocari solet *distinctio rationis*, non quia sit ficta vel facta ab intellectu (præcedit enim formaliter in objecto externo) sed quia desumitur, á diversa ratione formali objectiva. Animal enim & rationale sunt alia, & alia ratio intentionalis, sub eadem entitate. Pro quo observandum est ex Doctore Resoluto (nempe Jòánne Bacconio) Quodlibeto 2do quæs: 8. Art: 2. §. 3. ad 1mum. Hoc nomen *ratio* esse analogum, ad plura significata diversa: 1mo enim significat formã substantialẽ. 2do rationẽ formalẽ. Unde dicimus actionem, esse rationem formalem agendi, unionem uniendi. 3tio significat conceptum formalem constitutivum rei. Unde dicimus *esse per se*, esse rationem

forma-

formalem constitutivam substantiæ. 4to significat objectum externum, secundum esse intentionale, quatenus est definibile, divisibile, & cognoscibile ab intellectu, nempe ens rationis. Tandem significat ipsum intellectum, imò & liberum arbitrium, cujus plena advertentia dicitur: *usus rationis*. Ita Resolutus Doctor loco citato. Constat ergo hoc nomen, *Ratio* esse analogum, ad formam, rationem formalem, conceptum primarium, esse intentionale, ens rationis, intellectum & liberum arbitrium. Sic etiam hoc nomen *conceptus*: est analogum, ad conceptum mentalem, & objectivum, nempe ad cognitionem, & objectum.

735. Quando ergo distinctionem intentionalem vocamus distinctionem rationis (inquit Eliseus Garcia) non accipimus *rationem* in quinta acceptione pro ente ficto, vel facto ab intellectu, sed in tertia, & in quarta acceptione, nempe pro ratione formali constitutiva, in esse objicibili, seu cognoscibili: quia enim animal & rationale, sunt alia & alia ratio formalis, ideo dicuntur differre ratione objectiva. Unde Thomistæ cum Doctore Angelico asserunt, animal & rationale, differre ratione ratiocinata, hoc est ratione objectiva, præexistente scilicet in objecto, non ratione ratiocinante, hoc est ratione ficta, vel facta ab intellectu. Sumunt ergo rationem pro ratione, prævia ad omnem cognitionem. Unde D. Thomas in 1. part: dist: 2. q. 1. Art: 3. in ☉. ait: *Respondeo dicendum, quòd Sapientia & Bonitas, & omnia hujusmodi, sunt omnino unum re in DEO, sed differunt ratione. Et hæc ratio* (nota bene hoc) *non tantum ex parte ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius DEI.* Et infra: *Unde patet quod pluralitas rationum attributorum, non tantum est ex parte intellectûs nostri, sed etiam ex parte ipsius DEI.* Hactenus Eliseus Garcia dist: 2. quæst: 1. Art: 3. §. 8. ñro 560. Item dist: 1. quæst: 1. Art: 3. §. 5. ñ. 514. & 516.

736. Respondeo 1mo. Tali modo explicationis datæ, ad Concilium Florentinum, possent uti & Subtilissimi Scotistæ, ac defensores distinctionis realis in 3tio, possentq; dicere quod per hoc nomen: *Sola ratione*: intelligatur ratio objectiva ratiocinata, non autem ratio facta ab intellectu: adeoq; suam distinctionem Scotisticam manutenent, quod non possunt concedere Bacconistæ, qui solam ibi suam distinctionem Bacconicam defendere conantur in Divinis: excludunt verò Scotisticam, & realem in 3tio.

737. Respondeo 2do, In Concilio Florentino supra citato, non solum excluditur distinctio realis entitativa, in linea physica, sed etiam excluditur distinctio realis in linea intentionali, intelligibili conceptibili, & quocunq; demum nomine baptizetur. Ergo responsio non subsistit, Probatur Antecedens. Juxta Concilium Florentinum Natura Divina distinguitur à Personis, sola distinctione rationis fabricata ab intellectu, & nulla alia. Ergo &c. Probatur Antecedens. Quæ distingvuntur tantùm per actus intellectûs, seu dependenter ab aliquo actu intellectûs. illa distingvuntur sola distinctione rationis fabricata ab intellectu, & nullâ aliâ. Sed juxta Concilium Florentinum, Natura Divina à Personis, tantùm per actus intellectûs distinguitur, seu dependenter ab aliquo actu intellectûs. Ergo &c.

738. Major est identica, & patet ex terminis, Minor probatur. Apprehensio, intellectio, intelligentia, sunt actus intellectûs, ut certum apud omnes. Sed Natura Divina à Personis distinguitur, tantùm per apprehensionem, tantùm per intellectionẽ, & intelligentiam. Ergo &c.

739. Minor probatur. Concilium Florentinum Ses: 9, de Natura Divina: *Ne tamen hæc differre, putetis nisi apprehensione tantùm, & intelligentiâ.* Ergo juxta Concilium

Na-

Natura Divina distinguitur à Personis, apprehensione tantùm & intelligentiâ. Ergo distinctione tali, quæ fit per solos actus intellectûs.

740. Præterea Concilium Lateranense Capite *damnamus*: de summa Trinitate dicit: *Relationes sunt idem omninò, & omni modo cum Natura, & relatio est re eadem cum Natura, solùm verò secundùm modum, intellectionis nostræ differt.* Ergo Natura Divina à Personis distinguitur intellectione tantùm. Si ergo oppositi Authores illa verba: *Sola ratione*: detorquebant, ad rationem objectivam præviam, ante omnem cognitionem, quomodò apprehensionem, intellectionem, & intelligentiam detorquebunt ad apprehensionem, intellectionem & intelligentiam objectivam. Tandem Authoritati S. Thomæ (quam citavit Eliseus Garcia in responsione ad verba Concilij) oppono aliam authoritatem ejusdem S. Thomæ, qui prima parte quæst: 3. Art: 3. inquit: *Quod ergo dicitur Deitas, vel vita, vel aliquid hujusmodi esse in DEO, referendum est ad diversitatem quæ est in acceptione intellectûs nostri, & non ad aliquam diversitatem rei.* Sicut ergo juxta S. Thomam Deitas vel vita DEI, distinguitur à DEO secundum intellectum nostrum, non autem secundum diversitatem rei, ita inter alia attributa Divina, non datur distinctio realis, sed tantùm distinctio rationis, seu distinctio intellectûs nostri. Verba ergo S. Thomæ sunt intelligenda secundum mentem Conciliorum, & SS. Patrum, qui inter attributa Divina, item inter essentiam & Personas, admittunt solam distinctionem rationis, seu intellectionis, intelligentiæ, & apprehensionis.

741. Ad extremum, quando dicit S. Thomas; quòd ratio illa quâ differunt inter se attributa Divina, non tantùm sit ex parte ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius DEI: item quando dicit, quòd pluralitas rationum attri-

buto-

butorum, non tantùm est ex parte intellectûs nostri, sed etiam ex parte ipsius DEI, sic intelligendum est, quòd DEUS præstet fundamentum intellectui nostro, ut attributa DEI distinguat per rationem, seu per actum intellectûs: non autem præstat fundamentum ad hoc, ut inter Attributa Divina, detur aliqua distinctio realis.

742. Quodsi aliquis etiam per istas voces: *Apprehensio, Intellectio, intelligentia*, velit intelligere apprehensionem, intellectionẽ intelligentiã objectivã, præviã ante omnẽ cognitionẽ formalẽ, seu ante omnem actum intellectûs, tunc contra talem, sic argumentandum est: Verba, textus, voces, termini S. Scripturæ, Conciliorum, SS. Patrum, tunc temporis accipienda sunt in propria sua significatione, quam habent ex primo usu, & placito inventorum Lingvæ, quando nullum exinde sequitur inconveniens, etiamsi accipiantur in propria sua significatione. Sed etiamsi voces istæ: *Apprehensio, Intellectio, Intelligentia*: in præfato textu Concilij repertæ, accipiantur in propria sua significatione, quam habent ex primo usu, & placito inventorum lingvæ (nempe etiamsi significent actum formalem intellectûs, nempe apprehensionem, vel intellectionem factam ab intellectu) nullum exinde sequitur inconveniens. Ergo &c. Major certa apud omnes Theologos Minor probatur negativè, quia scilicet nullum exinde sequitur inconveniens, quòd Natura Divina distinguatur à Personis, tantùm per actus intellectûs, nempè per solam apprehensionem, intellectionem, & intelligentiam: quod enim est tale inconveniens? Ergo &c.

743. Tandem quod Natura Divina distinguatur à Personis per solos actus intellectûs, adhuc clariùs habetur documentum, ex eodem Concilio Florentino, ut videri potest in editione Colonensi Græco-Latina A. Dñi 1618. facta ex ipsa editione Vaticana Romana, Studio Severini

Binii

Binii S. Theologiæ Doctoris & Professoris, Canonici Coloniensis, ubi Confessio fidei Authoritate Eugenij Papæ à Latinis Patribus ad Græcos ultimatò transmissa, quæ incipit. *Credimus in DEUM Unum:* prædicta inquam Confessio fidei sic habet: *Ne identitatem, Unitatemq; essentiæ dividamus atq; ut essentiam ab Hypostasibus, non re differentem, sed ratione tantùm & actu intelligendi asseveremus.* Ex quibus verbis manifestè patet, quòd Concilium essentiam ab Hypostasibus, tantùm per rationem & per actum intelligendi distinguat.

744. Rospondeo 3tio. Per illa verba: *Non re*: excluditur à Natura Divina & Personis distinctio realis entitativa, seu in linea physica, ut volunt Baconistæ. Sed distinctio Bacconica est distinctio realis entitativa, seu in linea physica. Ergo distinctio Bacconica excluditur à Natura Divina & Personis. Minor ultra jam dicta probatur. Distinctio realis entitativa juxta Joánnem Bacconium est illa, quæ est in re extra, nempe extra intellectum, ut constat ex præsupposito 4to. Sed distinctio Bacconica, est in re extra intellectum, seu sine omni considératione intellectûs. Ergo &c.

745. Probatur 2do eadem Minor. Omnis distinctio verè, propriè, & in rigore realis, est distinctio realis entitativa, sed distinctio Bacconica, est verè propriè & rigorosè realis. Ergo distinctio Bacconica est distinctio realis entitativa. Major probatur inductione omnis distinctionis verè, propriè, & in rigore realis, si autem ab oppositis negabitur, tunc infringatur instantiâ extra controversiam tali. Minor est doctrina Bacconistarum.

746. Dices. Distinctio realis entitativa est illa quæ datur inter rẽ, & rem, & inter ens, & ens. Sed distinctio Bacconica, non est inter rem, & rem, item non est inter ens, & ens, sed inter solas formalitates unius ejusdemq; rei.

 Ergo

Ergo distinctio Bacconica non est realis entitativa.

747. Respondeo omitto majorem, quia negari potest, quòd distinctio realis, rectè dividatur in distinctionem realem entitativam, & in realem non entitativam, quia omnis distinctio realis est entitativa, siquidem est distinctio entium. Ulterius nego minorem & contra sic argumentor. Distinctio Bacconica datur inter solas formalitates unius ejusdemq; rei. Sed formalitates unius ejusdemq; rei sunt res & res, sunt ens & ens. Ergo distinctio Bacconica datur inter rem & rem, inter ens & ens. Probatur prima pars minoris. Formalitates unius ejusdemq; rei, distinctæ inter se realiter, distinctione Bacconicâ, non sunt nihil. Ergo sunt res & res. Probatur 2da pars ejusdem minoris. Formalitates prædictæ distinctæ realiter juxta Bacconistas, sunt aliquid unum verum, & bonum. Ergo sunt ens & ens. Consequentia patet quia quibus competunt proprietates entis, unum, verum, bonum, illa sunt ens & ens. Ergo &c.

748. Probatur 2do eadem minor primi argumenti. Quæcunq; inter se distingvuntur realiter, distinctione reali in rigore tali, illa sunt res, & res: item sunt ens, & ens. Sed juxta DD. Bacconistas, formalitates unius ejusdemq; rei, distingvuntur inter se realiter, distinctione reali in rigore tali. Ergo formalitates unius ejusdemq; rei, sunt res & res, item sunt ens & ens. Major patet inductione omnium entium realiter distinctorum. Ratio præterea est, distinctio realis vocatur à rebus, inter quas reperitur, alias non esset realis si non esset inter res, & res: pariter distinctio realis vocatur ab Entibus realibus inter quæ reperitur. Ergo &c: Minor immediati argumenti probatione non indiget, quia est ipsissima doctrina DD. Bacconistarum.

749. Probatur 14. Certum est ex fide, quòd de

Essen-

Essentia seu Natura Divina, possint affirmari, & defacto affirmantur, Personæ Divinæ. Sed si inter Naturam Divinam & Personas, daretur distinctio realis intentionalis Bacconica, tunc de Essentia seu Natura Divina, non possent affirmari Personæ Divinæ. Ergo inter Naturam Divinam & Personas, non datur distinctio realis intentionalis Bacconica. Major patet ex Concilio Lateranensi cap: *Damnamus* ubi dicernitur: *Nos sacrô approbante Conciliô, credimus & confitemur, quòd Una quædam Summa Res est, incomprehensibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres simul Personæ ac sigillatim quælibet earundem* &c. Minor probatur: Si inter Naturam & Personas, daretur distinctio realis Bacconica, tunc etiam inter Naturam Divinam ac Personas, daretur negabilitas, & actualis negatio unius de altero, quia universaliter, ubi datur distinctio realis, ibi etiam datur negabilitas, & actualis negatio unius de altero. Ergo si &c.

750. Probatur 15. Si inter Naturam Divinam & Personas, daretur distinctio realis Bacconica, tunc illa distinctio, esset realis immediata. Sed inter Naturam Divinam & Personas non datur distinctio realis immediata. Ergo &c. Major patet, quia distinctio realis Bacconica, juxta suos Authores est immediata. Minor probatur. Eugenius IV. in Concilio Rhemensi, damnavit errorem Gilberti Porretani, Episcopi Pictaviensis, qui docuit Relationes, ac Personalitates Divinas, realiter immediatè distingvi ab Essentia Divina, & non esse intra Essentiam, sed quasi affixas, & assistentes essentiæ, atq; loco Trinitatis posuit in DEO Quaternitatem, hoc est quatuor res realiter contradistinctas inter se. Ergo inter Naturam Divinam & Personas, non datur distinctio realis immediata. Undè licet Defensores distinctionis realis in 3tio, admittebant distinctionem realem in 3tio, tamen eam dicebant

 esse

esse mediatam, nullatenus autem immediatam, quia tota Ecclesia horret etiam nomen distinctionis realis immediatæ, inter Naturam Divinam & Personas.

751. Probatur 16. S. Thomns 1ma part: quæs: 3. Art: 3. docet, quòd *DEUS sit idem, quod sua Essentia vel Natura*, pariter Art: 4. docet, quòd *in DEO sit idem Essentia, & esse.* Ergo etiam in DEO, est idem Essentia, quod sua quælibet Persona. Probatur Consequentia. Quæcunq; ratio probat primum, eadem probat & secundum, ut videri potest in S. Thoma. Ergo si &c.

752. Subsumo minorem. Sed si inter attributa Divina daretur distinctio realis Bacconica, tunc DEUS non esset idem, quod sua Essentia, item in DEO non esset idem Essentia, & esse. Tandem si inter Essentiam seu Naturam Divinam, & Personalitates Divinas, daretur distinctio realis Bacconica, tunc Essentia non esset idem realiter, cum sua Persona. Ergo &c. Probatur sequela minoris subsumptæ. Quæ distingvuntur realiter, non sunt idem realiter. Ergo si &c.

753. Dices licet inconveniens sit inter Naturam Divinam & Personas, admittere distinctionem realem *in linea physica*, tamen nullum est inconveniens inter eandem Naturam & Personas, admittere distinctionem realem *in linea intentionali, seu cognoscibili.*

754. Respondeo 1mo retorquendo argumentum. Licet sit inconveniens, inter Naturam Divinam & Personas, admittere distinctionem realem, in linea physica, tamen nullum est in hoc inconveniens, admittere distinctionem formalem ex natura rei Scotisticam, nemine cogitante talem, in linea formali. Ergo inter Naturam Divinam & Personas, datur distinctio formalis ex natura rei Scotistica, nemine cogitante talis, non datur autem distinctio realis Bacconica, in linea intentionali. Simili modo

do posset retorqueri, de distinctione reali in 3tio, & alia quacunq; distinctione reali.

755. Respondeo 2do. Talis distinctio admittenda est, inter Naturam Divinam & Personas, qualem admittunt Concilia, & SS. Patres. Sed Concilia & SS. Patres, solam distinctionem rationis apprehensionis, intellectionis, & intelligentiæ admittunt inter Naturam Divinam & Personas, ut supra deductum est. Ergo inter Naturam Divinam & Personas, sola distinctio rationis apprehensionis, intellectionis, & intelligentiæ admittenda est, non autem ulla distinctio, in rigore realis, qualis est Bacconica. Major patet, quia sicut in alijs veritatibus, ita in Mysterio Trinitatis tenentur Theologi Catholici, sequi Concilia & SS. Patres. Minor etiam constat ex probatione 12ma & ex textibus Conciliorum, & SS. Patrum ibidem citatis.

756. Confirmatur eadem responsio Rmus Opatovius in Tract: de SS. Trinit: disp: 1ma Proloquio 3tio, inquit: *Quia etiam usus verborum promiscuus, genuit Hæreses idcirco dicimus, in hoc Mysterio, hi solùm modi dicendi, diligenter servandi sunt, quibus S. Scriptura, Concilia, SS. Patres utuntur:* ita præcipit D. Dion: Aug: Basil: Nazian: Hieron. & omnes Scholastici. D. Aug: libr: 10. de Trinit: cap: 23. sic dicit: *Nobis autem ad certam regulam fas est loqui, ne verborum licentia, de rebus quæ hic significantur, impiam gignat opinionem* & D. Tho: quæst: 31. Art, 2. in ☉. dicit: *Ex verbis inordinatè prolatis incurritur Hæresis.* Hactenus Opatovius. Sed S. Scriptura, Concilia, & SS. Patres & omnes Scholastici DD, in Mysterio Trinitatis non utuntur terminis distinctionis rigorosè realis in linea intentionali, cognoscibili, intelligibili, conceptibili, objicibili seu in esse representativo (quibus omnibus phrasibus utuntur DD. Bacconistæ) sed tantùm utuntur Concilia & SS. Patres terminis distinctionis rationis, apprehensionis, intellectionis, & intelligentiæ. Ergo &c.

757.

757. Probatur 17. Si inter Naturam Divinam & Personas daretur distinctio realis Bacconica, tunc esset necessaria, vel sufficiens ad salvanda prædicata contradictoria, quæ verificantur juxta fidem in Mysterio Trinitatis, vel ad solvendas omnes alias difficultates Mysterii. Sed non est necessaria, nec sufficiens ad prædictum finem. Ergo &c. Major certa, quia si ad hoc non esset necessaria, & sufficiens, tunc ibi esset frustranea, & ad nihil prodesset. Minor etiam constat, quia distinctio realis Bacconica, apud omnes Scholas est implicatoria, incerta, & controversa, adeoq; neq; est necessaria, neq; sufficiens ad solvendas difficultates Mysterii Trinitatis, ut patet ex dictis Articulo 28. ñro 412. & sequentibus.

758. Infertur ex dictis. Omnia argumenta in hoc Articulo contra distinctionem realem Bacconicam proposita, valent etiam contra omnem aliam distinctionem realem, nemine cogitante talem nempè contra distinctionem virtualem intrinsecam, formalem ex natura rei Scotisticam, & contra distinctionem realem in 3tio, quam licet sui Authores contendant esse mediatam, tamen illa est realis immediata, & plurima involvit nova contradictoria, & impossibilia, quorum contradictoriorum, nec in Scriptura, nec in Patribus, ulla fit mentio, quæ nec per hanc ipsam distinctionem realem in 3tio salvabilia sunt, (prout ipsi oppositi fateri debent,) adeoq; distinctio realis in 3tio, apparet Infidelibus incomparabiliter magis impossibilis, quàm ipsum Mysterium sic propositum, quomodo ab Ecclesia proponi solet ut solidissimè deducit Godefridus Hannenberg in suo Tractatu de DEO Maximo, Uno, & Trino. ñro 38. & sequentibus.

759. Dices S. Augustinus libr: 7. de Trinit: cap: 1. dicit: *Omnis essentia quæ relativè dicitur est aliquid exceptô relativo.* Citatur etiam cap, 5. ubi dicit: *Non eô Pater,*

quô

quô DEUS. Et S. Damaſcenus L. 1. de fide cap: 4. inquit: *Si dixeris bonum, juſtum, &c: non Naturam DEI, ſed quæ juxta naturam ſunt dixiſti.* Ergo 2dum prædictos Patres aliquomodo diſtingvitur Eſſentia Divina in re, à Relatione, & ab attributis. Sed non realiter in linea phyſica. Ergo realiter in linea intentionali, intelligibili, ſeu cognoſcibili.

760. Reſpondeo allatæ Authoritates explicandæ, & intelligendæ ſunt, conformiter ad mentem Conciliorum à nobis áddu&orum, & ipſius S. Auguſtini ſuperiùs citati, proinde nihil contra nos evincunt, nec evincere poſſunt. Simili argumento poſſent uti Scotiſtæ, & Defenſores diſtinctionis realis in 3tio, & tamen tam diſtinctio Scotiſtica, quàm realis in 3tio abſolutè non admittitur. Tandem ſicut ex prædicatis contradictoriis quæ verificantur de Natura Divina & Perſonis, non poteſt inferri ulla diſtinctio realis, multò magis ex immediatè adductis verbis S. Auguſtini & Damaſceni, non poteſt inferri, quia obſtant Concilia, quæ ſolam diſtinctionem rationis, & intellectionis admittunt, inter Naturam Divinam & Perſonas.

ARTICVLVS LII.

In quo proponuntur objectiones, probantes dari diſtinctionem Bácconicam.

761. OBijcitur 1mo. Datur diſtinctio formalis ex natura rei in linea intelligibili, ſeu cognoſcibili. Ergo fruſtra negatur. Probatur Antecedens. Animal *vg:* poteſt cognoſci, ſine rationali. Ergo differunt formaliter in eſſe intelligibili, ſeu cognoſcibili. Antecedens declaratur: nam videns hominem à longè, poteſt certiſſimè cognoſcere ex motu eſſe animal, quin certè cognoſcat, eſſe rationale. Ergo animal poteſt formaliter

cogno-

cognoſci, ſine rationali. Conſequentia autem principalis probatur. Quia ſi animal & rationale, non differunt in eſſe cognoſcibili, non poſſet cognoſci animal, quin ſimul cognoſceretur rationale. Atqui hoc eſt falſum. Ergo &c. Major probatur. Si homo & lapis, non differrent in eſſe producibili, non poſſet homo produci, quin ſimul produceretur lapis, quia eſſent unum producibile. Deinde ſi DEUS & creatura non differrent in eſſe amabili, non poſſent amari creaturæ absq; DEO, quia eſſent unum amabile. Ergo ſi animal & rationale, non differrent in eſſe cognoſcibili, non poſſet animal cognoſci, absq; rationali.

762. Confirmatur 1mo. Quia animal & rationale ſunt idem in linea entitativa, ideo non poteſt eſſe unum, ſinè alio. Ergo ſi eſſent idem in linea cognoſcibili, non poſſet unum cognoſci ſine alio. Confirmatur 2do. Cognitio animalis, non eſt cognoſcibilitas rationalis. Ergo cognoſcibilitas animalis non eſt cognoſcibilitas rationalis & conſequenter differunt in eſſe cognoſcibili. Conſequentia patet, nam de objectis Philoſophari oportet, ſicut de actibus.

763. Confirmatur 3tio. Animal *ut cognitum*, non eſt rationale, *ut cognitum*. Ergo animal ut cognoſcibile non erit rationale, ut cognoſcibile. Confirmatur 4to. Cognitio cognoſcens animal, attingit formaliter cognoſcibilitatem animalis. Sed non attingit formaliter cognoſcibilitatem rationalis. Ergo animal & rationale habent cognoſcibilitates formaliter diverſas. Minor probatur. Cognitio attingens animal, non attingit formaliter rationale. Ergo non attingit formaliter cognoſcibilitatem rationalis.

764. Reſpondeo primo. Prædicta omnia argumenta non tantùm probant diſtinctionem Bacconicam, ſed etiam diſtinctionem Scotiſticam quod ſic probatur: Animal

mal *vg*: poteſt cognoſci ſine rationali. Ergò differunt formaliter ex natura rei in linea formali Scotiſtica. Ergo inter animal & rationale datur diſtinctio Scotiſtica. Antecedens probandum ita ſicut eſt probatum in objectione. Porro, cum Defenſores diſtinctionis Bacconicæ contendant diſtinctionem Bacconicam differre ſpecificè à diſtinctione Scotiſtica, proinde pro diſtinctione Bacconica, talia debent adferre argumenta, quæ non probent diſtinctionem Scotiſticam. Eadem argumenta probant inter animal *vg*: & rationale, dari diſtinctionem realem intentionalem in linea viſibili, quod ſic probatur: Animal *vg*: & rationale differunt formaliter ex natura rei in linea viſibili. Ergò datur diſtinctio formalis ex natura rei in linea viſibili. Probatur ſimiliter Antecedens. Animal *vg*: poteſt formaliter videri, ſine rationali. Ergò animal & rationale differunt in linea viſibili. Antecedens declaratur. Petrus videns hominem á longè, poteſt certiſſimè videre animal ex motu, quin videat certò eſſe rationale. Ergò poteſt videre animal, aliasq; perfectiones fluentes ex animali, quin videat rationale: taliter enim quisq; videt aliqua plura, qualiter illa cognoſcit; ſiquidē ergo animal cognoſceretur in dato caſu ſine rationali, etiā videretur ſine rationali.

765. Reſpondeo 2do, nego primum Antecedens. 2dū diſtingvo. Animal poteſt formaliter cognoſci hoc eſt: *poteſt præſcindi formaliter per actū intellectûs, à rationali.* Concedo Antecedens. Animal poteſt formaliter cognoſci, hoc eſt *præſcindi objectivè à rationali, ita ut animal cognoſcatur, & rationale nullatenùs cognoſcatur, etiam confusè & implicitè in animali.* Nego Antecedens. Similiter diſtingvo conſequens. Ergò animal & rationale, differunt in eſſe cognoſcibili, *hoc eſt diſtingvuntur diſtinctione rationis ratiocinatæ, quæ fit per præciſionem formalem, unius formalitatis ab altera.* Concedo Conſequentiam. Ergo animal & rationale differunt for-

 mali-

maliter in esse cognoscibili, *hoc est distingvuntur aliquâ distinctione reali, appellatâ in esse cognoscibili, & talî quæ sit diversæ speciei, à distinctione rationis ratiocinatæ, quæ fieri solet per actum & operationem intellectûs.* Nego Consequentiam & dico.

766. Certùm est, quòd animal sine rationali possit cognosci, sed tantùm præcisivè formaliter, sive per præcisionem formalem, vi cujus ex parte actûs, attingitur expressè, una formalitas objecti, tamen alia non attingitur expressè, licet à parte rei attingatur implicitè: tamen falsùm est, quòd sine rationali possit cognosci præcisivè objectivè, hoc est ita, ut una formalitas objecti cognoscatur expressè, & altera nullatenus cognoscatur, etiam implicitè.

767. Ex hoc autem, nimirum ex eo, quòd animal à rationali possit præscindi formaliter, id tantùm infertur, & inferri potest, quòd animal à rationali, distingvatur distinctione rationis ratiocinatæ, ut certùm apud omnes. Sicut autem sola cognitio formaliter præcisiva, animal à rationali disjungit, utrumq; autem à parte rei, & in sensu reali, est omnino adæquatissimè idem realiter, ita etiam ibi sola reperitur distinctio rationis ratiocinatæ. Positô autem hoc per impossibile, quòd ibi daretur præcisio objectiva, unius formalitatis ab altera, tunc ibi non tam distinctio formalis ex natura rei in linea intelligibili, sed potiùs distinctio realis simpliciter daretur.

768. Ad declarationem seu explicationem, vel potiùs probationem Antecedentis, à nobis distincti dico: quòd Petrus *vg:* videns hominem à longe, quando ex motu cognoscit illum esse animal, simul cognoscit & rationale illiûs, sed cum hac limitatione, quòd animal clarè, expressè, & discretivè cognoscit, rationale autem cognoscit non discretivè, hoc est non discernendo illud ab animali, cognoscit item idem rationale implicitè, tanquam identifi-

tificatum realiter adæquatè animali. Addo iſtius propoſitionis: *Animal à rationali differt in eſſe cognoſcibili*: ſenſus pleniſſimus & veriſſimus eſt hic: *Animal & rationale poſſunt attingi, per diverſas, & diſtinctas cognitiones*: ex hoc autem quod animal & rationale, poſſunt attingi per diſtinctas cognitiones, non ſequitur quòd diſtingvantur realiter.

769. Dices cum Eliſeo Garcia. Juxta reſponſionem immediatam. In dato caſu animal cognoſceretur clarè, expresſè, & quodammodò diſcretivè: rationale autem non cognoſceretur clarè & diſcretivè, ſed confusè & implicitè. Ergò adhuc animal & rationale differunt in eſſe cognoſcibili. Confirmatur. Quando video animal à longè, & non cognoſco eſſe rationale, nullô modô attingo rationale. Ergò &c. Antecedens probatur. Cognitio paritur ex ſpecie objecti. Ergò ubi nulla datur ſpecies objecti, non datur cognitio objecti. Atqui ſenſatio per quam tunc cognoſcitur animal, nullô modô eſt ſpecies repræſentativa rationalis, ſed tantùm animalis. Ergò tunc nullô modô cognoſcitur rationale.

770. Reſpondeo concedo Antecedens. Diſtingvo conſequens. Ergò adhuc differunt in eſſe cognoſcibili, hoc eſt *habent, capacitatẽ vel præbent fundamentum à parte rei, ut ab intellectu cognoſcantur, per diſtinctas realiter cognitiones*. Concedo. Ergò adhuc differunt in eſſe cognoſcibili, hoc eſt *diſtingvuntur diſtinctione reali, quæ ſit diverſæ ſpeciei, à diſtinctione rationis ratiocinatæ, vel à diſtinctione rationis ratiocinantis*. Nego conſequentiam & dico: Differre animal à rationali in eſſe cognoſcibili, duplicem poteſt habere ſenſum, vel hunc: *Animal & rationale habent capacitatem, vel præbent fundamentum à parte rei, ut cognoſcantur per diſtinctas realiter cognitiones*: vel hunc: *Animal & rationale diſtingvuntur formaliter ex natura rei, in linea cognoſcibili, & quidem ita, ut hæc diſtinctio in linea cognoſcibili, ſit diverſæ ſpeciei, à diſtinctione rationis ratiocinatæ.*

 771.

771. Primum eſt verum, ſed ex hoc id tantùm ſequitur, quòd inter animal & rationale *vg*: Petri, datur ibi fundamentum intellectûs, ut ille animal à rationali diſtingvat, diſtinctione rationis ratiocinatæ, fieri ſolitâ per actum intellectûs: nullatenus autem ſequitur, vel ſequi poteſt diſtinctio realis intentionalis formalis ex natura rei, in linea intelligibili, diverſâ ſpecie, à diſtinctione rationis ratiocinatæ, vel à diſtinctione rationis ratiocinantis. Secundum eſt falſum, quia hujus nullum eſt fundamentum.

772. Ulteriori rationi. Nego Antecedens. Ejus probationi diſtingvo majorem. Cognitio paritur ex ſpecie objecti *ſolùm explicitè propoſita*. Nego majorem. Cognitio paritur ex ſpecie objecti, *vel explicitè, vel implicitè propoſita*. Concedo majorem. Similiter diſtingvo minorem. Atqui ſenſatio per quam tunc cognoſcitur animal, nullô modô etiam *implicitè* eſt repræſentativa rationalis. Nego minorem. Nullô modô *explicitè*. Concedo minorem, & nego Conſequentiam ac dico: Cognitio paritur ex ſpecie objecti, vel explicitè clarè, expreſsè, propoſita, vel implicitè, & ſufficit ut implicitè proponatur. Quando *vg*: Petro videnti hominem, à longè proponitur explicita & clara ſpecies animalis, ſimul etiam in animali, proponitur implicitè, ſpecies rationalis, idq; ideo, quia rationale eſt realiter adæquatè identificatum animali, implicat enim ut unum ex identificatis proponatur, & alterum non proponatur, alias de uno eodemq; realiter ente, verificarentur prædicata contradictoria realia, quòd implicat, juxta illud principium: *Implicat de uno eodemq; ente, verificari prædicata contradictoria.*

773. Confirmationi primæ concedo Antecedens, diſtingvo conſequens. Ergò ſi animal & rationale, eſſet idem in linea cognoſcibili, non poſſet unum cognoſci ſine alio, *hoc eſt non poſſet præſcindi objectivè unum ab alio.* Concedo

Con-

consequentiam. *Non posset præscindi formaliter unum ab alio per actum intellectûs.* Nego Consequentiam, ac dico: Animal & rationale sunt idem in linea cognoscibili *ex parte objecti* in hoc sensu, quod dum *expressè* cognoscitur animal, cognoscitur etiam *implicitè* & rationale animali realiter adæquatè identificatū: tamen hôc non obstante idem animal & rationale, sunt in diversa linea cognoscendi ex parte actûs in hoc sensu, quod *unum ab alio potest præscindi formaliter per actum intellectûs*: aliàs præcisionibus formalibus nullibi daremus locum, quæ tamen ab omnibus admittuntur.

774. Confirmationis secundæ distingvo Antecedens. Cognitio animalis non est cognitio rationalis *clara, discretiva & explicita.* Concedo Antecedens. *Non est implicita,* nego Antecedens. Similiter distingvo consequens. Ergò cognoscibilitas animalis non est cognoscibilitas rationalis *expressa, discretiva, & explicita.* Concedo Consequentiam. Ergò cognoscibilitas animalis, non est cognoscibilitas rationalis, *implicita* nego consequentiam. Tandem distingvo ultimum consequens. Ergò differunt in esse cognoscibili *per rationem seu per actum intellectûs.* Concedo consequentiam. Ergo differunt in esse cognoscibili *realiter & à parte rei.* Nego consequentiam ac dico, continuò id opponunt DD. Bacconistæ, quòd animal & rationale differant in linea cognoscibili, seu in linea cognoscendi, seu in cognoscendo, & hoc absolutè non negamus, sed confitemur, quòd animal & rationale, differant *per rationem, non autem realiter*: ex hac autem differentia per rationem, infertur, tantùm distinctio rationis, non autem distinctio realis Bacconica. Similiter sentimus de cognoscibilitate animalis, & rationalis, quòd una ab altera, distingvatur tantùm per rationem, non autem per ullam distinctionem realem.

775. Illam rationem. De objectis philosophari ita oportet, sicut de actibus: absolutè nego. Possunt enim

actus

actus inter se distingvi realiter, & tamen objecta eorum actuûm possunt esse identificata realiter adæquatè, & hoc patet in omni præcisione formali, ubi actus præscindentes sunt distincti realiter, & tamen objecta eorum, sunt identificata realiter adæquatè.

776. Confirmationi 3tiæ. Transeat Antecedens, & consequentia, quia procedit de animali & rationali reduplicativè sumptô: quæstio autem est, utrum animal & rationale specificativè sumpta distingvantur realiter in linea cognoscibili. Porro etiamsi per impossibile animal reduplicativè sumptum, distingveretur in linea cognoscibili à rationali reduplicativè sumpto(quod absolutè negari potest) adhuc non sequitur, quòd animal specificativè, & præcisivè secundũ se sumptũ, distingvatur realiter à rationali, pariter specificativè, ac præcisivè secundũ se sumpto. Potest etiam illud antecedens distingvi: Animal ut cognitũ non est rationale, ut cognitũ *expressè*. Concedo Antecedens. Non est rationale ut cognitum *etiam implicitè*. Nego Antecedens. Similiter distingvo consequens, & nego consequentiam.

777. Confirmationi 4tæ omissa Majore (quæ etiam limitari posset.) Distingvo minorem. Atqui *non attingit clarè, expressè, & discretivè* cognoscibilitatem rationalis. Concedo minorem. Non attingit *implicitè*. Nego minorem. Deinde distingvo consequens. Ergò animal & rationale habent cognoscibilitates diversas *hoc est distinctas per rationem, seu per operationem intellectûs*. Concedo Consequentiã. Ergo animal & rationale habent cognoscibilitates diversas, *hoc est distinctas realiter in linea intelligibili Bacconica*. Nego Consequentiam, ac dico: certùm est omnibus, quòd animal & rationale *vg*: ejusdem Petri, habeat diversas cognoscibilitates, sed diversas & distinctas tantùm per rationem, nempe per operationem intellectûs, quia animal cognoscitur sub *ratione generis*, rationale autem

sub

sub ratione differentiæ: non habet autem cognoscibilitates diversas, & distinctas realiter, ante omnem operationem intellectûs, quia hujus nullum est fundamentum. Cæterùm ex hac diversitate cognoscibilitatum per rationem, nullatenus inferri potest distinctio realis Bacconica, sed tantùm distinctio rationis. Omnia ergo argumenta Bacconistarum, probant hoc, quod nos concedimus: nempè probant id, quòd animal *vg:* & rationale, habeant diversas cognoscibilitates, consequenter quod possint cognosci per diversos actus, & cognitiones, ac conceptus: sed non probant hoc, quod nos negamus: nimirum negamus hoc, quòd ex eo animal à rationali distingvatur realiter in linea intelligibili, quòd animal & rationale, habeat diversas cognoscibilitates, per rationem distinctas, & quod idem animal & rationale possit cognosci per diversos actus: ex hoc enim sola distinctio rationis inferri potest.

778. Adverto. Argumenta superiùs proposita, id tantùm probant quòd animal & rationale differunt formaliter in esse intelligibili seu cognoscibili, non probant autem quòd differant realiter: quia ly *realiter*: nullibi est additum: proinde manifestè non probant distinctionem realem Bacconicam. Quòd autem animal & rationale, differant formaliter in esse intelligibili, seu cognoscibili: sensus est, quòd differant per cognitionem præscindentem formaliter unum ab alio, non autem per cognitionem præscindentem objectivè: seu brevius loquendo inter animal & rationale, non datur præcisio objectiva, datur autem præcisio formalis.

779. Objicitur 2do. Voluntas potest amare unam formalitatem objecti, quin amet aliam, cum ipsa identificatam. Ergo intellectus poterit cognoscere formalitatem animalis, quin cognoscat rationale, cum ipso iden-

tifi-

tificatum. Antecedens probatur exemplîs moralibûs. 1mo. DEO displicet de operatione peccaminosa, ut ab homine elicita, & simul complacet de suo concursu generali, imbibito in tali operatione, quatenus per illum satisfacit muneri primæ causæ, & tamen concursus DEI, est idem realiter cum actione creaturæ.

780. 2do. Plura in moralibus excusantur in culpa, eò quòd unum ex identificatis, sit volitum, & aliud non est volitum, sed omnino præter intentionem. Sic auditio Confessionis de peccatis venereis, est volita à Parocho, ut est à sua obligatione: & ut est periculosa, non est volita: Idem patet in volente occidere animal, & non volente occidere rationale, quòd existimat occidere brutum. Item in homine invaso, qui fugiens potest occidere innocentem, si viam præcludat, quia illa non est intenta, ut occisio innocentis, sed ut medium ad naturalem defensionem. Si ergo una formalitas, potest esse volita in recto, & alia non volita in recto, una intenta. & alia præter intentionem, cur non poterit, una formalitas cognosci ab intellectu, & alia non cognosci, ita ut in recto fiat ipsa præcisio?

781. Respondeo 1mo. Ista omnia probant dari distinctionem formalem ex natura rei, etiam in linea physica probant item distinctionem Bacconicam esse in linea physica: tandem probant etiam distinctionem Scotisticam item distinctionem in linea volibili, amabili, visibili, risibili. &c. Si enim Bacconistis licet sic inferre: Animal potest cognosci, rationale non cognosci. Ergo animal & rationale distinguuntur realiter in linea cognoscibili? quare non licebit inferre sic: Voluntas potest amare unam formalitatem objecti *vg;* animal, & non amare rationale? Ergo animal & rationale distingvuntur realiter in linea amabili. Item animal est volitum, rationale non volitum.

Ergo

Ergo animal & rationale diſtingvuntur realiter in linea amabili. Item animal eſt volitum, rationale non volitum, ergo animal & rationale diſtingvuntur realiter in linea volibili &c. Tandem ſi una eadēq; res poteſt diverſimode videri tunc dabitur diſtinctio realis in linea viſibili.

782. Reſpondeo 2do. Nego Antecedens ad rationem primam illius dico: primò, verùm eſt quòd DEO diſplicet de operatione peccaminoſa, quatenus ab homine elicita, & ſimul complacet de ſuo concurſu generali, ſed hæc complacentia oritur ex diverſo reſpectu: complacentia enim oritur ex concurſu generali, diſplicentia autem ex operatione peccaminoſa, quatenus ab homine elicita: conſequenter illa complacentia & diſplicentia, nulla arguit prædicata contradictoria ut eſt evidens. Dico 2do quòd concurſus generalis non identificetur operationi peccaminoſæ, neq; dictus concurſus, eſt idem realiter adæquatè, etiam quo ad rectum cum operatione creaturæ. Verùm eſt quòd tam DEUS, quàm creatura quæcunq;, per unam eandemq; rationem producat effectum, tamen quod concurſus generalis Divinus, ſit idem omnino à parte rei, cum actione peccaminoſa creaturæ, hoc falſum eſt. Sicut enim gratia ſpecialis DEI, concurrens cum voluntate humana, ad eliciendum actum ſalutarem, non eſt idem cum actu ſalutari: ita concurſus generalis DEI, juvans creaturam ad operandum, non eſt idem cum operatione creaturæ. Conſequentia ex primo Antecedente illata poſſet abſolutè negari, ſed claritatis gratiâ diſtingvo conſequens. Ergo intellectus, poterit cognoſcere formalitatem animalis, quin cognoſcat rationale cum ipſo identificatum, poterit inquam cognoſcere *per præciſionem formalem quæ ſit per actum intellectûs*. Concedo Conſequentiam, *per præciſionem objectivam*. Nego Conſequentiam. Quid ſit autem præciſio formalis, & quid objectiva? conſtat ex dictis hîc Art: 4. ñro 44. Dico ergo

go quòd intellectus potest cognoscere unam formalitatem sine alia *inadæquatione actûs præscindentis formaliter, non autem inadæquatione objecti.*

783. Rationi 2dæ nego, suppositum, quòd unum ex identificatis possit esse volitum, & alterum ex identificatis non esse volitum: Unde semel pro semper dico: quandocunq; unum ex identificatis est volitum, etiam & alterum est volitum, saltim implicitè, virtualiter, & interpretativè: non tamen semper illud alterum volitum, imputatur ad pœnam, vel præmium, propter defectum intentionis, advertentiæ, vel deliberationis. Undè volens occidere animal, existimando illud, quod à longè in sylva cernitur, esse brutum, quando occidit animal, etiam à parte rei occidit & rationale, tamen occisio ista, non imputatur ipsi in pœnam, quia prædictus homo volens occidere animal, bona fide existimavit illud animal esse, ex altera parte, supponitur ita esse constitutus, ut si haberet dictamen, notitiam, advertentiam, vel suspitionem solidam, illud animal esse rationale, defacto illud non occidisset. Porro illud nonnisi volitum imputatur ad pœnam, vel præmium, quandoquis volendo aliquid, habet simul dictamen, vel advertentiam, de honestate vel inhonestate actionis, ille autem qui bona fide volebat occidere animal, putando illud esse brutum, nullum habuit dictamen de inhonestate actionis, sed tantùm apud se, id certum habebat, quòd ei sit licitum occidere animal.

784. Quantùm ad instantiam de homine invaso, dico: quod homo invasus fugiens invasorem, potest occidere innocentem, non ideo quòd una formalitas ejusdem rei possit esse volita, & altera non volita, sed ideo, quia in dato casu, nulla lex prohibet, occisionem innocentis.

785. Quantùm ad instantiam de auditione Confessionis petitam, dico: quod auditio Confessionis de peccatis venereis, inquantùm est ex obligatione, completur

per

per obligationem in obliquo, inquantum verò periculosa est, completur per id, unde adest periculum, *vg:* completur complacentiâ, si Sacerdos audiens peccata venerea, complacet sibi in illis. Porro non est novum, quod uni eidemq; rei, possint competere prædicata contradictoria, si compleatur in obliquo, per diversa connotata, seu requisita, quia tunc verificantur prædicata contradictoria respectu diverso.

786. Addo. Auditio Confessionis de peccatis venereis, est tantùm volita, non est autem simul non volita, periculum autem ex illa contingens, est non volitum: porro auditioni Confessionis de peccatis venereis non identificatur periculum ita, sicut animali ejusdem Petri, identificatur rationale, sed illud periculum contingit à varijs extrinsecis circumstantijs. Quòd autem auditioni Confessionis de peccatis venereis, non identificetur periculum, ratio est, quia plurimi Confessarii audiunt Confessiones de peccatis venereis & tamen nullum periculum incurrunt.

787. Adverto. Argumenta in objectione 2da à DD. Bacconistis proposita, id supponunt & probant, quod in creatis possint verificari prædicata contradictoria, de identificatis realiter adæquatè. Sed hoc implicat. Ergo implicat & distinctio realis Bacconica, quæ fundatur in verificatione contradictoriorum de identificatis realiter adæquatè. Minor probatur. Si in creatis possent verificari prædicata contradictoria, de identificatis realiter adæquate, tunc in ijsdêm creatis, daretur aliqua Mysteriositas propria, Mysterio SS. Trinitatis. Sed hoc implicat. Ergo &c. Probatur sequela majoris. Inter alias Mysteriositates SS. Trinitatis est etiam hæc Mysteriositas, quod in eodem Mysterio verificentur prædicata contradictoria, de identificatis realiter adæquatè ut certum ex fide, & con-

 stat

ſtat ex dictis hic Articulo 25. nro 253. 1254. Ergo ſi &c. Minor etiam patet quia ſi in creatis daretur aliqua Myſterioſitas, propria Myſterio SSmæ Trinitatis tunc in ijsdem creatis poſſet dari ſaltim partialiter Myſterium Trinitatis creatæ. Sed hoc implicat. Ergo &c. Admiſsâ autem una Myſterioſitate SSmæ Trinitatis in creatis, non eſſet ratio, quarè non deberent admitti, etiam aliæ Myſterioſitates.

788. Unde ſicut plurimũ deſudant Theologi in hoc, quomodò in Myſterio SS. Trinitatis ſalvari poſſint prædicata contradictoria, ne Myſterium SS. Trinitatis, dicatur hymericum ab Infidelibus, ita iterum deſudare deberent, quomodò ſimilia contradictoria, poſſent ſalvari in creatis, cum tamen hujus laboris & ſudoris, nulla ſit neceſſitas, ſiquidem apud omnes certiſſimum eſt illud principium: *Implicat de identificatis realiter adæquatè, verificari prædicata contradictoria.* Neq; etiam hic valet recurſus ad lineam phyſicam & intentionalem realem, quia tales reſponſiones, ſunt verba Synonyma, & phraſes: in re autem idem ſunt, & nihil ſuos Authores juvant, ut toties deduximus, & probavimus.

789. Dices: Sicut animal & rationale inter ſe identificantur, ita Unitas DEI, & Trinitas Perſonarum: & tamen intellectus per cognitionem purè naturalem cognoſcit Unitatem, & non Trinitatem. Ergo quamvis animal & rationale inter ſe identificentur, poterit intellectus ſimpliciter cognoſcere animal, & non cognoſcere rationale. Confirmatur. Eſſentia Divina identificatur tribus Perſonis Divinis, & tres Perſonæ Divinæ identificantur Eſſentiæ Divinæ, & tamen illis competunt prædicata contradictoria ut certum eſt ex fide. Ergo licet animal & rationale identificentur inter ſe, tamen illis poſſunt competere prædicata contradictoria, conſequenter poteſt animal cognoſci, & rationale non cognoſci.

790.

790. Reſpondeo conceſſo Antecedente, nego conſequentiam quia hæc procedit à Myſterio Trinitatis increatæ, ad creata: porro non licet univerſaliter argumentari, à Myſterio Trinitatis ad creata, alias ſi liceret argumentari à Myſterio Trinitatis ad creata, tunc ſicut in Myſterio Trinitatis aliqua quæ ſunt eadem uni 3tio, non ſunt eadem inter ſe, ita poſſet id fieri in creatis, quod tamen implicat. Præterea diſparitas eſt, quia Myſterium SS. Trinitatis eſt ens ſupra lumen naturæ poſitum ut probavimus Artic: 25. animal autem & rationale, eſt ens poſitum infra lumen naturæ, & lumini naturali ſubjectum: proinde de illis non licet æqualiter diſcurrere. Confirmationi pariter conceſſo Antecedente nego conſequentiam propter eandem rationem. vel utraq; conſequentia hîc adducta poſſet diſtingui juxta datas ſimilium conſequentiarum diſtinctiones, & limitationes.

791. Ad pleniorem objectionum, à DD. Bacconiſtis allatarum ſolutionem, adfero hic doctrinam, & diſcurſum Joánnis de Ulloa, qui in Logica Majore diſp: 1ma cap: 8. agendo de præciſionibus objectiva & formali, numero 217. & ſequentibus ſic loquitur: Vaſtum eſt diſcrimen inter vulgarem, communem, latum, frequentemq; modum loquendi, & inter modum ſtrictum rigoroſum atq; Scholaſticum. Innumeræ propoſitiones quæ juxta communem loquendi modum, veræ ſunt, ſi ad lydium lapidem rigoris, atq; formalitatis Scholaſticæ revocentur falſitate laborabunt. Quod luculentius exemplis oſtenditur. 1mo David Pſal: 13. ſic ait: *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt usq; ad unum.* Quæ ſententia: juxta communem loquendi modum, accipientem majorem partem, pro toto ut notat D. Auguſtinus, & D. Hieronymus vera eſt. Sin verò rigore perpendatur Scholaſtico, juxta quem non fuit dicta, falſa eſt; ſiqui-

siquidem B. saltim Virgo MARIA, & suus Filius non declinaverunt à Bono. 2do. Inquit Christus: *Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones*, quæ propositio, si formalitate perpendatur Scholastica, juxta quam prolata, non fuit, falsa invenietur: quando quidem Abraham, Moyses, Elias, & prisci illi Sancti, qui ante Christum venerunt, non fuerunt fures, & latrones. 3tio. *Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ JESU Christi* scribit Apostolus, quod formalitate Scholastica acceptum, falsum putabitur: quippe Joannes, Petrus, & cæteri Apostoli non quæ sua erant; sed quæ JESU Christi quærebant. Omitto alia exempla quæ præfatus Author adfert: de Propheta tamen Hieremia cap: 20. adduco: qui inquit: *Seduxisti me Domine & seductus sum*, quæ propositio juxta laxiorem loquendi modum, juxta quem locutus est Prophæta, vera est, in rigore verò Scholastico, blasphemiæ arguitur, cum DEUS summè verax, neminem possit seducere. Idem Jeremias Tren: 2. inquit: *Repulit Dominus Altare suum, maledixit sanctificationi suæ*. Hæc sententia in rigore Scholastico à quo est aliena, falsa quoq; est, siquidem Divina Sanctificatio in capax est maledictionis. Prolixus essem (inquit præfatus Author) Si exempla cuncta agglomerarem, quibus manifestè ostenditur, magnam esse distinctionem inter frequentem, communemq; loquendi modum, & Scholasticum rigorem. Notarunt bellè hoc discrimen D. Hieronymus, Salmeron, P. Gaspar Sanches, sic agentes. *Scriptura Sacra sæpè non tam ad veritatem ipsam, quàm ad hominum opinionem, sermonem accommodat*.

792. Econverso, multæ propositiones, quæ in rigore Scholastico sunt veræ, juxta communem loquendi modum, sunt falsæ. Nam 1mo. Juxta Scholasticum rigorem est verùm dicere sic: *Intellectus est potentia immediatè libera. Habet pro objecto formali bonitatem, amat, odit*. Quo-

niam

niam hæc omnia verificantur de voluntate, cum qua intellectus identificatur. Et tamen omnes dictæ propositiones, in communi loquendi modo sunt falsæ, & qui illas palam assereret, irrideretur, 2do. In rigore Scholastico est verùm dicere, visionem esse actum voluntatis, amorem esse actum intellectûs: namq; potentia visiva, intellectus, & voluntas, inter se identificantur: & tamen in communi loquendi modo falsæ sunt hæ propositiones: parco aliis: ergo multæ sunt propositiones, quæ in rigore Scholastico sunt falsæ, & in communi loquendi modo sunt veræ: ergo hi duo modi accipiendi terminos, sunt valde diversi; quo circa ex uno immeritò arguitur ad alterum. Et ratio à priori est, quam passim experimur. Modus enim frequens, & vulgaris loquendi, est valdè amplus, metaphorisq; abundans; Scholasticus verò magis strictus, severusq; ergo multum differunt inter se. En radicem detectam multarum æquivocationum, confunditur enim multoties, unus modus loquendi, cum altero. Hactenus Jòánnes de Ulloa.

793. Sequendo ergo hanc doctrinam & discursum Jòánnis de Ulloa, potest responderi ad objectiones DD. Bacconistarum superiùs expositas tali modo, quod illæ propositiones: *Animal cognoscitur, rationale non cognoscitur.* Item: *Animal potest cognosci sine rationali* possent permitti, & dici veræ, juxta vulgarem, communem, amplum, & latum modum loquendi: juxta autem strictum, rigorosum, & Scholasticum modum loquendi sunt falsæ, neq; sunt contradictoriæ, licet contradictoriæ videantur. Simili modo potest responderi ad objectiones DD. Scotistarum suam distinctionem promoventium. Hic tamen modus respondendi non potest adhiberi de prædicatis contradictoriis quæ verificantur de Natura Divina & Personis, quia ibi verificantur contradictoria juxta fidem, non autem

juxta

juxta opinionem Authorum: item prædicata quæ adstruunt DD. Bacconistæ, non sunt verè contradictoria, ut patet ex solutionibus objectionum: prædicata autem quæ verificantur de Natura Divina & Personis, sunt verè contradictoria. Tandem quomodò sint soluendæ difficultates Mysterii Trinitatis, ex occasione prædicatorum contradictoriorum quæ ibi verificantur diximus de hoc, in toto Articulo 25.

ARTICVLVS LIII.

In quo referuntur ulteriores objectiones.

794. OBijcitur 3tio. A simplici natura possunt dimanare plures proprietates. Ergo à simplici entitate, poterunt dimanare plures formalitates cognoscibiles. Confirmatur 1mo. Simplex entitas hominis, est nata causare in intellectu, diversos effectus sensationis, & discursûs Ergo ex natura rei, est diversimodè conceptibilis. Confirmatur 2do. Quælibet res ex natura sua, est cognoscibilis per effectus. Sed simplex entitas hominis, potest producere diversos effectus, nempe sensationis & discursûs. Ergo est diversimodè cognoscibilis,

795. Respondeo etiam hoc totissimum argumentum, probat dari distinctionē formalē ex natura rei Bacconicā in linea physica, ut constat ex dictis superiùs: probat item distinctionem Scotisticam. Respondeo 2do. Distingvo Antecedens. A simplici entitate possunt dimanare plures *realiter distinctæ proprietates*. Nego: Plures *per rationem*, Concedo Antecedens. Similiter distinguo consequens. Ergo à simplici entitate poterunt dimanare plures *realiter distinctæ formalitates cognoscibiles*. Nego, plures *per rationem distinctæ, seu per actum intellectûs*. Concedo consequentiam & dico: Ab una eademque entitate *vg:* ho-

mine

mine, dimanant plures proprietates, *vg:* hæ quod homo ſit riſibilis, admirativus, ſenſitivus, ſed hæ proprietates ſunt idem realiter, diſtingvuntur autem nonniſi diſtinctione rationis facta ab intellectu.

796. Addo hæc immediata objectio, id tantum probat quod una realiter entitas, ſit diverſimodè cognoſcibilis, per diverſos actus intellectûs, hoc autem non negamus, ſed tantùm id negamus, quòd ex iſta diverſimoda cognoſcibilitate rei, ſequatur aliqua diſtinctio realis, in linea cognoſcibili, quæ ſit diverſæ ſpeciei, à diſtinctione rationis ratiocinatæ, dependente ab actu intellectûs.

797. Addo item. Hujus objectionis antecedens & conſequentia expreſsè poſita, concedi poteſt: ſolùm verò neganda eſt hic tacita conſequentia nempe hæc: *Ergo inter plures formalitates cognoſcibiles, datur diſtinctio realis in linea cognoſcibili.*

798. Confirmationi 1mæ poteſt concedi antecedens & conſequens, & negari tacita conſequentia, nempe illa: *Ergo ibi datur diſtinctio realis in linea intelligibili.* Præterea conceſſo antecedente poteſt diſtingui conſequens. Ergo ex natura rei, eſt diverſimodè conceptibilis, *& ex hac diverſimoda cognoſcibilitate, poteſt inferri diſtinctio rationis ratiocinatæ, quæ ſit per actum intellectûs.* Concedo conſequentiam. Et ex iſta *diverſimoda cognoſcibilitate, poteſt inferri diſtinctio realis Bacconica.* Nego conſequentiam ac dico: Certùm eſt apud omnes, quod una eademq; ſimplex entitas, nata ſit cauſare in intellectu diverſos conceptus, certùm pariter eſt, quòd una eademq; ſimplex entitas, ſit diverſimodè cognoſcibilis, ſed ex hac capacitate cauſandi diverſos conceptus, & ex præfata diverſimoda cognoſcibilitate, id tantùm poteſt inferri, quòd animal *vg:* & rationale, diſtingvantur diſtinctione rationis ratiocinatæ, per actum intellectûs, nullatenùs autem poteſt inferri di-

ſtinctio realis Bacconica, cùm hæc ſit diſtinctio realis rigoroſa, ut eam vocant ſui Authores, jam autem inter formalitates, ſeu prædicata unius ejusdemq; rei, implicat diſtinctio realis rigoroſa.

799. Confirmationi 2dæ concedo Majorem, & minorem, imò & conſequentiam, quæ in dicta confirmatione expreſsè infertur, tacitam autem conſequentiam, quæ hic ſubintelligitur à Bacconiſtis. Nego. Præterea claritatis gratiâ eiusdem confirmationis diſtingvo conſequens. Ergo ſimplex entitas eſt diverſimodè cognoſcibilis, *& ex hac diverſimoda cognoſcibilitate, poteſt inferri diſtinctio rationis ratiocinatæ.* Concedo conſequentiam. Et ex hac diverſimoda cognoſcibilitate poteſt inferri *diſtinctio realis rigoroſa Bacconica.* Nego conſequentiam ac dico: Ex hoc quod una eademq; ſimplex entitas, poſſit producere diverſos effectus, id tantùm ſequitur, quod ijdem ipſi effectus diſtingvantur inter ſe realiter, ex hoc autem quòd una ſimplex entitas ſit diverſimodè cognoſcibilis, id tantùm ſequitur, quòd in una eademq; ſimplici entitate, detur fundamentum diſtinctionis rationis ratiocinatæ, & quòd prævió hoc fundamentô, detur ibi, & poſſit dari diſtinctio rationis ratiocinatæ per actum intellectûs: nullatenus autem ſequitur hoc, quod ibi detur diſtinctio realis, quia nullum hujus eſt fundamentum.

780. Ad complementum hactenus dictorum, noto: quòd juxta omnium ſenſum. Status rerum duplex eſt: unus realis, alter ſtatus rationis. Status realis ille eſt, quem res habet à parte rei, independenter ab actu intellectûs. Status rationis, ſeu ſtatus intentionalis, ille eſt, quem res non habet in ſe à parte rei, ſed dependenter ab aliquo actu intellectûs: ſeu ſtatus intentionalis eſt ille, quem ipſa ratio, ac ipſe intellectus fabricat, fingit, ac format. Communiter itaq; docent omnes Authores, quòd una e-

ademq;

ademq; res, & simplex entitas in statu physico, possit esse multiplex in statu rationis, dependenter ab actu intellectûs: & sic *vg*: animal, & rationale ejusdem Petri, sunt una eademq; res in statu reali, tamen in statu rationis, apprehenduntur per modum plurium; animal enim apprehenditur per modum generis, rationale permodum differentiæ: Animal definitur per principium productivum sensationum, rationale verò, per principium productivum ratiocinationum; quia verò res ita judicamus sicut apprehendimus, unde quia animal & rationale permodum duorum apprehendimus, ideo etiam per actus intellectûs, tanquam aliqua duo judicantur, licet à parte rei sint defactò, una eademq; res.

781. Sicut ergo communiter Authores loqvuntur de una eademq; re in statu reali, & in statu rationis facta ab intellectu, ita Baccinistæ loqvuntur de una eademq; re in linea physica, & in linea intentionali, intelligibili, cognoscibili, obijcibili, repræsentabili &c. Nempe, dicunt illi, quod animal & rationale ejusdem Petri, in linea physica, sit omnino idem realiter adæquatè: tamen in linea intentionali, cognoscibili. seu in esse repræsentativo, non sunt idem, sed distingvuntur formaliter realiter, ex natura rei, in eadem linea intelligibili. Unde à parte rei hoc illi loqvuntur, quod communiter docent omnes Authores, admittentes statum realem, & statum rationis, dependentem ab intellectu: discrepant autem in hoc, quòd illam lineam intentionalem intelligibilem, dicunt esse omninò independentem, ab ullo actu intellectûs, consequenter dicunt, quod animal & rationale, consideratum in linea intelligibili, sit res multiplex independenter ab omni actu intellectûs: Omnes autem Authores lineam intentionalem, docent esse dependentem ab actibus intellectûs, & per illam intelligunt statum rationis contradistinctum á statu reali.

782. Adverto 1mo. Quando Doctissimi Bacconistæ premuntur argumentis oppositis, probantibus quòd distinctio Bacconica, sit omnino idem cum distinctione Scotistica, tunc illi ordinariè respondent, quòd non sit omnino idem, differtq; à Scotistica per hoc, quòd distinctio Scotistica sit in linea physica, Bacconica verò in linea intentionali. Ad decernendum ergo finaliter, utrum distinctio Bacconica, differat à Scotistica? inquirendum restat, utrum linea intentionalis in sensu Bacconistarum accepta, sit distincta realiter à linea physica?

783. Respondeo & dico: Linea intentionalis in sensu Bacconistarum accepta, non est distincta realiter à linea physica. Probatur id ex principiis, & doctrina ipsorum DD. Bacconistarum, hôc modò: *Esse intentionale resultativum, non est realiter distinctum, ab esse physico, quia est illius proprietas: proprietates autem non differunt realiter ab ente:* Verba sunt Elisei Garciæ q. 1. de statu & linea intentionali Art: 1. §. 1mo, ñro 399. & citat pro se Doctissimum Joánnem Bacconium. Ergo etiam linea intentionalis, non est distincta realiter à linea physica. Antecedens est certum apud Bacconistas, Consequentia probatur. Linea intentionalis, & esse intentionale, sunt idem realiter, sicut linea physica, & esse physicum sunt idem realiter: quia nullum est fundamentum ista distingvendi realiter. Ergo si esse intentionale &c. Deinde quæcunq; ratio probat quòd esse intentionale resultativum, nôn distingvatur realiter ab esse physico, eadem ratio probat, quòd linea intentionalis realis Bacconica, non distingvatur realiter à linea physica: sicut enim juxta Bacconistas, esse intentionale est proprietas entis, ita linea intentionalis realis, est proprietas entis. Ergo &c.

784. Dices: Linea intentionalis dicit ordinem ad intellectum, linea verò physica non dicit ordinem ad intellectum. Ergo distingvuntur inter se. 785.

785. Respondeo: Esse intentionale dicit ordinem ad intellectum, esse physicum non dicit ordinem ad intellectum, & tamen esse intentionale, non est realiter distinctum ab esse physico, ut supra ostendimus ex Eliseo Garcia. Ergo pariter licet linea intentionalis dicat ordinem ad intellectum, linea verò physica non dicat eundē ordinem, tamen linea intentionalis, non est distincta realiter à linea physica.

786. Dixi: *Linea intentionalis in sensu Bacconistarum accepta non est distincta realiter à linea physica*: quia linea intentionalis, in sensu communi accepta, est distincta realiter à linea physica. Linea enim intentionalis in sensu communi accepta, est linea rationis, facta, fabricata, formata per intellectum: linea autem physica est independens ab omni actu intellectûs: Unde sicut status realis & physicus distingvuntur realiter à statu rationis, ita linea rationis, distingvitur realiter à linea physica, seu reali.

787. Infertur ex dictis. Quoniam linea intentionalis in sensu Bacconistarum accepta, est idem realiter cum linea physica, proinde differentia distinctionis Bacconicæ à Scotistica, (quâ dicunt quòd distinctio Scotistica sit in linea physica, Bacconica verò in linea intentionali) evidenter non subsistit: si enim semel certum est, quòd linea intentionalis, sit idem realiter cum linea physica, tunc etiam distinctio Bacconica, est idem cum distinctione Scotistica.

788. Adverto 2do. Est imperceptibile, dum dicitur: *Datur distinctio in linea cognoscibili, & tamen non dependet à cognitione.* Item datur *distinctio in linea intelligibili & tamen non dependet ab intellectu*: item datur *distinctio in esse obijcibili, repræsentabili intellectui*, & tamen illa non formatur ab intellectu. Et hoc totum loquuntur Bacconistæ, qui docent dari distinctionem in linea cognoscibili, & tamen

men dicunt illam non dependere à cognitione, item docent dari distinctionem in linea intelligibili, & tamen dicunt illam non dependere ab intellectu, tandem docent dari distinctionem in linea obijcibili, repræsentabili intellectui, & tamen dicunt illam non formari, neq; fieri ab intellectu.

789. Obijcitur 4to. Illa distingvuntur formaliter ex natura rei, quæ ex formali & proprio conceptu suo, nec identificantur, nec distingvuntur physicè. Sed animal & rationale, ex formali & proprio conceptu suo, nec identificantur, nec distingvuntur physicè. Ergo animal & rationale distingvuntur formaliter ex natura rei. Minor probatur. Animal ex genere suo, nec petit distingvi à rationali, nec cum illo identificatur, alias non posset ab illo separari, seu distingvi, & esse in bruto, itaq; animal ex se & ex proprio conceptu suo, est indifferens ut sit, vel non sit rationale: at verò ut sit vivens, sentiens, non est ad id indifferens, quæ est propria ratio constitutiva animalis. Ergo &c.

790. Respondeo 1mo. Nego suppositum majori, quòd dentur aliqua duo, quæ sibi ex formali & propriò conceptu suo, nec identificentur physicè, nec distingvantur physicè: omne enim ens est indivisum in se, & divisum ab omni alio.

791. Respondeo 2do. Per formalem & proprium conceptum animalis & rationalis, nihil aliud intelligitur, nisi ipsa definitio animalis & rationalis, præscindens per actum intellectûs animal à rationali: cum autem ista præcisio formalis, fiat per actum intellectûs, tunc inter animal & rationale, sola datur distinctio facta per intellectū, non autem distinctio realis Bacconica.

792. Respondeo 3tio. Quod argumentô superius adductô non tantùm probetur distinctio Bacconica, sed etiam

etiam diſtinctio Scotiſtica, quod ſic oſtendo: Illa diſtingvuntur formaliter ex natura rei diſtinctione Scotiſtica, quæ ex formali & proprio conceptu ſuo, nec identificantur nec diſtingvuntur phyſicè. Sed animal & rationale ex formali & proprio conceptu ſuo, nec identificantur nec diſtingvuntur phyſicè. Ergo animal & rationale, diſtingvuntur formaliter ex natura rei diſtinctione Scotiſticâ, quod eſt contra Bacconiſtas. Minor ita probanda, ſicut in objectione probata eſt.

793. Reſpondeo 4to. Negando minorem, quia Doctiſſimus Joánnes Bacconius Author hujus diſtinctionis, non ſic explicat, & definit diſtinctionem formalem ex natura rei, ſed potius juxta illum, illa diſtingvuntur formaliter ex natura rei, *quæ nata ſunt diverſimodè concipi ab intellectu*, ut patet ex præſuppoſito 4to, ubi dicit: *Quædam ita* (nempe diſtingvuntur) *quòd eorum diſtinctio non eſt ab intellectu fabricata, nec ita, ut eorum diſtinctio, conſiſtat in rebus diverſis, ſed ita, quod eadem res, nata eſt diverſimodè concipi ab intellectu.* Præterea Doctiſſimus Eliſeus Garcia tractando de diſtinctione Bacconica, diſt: 2. q. 1. Art: 3. §. 1. fol: 480. ſic illam definit: *Diſtinctio intentionalis eſt, quæ reperitur à parte rei, per ordinem ad intellectum:* qualis eſt inter animal & rationale.

794. Ad probationem minoris ſupra poſitæ dico: quod animal ex genere & conceptu ſuo proprio, non petit diſtingvi, realiter à rationali, petit tamen idem animal identificari realiter, cum eodem rationali: quia omnis præciſio formalis, ſupponit formalitates unius ejusdemq; rei, eſſe ſibi realiter identificatas: præciſio enim formalis per intellectum facta, nunquam datur inter illa, quæ ſibi nullatenus ſunt identificata. Porro quando animal & rationale, explicantur per diverſas definitiones, tunc animal & rationale, præſcinduntur formaliter per actum intellectûs.

795.

795. Ulteriori rationi, nego ſuppoſitum, quòd animal dum eſt in bruto, ſeparetur à rationali: animal enim bruti eſt in bruto, animal rationalis, eſt in rationali. Quod autem animal ſit in bruto, hoc fit non exindè, quaſi verò animal ſeparetur à rationali, ſed ideo, quia animal eſt genus, reſpectu hominis & bruti, conſequenter competit tam homini, quàm bruto. Rationale autem cum ſit ultima differentia hominis, competit ſoli homini.

796. Noto 1mo. Entia ſpecie diverſa, quarum unum eſt abſolutum, alterum relativum, debent habere ſuam differentiam independenter à prædicato *abſoluti*, & *relativi*: ſic *vg*: DEUS eſt ens abſolutum, creatura eſt ens relativum dependens eſſentialiter à DEO, & tamen differentia DEI à creatura, & creaturæ à DEO, non datur per prædicatum abſoluti, & relativi, ſed per aliquid aliud. Ergo pariter cum diſtinctio Bacconica ſit diverſæ ſpeciei à Scotiſtica, debet habere ſuam differentiam, independenter ab eo, quòd diſtinctio Bacconica ſit relativa, & Scotiſtica ſit abſoluta. Cum autem hæc differentia non oſtendatur à Bacconiſtis, tunc diſtinctio Bacconica, non eſt diverſæ ſpeciei à Scotiſtica.

797. Noto 2do. Doctiſſimus Eliſeus Garcia agendo de diſtinctione intentionali Bacconica, vocat illam mediã inter diſtinctionem realem maximam, & inter diſtinctionem rationis ut conſtat ex præſuppoſito 4to ad finem ñro 631 hoc autem ſubſiſtere non poteſt, quia ſicut non datur ens medium inter ens reale & rationis, cum iſtius admittendi nullum eſt fundamentum, ita non datur diſtinctio media, inter diſtinctionem realem, & diſtinctionem rationis, quia pariter nullum eſt illius fundamentum convictivum, ut hactenus probavimus.

798. Noto 3tio. Plures ſolent aſſignari viæ inter Scotiſtas, ad cognoſcendam diſtinctionem formalem, tres verò

verò tantùm sunt principales, ad quas aliæ reducuntur. Prima est via definitionis: illa enim quæ realiter indentificantur, & tamen diversis definitionibus essentialibus definiuntur, formaliter inter se distingvuntur. Secunda est via contradictionis, quando enim aliqua sunt realiter identificata, & de ipsis absq; aliqua intellectûs operatione, verificantur duo prædicata contradictoria, tunc illa distingvuntur formaliter, ante operationem intellectûs. Tertia est via reduplicationis, quando aliquid convenit à parte rei, & independenter à consideratione intellectûs alicui entitati, secundum unam rationem, non verò secundum aliam, tunc illæ rationes formaliter ex natura rei distingvuntur: quia enim homini inquantum est rationalis, convenit risibilitas, non verò inquantum est animal, infertur in homine distinctio formalis inter animal, & rationale: quod semper intelligendum est, in ordine ad conceptus perfectos & adæquatos. Ita referunt & docent in suo cursu Philosophico, Petrus à S. Catharina, & Thomas à S. Joseph Ordinis Minorum, strictioris observantiæ Discalceatorum Sacræ Theologiæ Lectores in Logica magna de universalibus Disp: 2da quæst: 2da Pag: 371. Sed his omnibus viis, & fundamentis, DD. Bacconistæ, defendunt suam Distinctionem formalem ex Natura rei, realem intentionalem, ut constat ex objectionibus illorum, superiùs propositis. Ergo distinctio Bacconica non differt à Scotistica.

819 Quòd si DD. Bacconistæ omnino contendant, suam distinctionem diferre specificè à distinctione Scotistica, tunc ad summum posset diferre per hoc quòd Distinctio Scotistica non dicatur à Scotistis, strictè & rigorosè realis, Distinctio autem Bacconica, est strictè & in rigore realis, ut deduximus hîc Artic: 48. nro: 631. Sed admisso hôc, quòd Distinctio Bacconica sit in rigore realis, tunc illa

ſimul erit in linea phyſica: quia omnis diſtinctio ſtrictè & in rigore realis, eſt diſtinctio in linea phyſica, ut patet inductione omnium diſtinctionum in rigore realium. Porro Diſtinctionem Bacconicam eſſe in linea phyſica, eſt contra Bacconiſtas: unde per quòd diferre volunt ſuam diſtinctionem, à diſtinctione Scotiſtica, per id conveniunt cum diſtinctione Scótiſtica: quia ita illorum diſtinctio eſt in linea Phyſica, ſicut illi aſſerunt, quòd diſtinctio Scotiſtica ſit in linea Phyſica: & quidem à fortiori Diſtinctio Bacconica eſt in linea Phyſica, quia eſt in rigore realis: diſtinctio autem Scotiſtica non dicitur à ſuis Authoribus eſſe, in rigore realis.

820. Noto 4to. Explicando Diſtinctionem formalem ex natura rei, Eliſeus Garcia dicit de illa, quod ſit minor diſtinctione reali Phyſica entitativa, idq; ideo, quia compatitur cum identitate reali phyſica entitativa, ut conſtat ex Præſuppoſito 3tio Sed hoc ſubſiſtere non poteſt Ergo &c: Major certa apud DD. Bacconiſtas, Minor probatur. Ipſa Diſtinctio Bacconica, eſt Diſtinctio realis Phyſica entitativa, ut probavimus nro: 663. & in aliis locis conſequenter non poteſt componi cum identitate reali ut probavimus nro 729. Ergo &c.

821. Noto 5to. Idem Eliſeus Garcia loco citato, de eadem Diſtinctione formali ſic inquit: *Illa autem dicuntur diſtingvi formaliter ex natura rei, quæ ex ſua ratione formali, habent diverſas quidditates, diverſas inquam non diſtinctas, & exigunt attingi per diverſos conceptus, & explicari pèr diverſas definitiones.* Contra hanc definitionem diſtinctionis formalis ex natura rei, ſic argumentor. Prædicta definitio continet in ſe terminos contradictorios. Ergo non eſt recta. Probatur Antecedens, In prædicta definitione reperiuntur iſti termini: *habent diverſas quidditates, diverſas inquam non diſtinctas.* Sed hi termini ſunt contradictorii. Ergo &c.

&c: Minor probatur. Habere diversas quidditates, & tamen non distinctas, sunt termini contradictorii. Ergo &c: Probatur Antecedens. Habere diversas quidditates, & non distinctas, idem est quod habere quidditates distinctas. Sed in hoc continetur contradictio. Ergo &c. 2da pars Majoris est certa apud Bacconistas: quia ipsi docent quòd illa quæ distingvuntur formaliter ex natura rei, habeant quidditates non distinctas. 1ma pars Majoris nempè quod illa quæ distingvuntur formaliter ex natura rei, habeant simul quidditates distinctas, probatur hôc modô. Illa quæ distingvuntur formaliter ex natura rei, habent quidditates diversas, ut constat ex allata immediate definitione. Ergo habent quidditates distinctas. Probatur consequentia. Quidquid est diversum ab alio, est distinctum ab illo alio, item quali modo aliquid est diversum ab alio, tali modo est distinctum ab alio, unde si aliquid est diversum realiter ab alio, est etiam distinctum realiter ab alio: item si aliquid est diversum per rationem ab alio, est etiam distinctum per rationem ab alio. Ergo si habent quidditates diversas, tunc eo ipso habent quidditates distinctas. Antecedens probatur inductione omnium entium diversorum, ex quibus quæcunq; sunt diversa inter se, sunt simul inter se distincta.

822. Noto 6to. In altera parte adductæ definitionis dicitur, quòd illa distingvantur formaliter ex natura rei. quæ exigunt attingi per diversos conceptus, & explicari per diversas definitiones. Sed hæ diversæ definitiones unius ejusdemq; entis, sunt tantum diversæ per rationem. Ergo ex illis non potest inferri ulla distinctio realis, consequenter neq; distinctio Bacconica, quæ à suis Authoribus vocatur in rigore realis. Probatur minor. Unius ejusdemq; entis non possunt esse definitiones diversæ realiter. Ergo &c: Probatur Antecedens. Uni-

us ejuſdemq; rei non poſſunt eſſe diverſæ realiter naturæ, ſeu eſſentiæ, quia hujus nullum eſt fundamentum, alias unum idemq; ens, haberet duas naturas ſeu eſſentias, reales quòd implicat. Ergo &c: Quando ergo animal *vg* Petri, definitur quod ſit principium ſenſationum: rationale verò ejuſdem Petri, quòd ſit principium ratiocinationum: tunc iſtæ definitiones tantùm ex modo noſtro concipiendi, ſeu per rationem ſunt diverſæ: à parte autem rei, & ex parte objecti, ſunt idem realiter, & ſignificant idem realiter.

823. Conformiter autem ad dicta ſuperius diſcurrendo, reſpondeo & dico, quòd prædictæ definitiones, juxta vulgarem, amplum, & laxum modum loqvendi permitti poſſunt: jam autem in rigore ſcholaſtico, & juxta ſtrictum rigoroſum ſcholaſticum modum loquendi ſunt falſæ: quia ſicut animal & rationale ejuſdem Petri, identificantur ſibi realiter adæquatè, ita à parte rei, & in rigore ſcholaſtico ſicut animal eſt principium ſenſationum, ita & rationale eſt principium earundem ſenſationum: pariter ſicut rationale eſt principium ratiocinationum, ita animal eſt principium earundem ratiocinationum. Videantur hic dicta ſuperius de vulgari & ſcholaſtico modo loquendi.

824. Addo præterea. Quæ habent verè, propriè, & ſtrictè diverſas definitiones, illa differunt inter ſe ſpecie, ut patet inductione omnium entium habentium definitiones verè propriè, & ſtrictè diverſas; ſic *vg*. Grammatica, Poëſis, Rhetorica, Philoſophia, & Theologia differunt inter ſe ſpecie quia habent verè, propriè, & ſtrictè diverſas definitiones: pariter homo & brutum, differunt inter ſe ſpecie quia habent verè, propriè, & ſtrictè diverſas definitiones, & ſic de aliis. Sed animal & rationale ejuſdem

vg.

vg. Petri, non differunt inter ſe ſpecie, ut certum omnibus. Ergo animal & rationale non habent verè, propriè. & ſtrictè diverſas definitiones.

825. Noto 7mo. Idem Eliſeus Garcia in præſuppoſito 3tio relato nro: 626. dicit, & infert: *quare diſtinctio formalis ex natura rei, reperitur inter duas formalitates ejusdem entitatis.* Sed ego quæro, quomodo entitas ejuſdem *vg.* Petri, poteſt eſſe eadem, quando formalitates ejusdem Petri, (in quibus Petrus conſiſtit) nempè animal & rationale ſunt juxta Bacconiſtas diſtinctæ realiter, diſtinctione in rigore reali. ?

826. Noto 8vo. Idem Eliſeus Garcia citatus à nobis nro 627 inquit. *Itaq; illa diſtingvuntur formaliter ex natura rei, quæ ex formali, & proprio conceptu ſuo, nec identificantur, nec diſtingvuntur phyſicè.* Contra quod punctum ſic, argumentor. Unius ejuſdemq; rei, non poſſunt dari duæ definitiones realiter diverſæ: alias una eademq; res haberet naturas diverſas, ut ſupra diximus. Sed ab Eliſeo Garcia aſſignantur duæ definitiones unius ejuſdemq; diſtinctionis formalis ex natura rei. Ergo vel ambæ ſunt reijciendæ, vel una ex illis ſeligenda. Probatur Minor Doctisſimꝰ Eliſeus Garcia, primò dedit definitionem diſtinctionis formalis ex natura rei ſequentibus: *Illa autem dicuntur diſtingvi formaliter ex natura rei, quæ ex ſua ratione formali, habent diverſas quidditates, diverſas inquam non diſtinctas, & exigunt attingi per diverſos conceptus, & explicari per diverſas definitiones*, ut conſtat ex notato 5to. Inferius autem ejusdem diſtinctionis formalis ex natura rei dat ſequentem definitionem: *Itaq; illa diſtingvuntur formaliter ex natura rei, & proprio conceptu ſuo, nec identificantur, nes diſtingvuntur phyſicè.* Ergo unius ejuſdemq; diſtinctionis, aſſignantur duæ definitiones diverſæ: quod eſt vel ſuperfluum, vel impertinens.

807.

827. Noto 9no. Idem Eliſeus Garcia ex defini-tione altera, diſtinctionis formalis ex natura rei, infert & inquit: *Unde animal diſtingvitur formaliter ex natura rei, à rationali quia ex genere ſuo, nec petit diſtingvi à rationali nec cum illo identificari, alias non poſſet ab illo ſeparari, ſeu diſtin-gvi & eſſe in bruto. Itaq; animal ex ſe, & proprio conceptu, eſt indifferens ut ſit vel non ſit rationale. At vero non eſt indiffe-rens ut ſit vivens, ſentiens, quæ eſt propria ratio conſtitutiva animalis.* Contra hoc punctum ſic argumentor. Exinde infertur animal diſtingvi formaliter ex natura rei à ratio-nali, quia animal ex genere ſuo, nec petit diſtingvi à ra-tionali, nec cum illo identificari. Sed ex hoc non poteſt inferri diſtinctio formalis ex natura rei, & realis Bacco-nica Ergo &c: Probatur minor. Animal ex genere ſuo, nihil aliud eſt, niſi *animal abſtractum per operationem intelle-ctûs, à rationali ſeu animal inquantum eſt genus.* Sed ex hoc quòd animal eſt abſtractum à rationali, & quòd animal ſit genus, non poteſt inferri diſtinctio formalis ex natura rei, Ergo &c: Minor probatur. Ex animali abſtracto per operationem intellectûs à rationali, poteſt tantùm in-ferri diſtinctio rationis: ſicut enim illa abſtractio, fit per rationem, ita etiam ex illa abſtractione poteſt inferri ſola diſtinctio rationis.

828. Noto 10mo. Ex verbis in notato 9no addu-ctis conſtat, quòd animal ex genere ſuo, ideo non petit diſtingvi à rationali, nec cum illo identificari, quia alias non poſſet à rationali ſeparari ſeu diſtingvi, & eſſe in bruto. Sed hæc ratio non ſubſiſtit. Ergo &c: Minor probatur. Animal identificatum rationali, non ſeparatur nec diſtingvitur per hoc à rationali, quia animal ſimile reperitur in bruto. Ergo &c: Probatur Antecedens. Quæ ſunt ſecum realiter adæquatè identificata, illa non poſſunt à ſe ſeparari, & diſtingvi realiter. Sed animal

& rationale *vg*. Petri, sunt secum realiter adæquatè identificata. Ergo animal & rationale Petri non possunt à se separari, seu distingvi realiter. Major patet ex ipsa natura identitatis, realis adæquatæ.

829. Noto 11mo. Quando à DD. Baccønistis docetur, quòd animal ex se, seu ex genere .& proprio conceptu suo, sit indifferens, ut sit vel non sit rationale: & idem animal non sit indifferens, ut sit vivens vel sentiens, tunc istæ propositiones, possunt permitti *in vulgari, communi & vasto modo loquendi: in modo autem loquendi rigoroso & scholastico* sunt falsæ: proinde ex illis utpote in rigore scholastico falsis, non potest inferri distinctio realis Bacconica.

830 Noto 12mo. In explicatione prædictæ distinctionis Bacconicæ inter alia dicitur: *Unde si animal conjungatur per identitatem cum rationali tunc animal & rationale sunt simplex entitas* (Ecce identitas physica, seu maxima, ut illam vocant Scotistæ) *habent tamen & conservant, distinctas rationes, formales,* (ecce distinctio formalis ex natura rei) *licet enim animal conjungatur, & identificetur rationali, semper ratio animalis est alia à ratione rationalis.* Contra hoc punctum explicationis dico, quod sicut animal nunquam separatur à parte rei à rationali, ita nunquam conjungitur cum illo: sed animal ex natura rei est semper identificatum realiter adæquate rationali, ut certum apud omnes: quod si verò animal præscindatur formaliter à rationali, tunc temporis fit separatio animalis à rationali, sed hæc separatio fit per rationem, seu per actum intellectûs.

831. Quando item dicitur, quod licet animal & rationale sit simplex entitas per identitatem, habent tamen & conservant distinctas rationes formales, & ex his distinctis rationibus formalibus, infertur distinctio formalis

ex

ex natura rei: ad hoc respondeo quod animal & rationale habent & conservent distinctas *per rationem seu per operationem intellectûs* rationes formales: non habent autem neç conservant *distinctas realiter rationes formales*. Ulterius dico: dum animal identificatur rationali, semper ratio animalis, est alia *per rationem seu per operationem intellectûs* à ratione rationalis non autem est alia & alia realiter. Ex hoc autem quod animal identificatum rationali, habeant & conservent distinctas per rationem rationes formales, nullatenus potest inferri distinctio formalis ex natura rei Bacconica. Paritas adducta à Bacconistis nro: 627. de imaginibus Petri & lapidis, conjunctis in simplici cognitione repræsentante Petrum & lapidem, nihil evincit, quia Petrus & lapis distingvuntur realiter adæquatè, jam autem animal & rationale ejusdem Petri, identificantur sibi realiter adæquatè,

832. Dices. Dum Doctissimus Joannes Bacconius admittit distinctionem formalem ex natura rei, in linea intelligibili, inter aliqua extrema *vg.* inter animal & rationale: nihil aliud docet, nisi hoc, quòd animal & rationale, ut considerata in linea physica, secundum esse absolutum, quod habent in se ipsis, sint omnino idem formaliter, absq; ullo genere distinctionis actualis, at verò si considerentur in linea intelligibili, respectivè ad intellectum, differant formaliter, in esse intelligibili. Contendit enim Resolutus Doctor Jòánnes Bacconius. in simplici entitate reperiri, plures formalitates intentionales, ita ut entitas formaliter simplex in linea physica, sit formaliter multiplex, in linea intentionali.

833 Respondeo. Ista doctrina esset verissima si per lineam intentionalem, intelligeretur linea *rationis dependens ab intellectu*: sed quia per lineam intentionalem, Joannes Bacconius ejusq; sequaces, intelligunt lineam rea-

realem, independentem ab omni operatione intellectûs, & mediam inter ens physicum, & rationis, ideo hæc doctrina, de prædicta linea intentionali nullo modo subsistere potest. Sicut enim inter ens physicum & rationis, nullum datur esse, seu ens intentionale medium juxta dicta ñro: 636. & sequentibus, ita nulla datur linea intentionalis media, inter lineam physicam, & inter lineam rationis. Nos ergo dicimus & concludimus, quòd animal & rationale existens in linea physica, seu in statu reali, sunt omnino idem absq; ullo genere distinctionis actualis realis: si verò considerentur & existant in linea intentionali, fieri solita per actum intellectûs, tunc distingvuntur per rationem, seu per operationem intellectûs, nullatenus autem distingvuntur realiter formaliter ex natura rei.

834. Noto 13. DD. Bacconistæ, opponunt DD. Scotistis, quòd in illorum sententia, sensatio absolutè exigit animal, non rationale, & homo à parte rei discurrit, ut rationalis, non ut animal: item quod productio creaturarum, exigit physicè DEUM, Unum & Omnipotentem, non ut Trinum. Sed hæ omnes oppositiones, militant etiam contra DD. Bacconistas, quia eorum distinctio est in linea physica, ut toties supra probatum est. Sicut ergo sensatio *vg:* Petri, exigit à parte rei, non tantùm animal sed etiam rationale, & homo à parte rei, non tantùm discurrit ut rationalis sed etiam ut animal: ita productio creaturarum, non tantùm exigit physicè DEUM Unum, & Omnipotentem, sed etiam & Trinum: juxta illud axioma Theologicum: *Omnia opera ad extra, sunt toti Trinitati communia*: & Genesis 1mo, versu 26. dicitur: *Faciamus hominem ad Imaginem & similitudinem nostram*: ubi per verbum: *Faciamus:* significantur Personæ SSmæ Trinitatis, concurrentes ad creationem hominis.

835. Noto 14to. Ad probandam diſtinctionem ſuam, illud etiam adferunt DD. Bacconiſtæ, quòd ſimplex entitas in eſſe phyſico, poſſit eſſe multiplex in eſſe obijcibili, ſeu intelligibili, ita ut habeat plures formalitates intentionales, ut conſtat ex Præſuppoſito 5to n̄ro 633. Ad hoc reſpondetur, quòd una eademq; ſimplex entitas in eſſe phyſico, poſſit eſſe multiplex in eſſe obijcibili, ſeu intelligibili, ſeu intentionali, ſi per eſſe, ſeu per lineam obijcibilem, intelligibilem, ac intentionalem, intelligatur *linea rationis, ſeu linea intellectûs dependens ab operatione ejusdem intellectûs*: falſum autem eſt, ſi per lineam obijcibilem intellectui, intelligibilem, ac intentionalem, intelligatur linea realis. Et ſic *vg:* verùm eſt, quòd animal & rationale, ſit una eademq; entitas, in eſſe phyſico & reali, in linea autem intentionali, hoc eſt in linea rationis, ſeu in ſtatu rationis, dependente ab operatione intellectûs, ſunt plures formalitates, & plura per rationem prædicata, diſtingvanturq; per rationem: falſum autem eſt, quod diſtingvantur, realiter diſtinctione reali formali Bacconica.

836. Dices: Simplex entitas, in eſſe phyſico, poteſt eſſe multiplex in eſſe obijcibili, intelligibili, & in linea intentionali, etiamſi linea obijcibilis, intelligibilis, & intentionalis, ſit realis. Ergo reſponſio non ſubſiſtit. Probatur Antecedens exemplô columbæ, in cujus collo, juxta communem ſententiam, unus tantùm color reperitur, & tamen incidente luce, repræſentantur viſui varii colores. Sed hæc repræſentatio variorum colorum noſtro viſui facta, eſt independenter ab omni operatione intellectûs, quia potentia viſiva, prædictos varios colores videt, absq; omni actu intellectûs. Ergo ſimplex entitas in eſſe phyſico, poteſt eſſe multiplex in linea obijcibili, intelligibili intentionali reali, absq; omni operatione intellectûs, per ordinem ad potentiam viſivam.

837.

837. Reſpondeò 1mo, nego Antecedens, ejus probationi omiſſa Majore & Minore, vel etiam conceſsâ, nego Conſequentiam, quia in Majore & Minore agitur de uno colore in collo columbæ repræſentato: in concluſione autem agitur de ſimplici entitate, & infertur quòd ſimplex entitas in eſſe phyſico, poſſit eſſe multiplex in eſſe intentionali reali, conſequenter reperiuntur hi termini in concluſione, qui non fuerunt in Præmiſſis quod eſt contra leges dialecticas. Porro color in collò columbæ variè repræſentatus, non eſt ſimplex entitas, quamvis ſit una entitas: & licet à Bacconiſtis color columbæ dicatur ſimplex, tamen hoc eſt falſum.

838 Reſpondeo 2do & quæro ex DD. Bacconiſtis: Color ille unus, in collo columbæ repræſentatus, vel habet formalitates realiter adæquatè inter ſe identificatas? (ſicut animal & rationale Petri ſunt formalitates inter ſe realiter identificatæ) vel non habet? Si color prædictus habet formalitates inter ſe realiter adæquatè identificatas, tunc illæ non diſtingvuntur realiter per potentiam viſivam, quamvis ipſi appareant plures, quia potentia viſiva non habet iſtam activitatem, & virtutem, ut poſſit diſtingvere realiter, formalitates realiter adæquatè inter ſe identificatas: quia hujus activitatis nullum eſt fundamentum: ſicut enim intellectus noſter non poteſt diſtingvere realiter, formalitates realiter adæquatè identificatas, quamvis ipſi appareant plures, ita & potentia viſiva non poteſt id facere.

839. Si color prædictus non habet formalitates inter ſe realiter adæquatè identificatas, ſed diſtinctas realiter? tunc ceſſat quæſtio, & non eſt mirum, quòd formalitates coloris diſtinctæ inter ſe realiter, appareant potentiæ viſivæ multiplices, & diſtinctæ realiter. Sic compoſitum humanum dicitur unum, & tamen conſtat pluribus partibus,

nempe materiâ, formâ, & unione: pariter color poteſt dici unus, & tamen poteſt habere plures colores inter ſe realiter diſtinctos. Et certe color in collo columbæ repræſentatus, cum ſit materialis, eſt diviſibilis realiter, & poteſt conſtare ex multis coloribus inter ſe realiter diſtinctis. Patet hoc ipſum etiam in arte pictoria, ubi plerũq; repræſentatur unus color, & tamen ille componitur explu- ribus coloribus & ſpeciebus colorum, realiter inter ſe diſtinctis.

840. Præterea pro ſua illuſtranda diſtinctione DD. Bacconiſtæ adferunt exemplum de SSma Chriſti Facie, quæ in die Judicii extremi, apparebit reprobis horribilis, juſtis verò ſerena, & affabilis: ut conſtat n̄ro 633. ſed hoc exemplum non ſpectat ad rem præſentem, quia illa apparitio ſeu præſentatio Faciei Chriſti, erit Divinitus, fietq; reprobis in pœnam, juſtis in coronam. Idem dicendum de prædicatione Apoſtolorum ibidem pro exemplo adducta, quæ à diverſis nationibus quaſi proprio idiomate percipiebatur: hoc enim fiebat miraculosè non naturaliter: à factis autem miraculoſis, non valet arguere ad res naturales. Similiter diſcurrendum de S. Scriptura ibidem pro exemplo adducta: quæ tepidis inſipida, fervidis melle dulcior apparet: hoc enim non ideo fit quaſi verò una ſimplex entitas in eſſe phyſico, ſit multiplex in eſſe intentionali, reali, ſed ideo, quia tepidi S. Scripturam oſcitanter percipiunt, fervidi autem attentiſſimè. Tandem quando adferuntur exempla de prædicatione Apoſtolorum, & de S. Scriptura, tunc ſupponitur à DD. Bacconiſtis, quòd prædicatio Apoſtolica, & S. Scriptura, ſit entitas ſimplex in eſſe phyſico: hoc autem falſum eſt, quia prædicatio Apoſtolica, eſt quoddam aggregatum, & complexum ex multis doctrinis, S. autem Scriptura, eſt complexum ex

Libris veteris, & novi teſtamenti: eſt item complexum ex Prophetis, & plurimis revelationibus, ac SSmo Chriſti Domini Evangelio, ut nemini dubium.

841. Noto 15. Ex dictis ñro 710. & ſequentibus conſtat, quòd non detur diſtinctio realis formalis in linea viſibili. Proinde ultra dicta ibidem, addo etiam hanc rationem. Jòánnes Bacconius diſtinctionem ut ſic; diviſit in tres ſpecies nempè in diſtinctionum rationis, in diſtinctionem realem, & in diſtinctionem in linea cognoſcibili, ſeu in eſſe repræſentativo: ſi autem ultra tres dictas ſpecies, daretur etiam diſtinctio realis formalis in linea viſibili, tunc diviſio diſtinctionis ut ſic per Jòánnem Bacconium facta non eſſet recta, quia ultra dictas tres ſpecies, daretur 4ta ſpecies diſtinctionis realis formalis in linea viſibili: & admiſſa diſtinctione in linea viſibili, deberent admitti plures aliæ ſpecies diſtinctionum, ut probatum eſt ñro 710, & ſequentibus. Et hæc dicta de diſtinctione Bacconica ſufficiant.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Concluditur teſtimoniis pro Immaculata Conceptione B. V. MARIÆ.

842. SIcut præſens Opuſculum inchoavi, ab aſſerendo honore Immaculatæ Conceptionis, Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, ita illud finire, conſummare, & perficere volo, in eodem propoſito. Igitur pro Immaculata Conceptione Beatiſſimæ Viginis MARIÆ, adfero antiquiſſimum teſtimonium Sancti Jacobi Epiſcopi Sarugenſis, qui floruit in Eccleſia Orientali circa Annum 519. Verba ejusdem Sancti Jacobi, Epi-

Episcopi Sarugensis de Sancta Virgine DEI Genitrice MARIA, sermon: 3tio, sunt hæc: *Si quæ macula, aut defectus Animæ Ejus inesset, aliam utiq; sibi Matrem quæsivisset, quæ omnis labis expers esset.* Immediatè allata Verba refert, Joseph Simonius Assemanus, syrus Maronita, Sacræ Theologiæ Doctor, lingvarum Syriacæ & Arabicæ Scriptor, in sua Bibliotheca Orientali, Clementino-Vaticana Tomo 1. Pag: 310, ñro marg: 21.

843. Huic Antiquissimo Sancti Jacobi Episcopi Sarugensis testimonio, & sensui: subsumo Minorem. Sed CHRISTUS Dominus non quæsivit, nec elegit sibi aliam Matrem, nisi solam Virginem MARIAM, ut certum ex fide. Ergo Animæ Beatæ Virginis MARIÆ, nulla macula, aut defectus inhæsit, illaq; fuit omnis labis expers, etiam originalis.

844. Idem Sanctus Jacobus Episcopus Sarugensis de Virginis Partu, & quomodo Christus ex ea natus est, inquit: *Filius DEI, factus est Filius hominis, absq; conversione &c Filius DEI, Filiusq; hominis, unus idemq; est. Ex summo & ex infimis unus Unigenitus &c. In MARIÆ sinu, naturas ad unionem adduxit, ambasque unum fecit, sicut scriptum est &c. Corpus sibi assumpsit, Filiusq; hominis ex ventre factus est, & corpore cuncta sustinuit, quùm DEUS esset. Noli duos numerare, alterum DEUM, & Hominem alterum: Unus est enim CHRISTUS Filius hominis, idemq; DEUS. Ipsi, & in Ipso, inest Divinitas, atq; Humanitas, ejusq; sunt tum prima, tum novissima, nec in partes, aut numeros dividitur: Unigenitus enim est, totusq; Unus, si ipsum bene noveris. Non partem ejus genuit Pater, & partem MARIA: sed totus à Patre, totusq; à Filio hominis, genitus est.* Hactenus idem Sanctus Episcopus Sarugensis.

845.

845. Ex ultimis ejuſdem Sancti Jacobi verbis ſic argumentor. Pater Æternus, tantùm privilegium dedit Beatiſſimæ Virgini MARIÆ, ut Eundem Filium gigneret, quem genuit Ipſe Pater Æternus. Ergo illi dedit & privilegium Immaculatæ Conceptionis. Probatur conſequentia. Privilegium gignendi eundem Filium, quem genuit Pater Æternus, trahit poſt ſe, & infallibiliter infert, privilegium Immaculatæ Conceptionis. Ergo &c. Probatur Antecedens. Privilegium gignendi Filium DEI, trahit poſt ſe & infallibiliter infert Dignitatem Maternitatis Filii DEI. Sed dignitas Maternitatis Filii DEI, trahit poſt ſe & infallibiliter infert privilegium Immaculatæ Conceptionis ut deduximus Articulo 1mo, Pag: 9. & ſequentibus. Ergo &c. Pro coronide & honore Immaculatæ conceptionis Beatæ Virginis MARIÆ, concludo verbis Noſtri Stanislai à Łowicz, Sacræ Theologiæ Doctoris, Conventus Gneſnenſis Præpoſiti, qui in Enchiridio ſuo folio 29. ſic inquit: *Virgo Glorioſa MARIA, ſpeciali & ſingulari gratia Spiritûs Sancti præventa, nunquam originali culpa fuit maculata, nec Divinæ indignationi aliquando ſubjecta: peccatum quippe iræ filios facit. Sed cum Virgo, DEI benignitate nullum contraxit peccatum, conſequens eſt, ipſam ſemper DEI gratiæ Filiam permanſiſſe.* Hæc omnia dicta ſint ad Majorem DEI & Sanctiſſimi Sepulchri JESU CHRISTI Gloriam: Beatæ Virginis Immaculatæ Conceptæ Honorem, & Sanctorum Patronorum Ordinis noſtri Cultum perpetuum.

PROTESTATIO AUTHORIS.

SIcut firma fide credo, quòd Sancta Romana Catholica, & Apostolica Ecclesia, sit infallibilis Interpres & Iudex omnium veritatum in quacunque materia adferibilium, ita quæcunq; hic dicta sunt, omnia volo intelligere juxta sensum ejusdem Sanctæ Apostolicæ Ecclesiæ, illiusq; supremo Iudicio, omnia subijcio.

FINIS.



IN-

INDEX
Principiorum & Axiomatum,
In quo numerus, marginalem numerum significat.

Principia de Immaculata Conceptione B. V. MARIÆ habentur in Articulo 1mo.

Omnis anima, omni corpore melior est. - - - 25
Omne agens est nobilius patiente. - - 26
Agens fortius est patiente. - - - 27
Nemo Beatus, qui non amat, quod habet etiamsi optimum sit. 28
Agens tanto efficaciùs, & majori virtute agit, quantò potentiam magis remotam ab actu ad actum reducit. - 29
Quantò aliquod agens est virtuosius, tantò minorem dispositionem requirit in passo. - - - - 30
Omnis actio speciem suam accipit à principio, passio verò à termino. - - - - - 31
Modus actionis sequitur dispositionem agentis. - 32
Quantò aliqua virtus activa est fortior, tantò in remotiora extendit suam actionem. - - - - - 33
Ab actu ad potentiam valet consequentia. - - 34
Actus secundus præsupponit primum. - - 35
Ab indifferenti ut indifferenti, non potest oriri determinatio. 36
Ab uno, inquantùm est unum, immediatè non provenit nisi unum 43
Abstrahentium neq; est error, neq; mendacium. - 44
A privatione ad habitum non datur regressus. - 48
A specie ad genus valet consequentia. - - 53
A termino restricto, ad irrestrictum valet consequentia. - 55
Actiones sunt suppositorum. - - - 58
Actus & potentia non faciunt multa, sed unum. - - 59
Actus melior est seu prior, quàm potentia. - 60
Actus & potentia debent esse in eodem genere. - - 63
Actus est, qui separat, & distinguit. - - 64

Actus aliquis prior est, quavis potentiâ. - - 65
Ad præteritum non datur potentia. - - 66
Ad veritatem propositionis disjunctivæ sufficit si vel una illius pars, sit vera. - - - 69
Omne agens agit inquantum est actu, seu unumquodque operatur, secundùm quod est in actu. - - - 70
Perfectius est agens sine medio, quàm cum medio. - 74
A sensu distributivo ad collectivum non valet consequentia. 76
Ab iisdem principiis debet effectus pendere in statu absoluto, à quibus pendet in statu conditionato. - - 86
Affirmatio uniûs, non est negatio alteriûs. - - 88
Omne agens agit propter finem. - - - 89
Nihil agit in seipsum. - - - - 90

B

Illud cujus participatione sunt bona cætera, quæcunque sunt, non per aliud, sed per se ipsum bonum est. - - 93
Summè illud bonum est, cujus participatione cætera bona sunt. 94
Bonum nunquàm totum corrumpitur per malum. - 95
In iis, quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod est melius esse. - - - - - 96
Bonitas speciei excedit bonitatem individui. - - - 97
Nulla est res, bona per extrinsecam denominationem. - 98
Ejusdem est providere bona, & cavere mala. - - 99
Omnis perfectio boni, est bona. - - - 100
Omne bonum intantùm est simile majori bono, inquantùm est bonum. - - - - - 101
In bonis ut quod similiùs est meliori, est meliùs, ita quod similiùs est pejori, est pejus. - - - - - 102
Bonum & ens convertuntur. - - - 103
Optimo opponitur pessimum. - - - - - 104
Illud, quod est optimum, nullô additô potest fieri melius. 105
Bonum intrinsecum homini, est melius illi, quàm extrinsecum. 106

C

Omnis Causa efficiens est. - - - - - 107

Cognitio fieri non potest, nisi cognoscenda præcedant. - 108
Quantùm cognoscis, tantùm diligis. - - - 109
Quod consequitur ad aliquid, non facit ipsum. - - 110
Unum quodq; nobiliùs invenitur in Causa, quàm in effectu. 111
Nihil est Causa sui ipsius. - - - - - 112
Effectus sunt notiores suîs causîs. - - - - 115
Positâ Causâ ponitur effectus, eâq; sublatâ tollitur. - 116
Qualis causa talis effectus. - - - - 117
Quod est Causa Causæ, est etiam Causa Causati. - - 118
Omnis Causa distinguitur à suo effectu. - - - 119
Causæ sunt sibi invicem causæ. - - - - 120
Contrariorum eadem est disciplina, seu eadem est scientia. 121
Contraria non possunt esse in eodem subjecto. - - 122
Contrariorum semper est unum privatio alterius. - - 123
Contrariorum contrariæ sunt causæ. - - - 124
Ex contrariis omnia fiunt. - - - - - 125
Contraria ex se, non fieri invicem. - - - - 127
Contraria contrariorum sunt valdè sensibilia. - - - 128
Omnis causa est prior suo effectû. - - - - 129
Conclusio sequitur partem debiliorem. - - - 131

D

Illius rei DEUS non est Author, cujus est ultor. - 132
Omnis Substantia, quæ creatura non est, DEUS est. - 134
Quidquid absolutum & ad se prædicatur de Deo, convenit tribus Personis. - - - - - - - - 135
Omnia prædicata, & perfectiones Dei absolutæ, sunt inter se idem, realiter adæquatè. - - - - - 136
Quod licet desiderare, licet petere. - - - 137
Omnis denominatio fit secundum aliquam formam inhærentem. 138
Quod denominatur ab aliqua forma, oportet quod in se illam habeat. - - - - - - - 139
Omne accidens denominat suum subjectum. - - - 140
Denominatio non fit ab eo, quod est secundum accidens. - 141

Ea, quæ differunt specie non denominantur ab invicem. - 142
Semper denominans est simplicius denominato. - - 143
Denominatio consuevit fieri ab his, quæ sunt ultima in re. 144
A pluribus formis non potest esse eadem denominatio. - 145
Denominatio fit à principaliori, seu potiori. - - - 146
Deficere unum contradictorium, est existere alterum. - 149
Differentiæ ultimæ rerum, non recipiunt magis & minus. 150
Dici de omni, dici de nullo. - - - - - 151

E

Omne ens vel habet esse à se, vel ab alio. - - - 157
Illa entia possunt poni in prædicamento substantiæ, quæ sunt entia per se, finita, realia, tota. - - - - 158
Idem effectus non potest esse conservativus sui ipsius. - 166
Defectus, qui contingit in effectu communi causæ universalis, & particularis, non provenit à causa universali, sed particulari. 167
Ex duobus entibus in actu non fit unum 3tium seu per se. 168
Ens & unum convertuntur. - - - - - 169
Entia metaphysica sunt abstracta à sensibus. - - 170
Ex nihilo nihil fit. - - - - - - - 171
Ex uno nihil sequitur. - - - - - - 172
Ex vero nihil, nisi verum. - - - - - - 173
Æterno nihil est prius. - - - - - - 174
Ejusdem rei non debent esse plura principia. - - 175
Ens est prius DEO. - - - - - - 176
Ejusdem non sunt plures actus. - - - - 177
Ens & verum convertuntur, similiter falsum & non ens. 178
Eadem numero sunt quorum materia est una. - - 179
Ex eo, quod res est, vel non est, ratio vera vel falsa dicitur. 180
Esse tale supponit simpliciter esse. - - - - 181
Esse est propter operari. - - - - - - 182
Quidquid casu fit, temerè fit. - - - - - 183
Omne, quod fit, ei à quo fit, par esse non potest. - - 184
Nihil inhoatur ut fiat, quod non faciens causa præcesserit. 185

Omne,

Omne, quod est, vel est finis, vel est ad finem. - - 186
Qui ponit infinitum, excludit finem. - - - - 187
Finiti ad infinitum nulla est proportio. - - - 188
Finis est melior iis, quæ sunt ad finem. - - - 189
Finis est optimum & melius sic, non simpliciter, sed ad unius cujusq; substantiam. - - - - - 190
Finis est prior intentione, quàm media, posterior executione. 191
Finis est causa causarum. - - - - 192
Formæ non est forma. - - - - 193
Forma est prior materiâ. - - - - 194
Forma est, quæ dat esse. - - - - 195
Formæ est agere, materiæ vero pati. - - - - 196
Frustra est illa potentia, quæ non reducitur ad actum. - 197
Frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora. - 198

G

Quod generatur incipit esse. - - - - 199
Unum quodq; eô modô, quo habet esse, eodem generatur vel corrumpitur. - - - - - 200
Quidquid procedit per modum generationis, procedit ut genitum - - - - - - 201
Generatio unius, est corruptio alterius. - - 202
Generare sibi simile, est naturalissimum operum in viventibus. 204
Generatio & corruptio sunt motus contrarii. - - 205
Generans & generatum debent esse ejusdem speciei. - 206
Generatio fit propter formam, & non propter materiam. - 207
Generatio est productio à non esse, ad esse. - - 208
Generans non facit formam. - - - - 209
Generatio substantialis, non habet ens in actu. - - 210

H

Habitus non dantur ad simpliciter operandum. - - 211
Habitus oppositi, & specie differentes ad eundem actum non inclinant. - - - - - - 212
Qui habet habitum, necessario secundum habitum agit. - 213

Unus

Unus & idem habitus non inclinat ad contraria. - 214
Ubicunque est diversitas potentiarum, est diversitas habituum. 215
Habitibus non meremur, neque demeremur. - - 216
Ibi est habitus, vel quæcunque forma, ubi invenitur ejus effectus. 217
Habitus est perfectior privatione. - - - 218
Homo est maximè intellectus. - - - - 219
Homo est quodammodo finis omnium. - - - 220

I

Impossibile est idem esse, & non esse. - - 221
Implicat de identificatis realiter adæquatè verificari prædicata contradictoria realia. - - - 238
Idem manens idem, semper natum facere idem. - - 241
Si potest alterum sine altero esse, non erit idem. - 242
Ubi est imago, ibi necessario est similitudo. - - 243
Imago distinctè repræsentat id, cujus est imago. - 244
Imago est perfecta similitudo ad suum prototypum repræsentandum expressa. - - - - - 245
Individuatio sumitur à materia. - - 246
Idem non potest esse causa contrariorum. - - 247
Unum & idem nnmero manens, non potest transferri de una specie in aliam. - - - - 248
Unum & idem non inclinat ad diversa & contraria. - 249
Intelligens in actu, est intellectum in actu - - 250
In composito naturali, idem est fieri, quod factum. - 251
Implicat rem aliquam transire ab uno contradictorio ad aliud sine sufficienti mutatione. - - - 252
Quæ sunt eadem uni 3tio sunt eadem inter se. - 253
Utrum Mysterium SS Trinitatis posset salvari ab argumentis Infidelium per suam supereminentiam. - 257
Implicat de identificatis &c: verificari prædicata contradictoria. 295
Unum indivisibile non sunt tria. - - - 298
Utrum per aliquam distinctionem realem posset salvari Mysterium SS. Trinitatis ab argumentis Infidelium. - 412
Utrum Mysterium SSmæ Trinitatis & prædicata contradi-

ctoria

Gloria quæ in hoc Mysterio verificantur possint salvari per solam admirabilem distinctionem ipsarum Personarum inter se. 427

L

Illud constat esse licitum, quod nulla lege est prohibitum. - 447
Prius est esse alicubi quam manere. - - 448
Quod nunquam est omnino non est. - - 449
Ibi non est propinquitas, ubi non est aliqua distantia. - 450
Verius est aliquid ubi est, per essentiam suam qnam ubi est per similitudinem. - - - - 451

M

Malum ut malum, semper est in bono. - - 452
Malum tendit ad non esse. - - - 453
Nemo peccat in hoc, quod vitare nullo modô potest. - 454
Gravius est delictum, quò major incurritur pœna. - 455
Melior est natura, quæ peccare potest, quàm quæ non potest peccare. 456
Nihil simplex mutabile est: omnis autem creatura mutabilis. 457
Quantò aliquod corpus est propinquius materiæ primæ, tantò est ignobilius. - - - - - 458
Principium mutabilitatis est materia. - - 459
Materia proportionatur formæ. - - - 460

N

Natura est, in qua nullum malum est &c. - - 461
Id cuiq; est naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis ordo naturæ. 462
Quantò aliqua res habet perfectiorem naturam, tantò est majoris virtutis in agendo. - - - - 463
Impossibile est, quod intentio naturæ frustretur. - - 464
Quod naturaliter est tale, semper & ubiq; est tale. - 465
Virtus naturæ in nulla re subjacet voluntati. - - 466
Natura non deficit in necessariis. - - - 467
Natura semper facit, quod melius est. - - - 468
Ea, quæ contra naturam fiunt, in paucioribus accidunt. - 469
Natura ordinatur ad gratiam, sicut gratia ad gloriam. - 470
Nulla natura potest supra seipsam. - - 471
Illud, quod naturâ operari potest non est supra facultatem naturæ 473
Gratuita præsupponunt naturalia. - - - 472

Natu-

Natura non agit, nisi sibi simile. 474

Quidquid consequitur principia naturæ procedit ab ipso Authore naturæ. 475

Naturæ resistere difficile est. 476

Natura rei est primum in uno quoq;. 477

Illud quod invenitur in omnibus, etiam ratione carentibus videtur esse naturale. 478

Illud, quod sequitur naturam aliquam, æqualiter invenitur in omnibus habentibus illam naturam. 479

Illud, quod est naturale semper inest. 480

Cuicunq; est aliquid naturale, oportet etiam esse naturale id, sine quo illud haberi non potest. 481

Quod debilitat aliquid, non est ei naturale. 482

Qualibet res naturalis per naturalia potest consequi finem suum. 483

Naturalibus neq; meremur, neq; demeremur. 484

Natura solùm habet determinare de illo, quod est corpus vel passio corporis. 485

Natura non determinatur ad unum. 486

Natura in suis operationibus non facit saltum. 487

Nil sub sole novi. 488

Utrum contra sententiam novam rectè arguitur ex eo, quod si nova? 491

Utrum à sententia antiqua alicujus Authoris etiam gravis liceat recedere? 493

Negatio est malignantis naturæ, quidquid post se invenit, tollit seu negat. 494

Nulla perfectio positiva tribuenda est enti, absq; positivo fundamento 498

Nemo dat, quod non habet. 500

Nihil agit ultra gradum perfectionis suæ. 503

Non ens non intelligitur. 504

Numerus est infinitus per additionem unitatum. 505

Nihil est in intellectu, quin potius fuerit in sensu. 506

Nullum complexum est definibile. 507

Non contingit sensum decipi circa proprium objectum. 508

Nulla bona definitio debet dari per opposita. 509

Nil scitur nisi verum. 510

Necesse est in demonstratione magis credere principiis, quam conclusioni. 511

Nota per se, probari non possunt. 512

Noti-

Notitia primorum principiorum est nobis innata. - - 513
Nec materia est, nec forma est, sed totum compositum. - 514
Nil videtur nisi color. - - - - 515
Non quodlibet agit, in quodlibet, nec quodlibet patitur à quolibet; nec quodlibet fit à quolibet. - - 516
Nobiliora sunt, quæ paucioribus indigent. - 517

O.

Omne objectum cognitionis præsupponitur ad cognitionem. 518
Omne, quod intelligitur, intelligentis comprehensione finitur. 519
*Ordo est parium disparium*q*; rerum sua cuiq; loca tribuens dispositio.* - - - - - 520
Objectum cognoscibile proportionatur virtuti cognoscitivæ. 521
Quod cognoscitur in communi tantùm, non perfectè cognoscitur. 522
Cognitum est in cognoscente secundùm modum cognoscentis. 523
Quantò aliquid est magis remotum à cognoscente, tantò minùs subjacet cognitioni ejus. - - - 524
Omne, quod est, unum est. - - - - 525
Omne quod est, verum est. - - - 526
Omne, quod est, bonum est. - - - - 527
Omne, quod est, quando est, necessè est esse, & omne quod non est, quando non est, necessè est non esse. - - 528
Omne constitutivum est distinctivum. - - 529
Quô solô per possibilè vel impossibilè ablatô perit res, illud est constitutivum rei. - - - - 534
Omne, quod movetur ab alio movetur. - - 535
Omne nolle præsupponit aliquod velle. - - 538

P.

Illud est mirabilius, quod est potentius. - - 544
In pœnis æternis nunquam unus punitur pro alio. - 545
Potentia non indiget habitu, propter id, ad quod naturaliter est determinata. - - - - 546
Potentia, quæ ordinatur ad aliquod objectum secundum com-

munem rationem, non diversificatur per differentias speciales sub illa ratione communi contentâ. - - 547
Quælibet potentia delectatur naturaliter in objecti convenientis consecutione. - - - - 548
Nihil subest alicui potentiæ vel habitui, nisi mediante ratione formali objecti. - - - - 549
Eadem est potentia contrariorum. - - - 550
Pura potentia nullum habet actum. - - 551
Potentia superior potest, quidquid potest inferior & nobiliori modo - - - - - 556
Potentia opponitur actui. - - - 557
Potentia sensitiva contrariatur actui. - - 558
Particularis in materia naturali, æquipollet suæ universali. 559
Proprium est substantiæ in subjecto non esse. - - 560
Positâ formâ substantiali, ponitur etiam aliud, cujus est forma substantialis. - - - - 561

Q.

Quodlibet est, vel non est. - - - 562
Quanto magis potentia passiva distat ab actu, tantò major debet esse potentia activa potens reducere aliquid ex ea potentia passiva. - - - - 563
Quò perfectior est actus, eò perfectiorem exigit potentiam. 564
Quò perfectior est potentia, eò perfectiores habet operationes. 565
Quò perfectius est objectum, eò perfectior est cognitio possessioq; ipsius. - - - - - 566
Quidquid ex ratione pluribus communi dicitur de uno, ex illis pluribus, id ipsum debet dici de aliquo quovis cui ratio hæc communis est. - - - - 567
Quò major Persona offensa, eò major offensa. - 575
Quando sunt duo agentia, quorum unum est fortius, & alterum debilius, fortius producit citius suum effectum quàm debilius. - - - - 576
Quidquid potest prima causa cum secuuda, hoc potest se sola. 577
Quæ-

Quæcunq; differunt genere, differunt numero & specie. - 578

R.

Id quod est formale potius est, quàm materiale. - 579
In unoquoq; principalius est id, quod est formule in ipso, quàm quod est materiale in eo. - - - 580
Remoto formali cujuslibet rei, tollitur ipsa res. - 581
Quod convenit alicui per formalem rationem suam, convenit illi ubicunq; ponatur, sive in relativis. sive in absolutis. 582
Remotô priori, removetur posteriùs. - - - 583

S.

Illud, quod quidquid habet, hoc est: est omnino simplex. 588
Nullum simplex, potest esse à duobus. - - 590
Simplex si attingitur, totum attingitur. - - 591
Quantò aliquid est propinquius uni simplici, tantò minus dividitur. - - - - - - 592
Major est simplicitas, ubi est identitas, sine distinctione, quàm cum distinctioue. - - - - 593
Simplex, aut totum habetur, aut totum amittitur. 594
Ab uno simplici non procedit, nisi simplex. - 595
Quantò aliquid est magis actuale, est magis simplex, & sic tantò minus illi competit latitudo. - - 596
Species sunt, sicut numeri in quibus non reperiuntur æquales. 597
Sicut principium in speculabilibus, ita finis in agibilibus seu operabilibus. - - - - 599
Sublatâ quacunq; parte integrante, tollitur totum. - 600
Solius substantiæ est definitio. - - - 601

T.

Omnia opera adextra sunt toti Trinitati communia. - 602
Omne totum est majus sua parte. - - - 603
Quidquid convenit parti, & toti, prius convenit parti quàm toti. - - - - - - 604

Totum universale adest cuilibet parti secundum totam suam essentiam, & virtutem. - - - 605
Totum est compositius, & posterius suis partibus. - 606
Ubi totum est, partes quoque omnes esse necesse est. 607
Nihil convenit alicui toti, secundum partem, nisi quod convenit parti. - - - - - 608

U.

De summa veritate nullus potest judicare. - - 609
Rationalis natura refugit falsitatem, quantùm potest. - 610
Majoris est Authoritatis, qui nullò modò potest mentiri, aut fallere, quàm qui aliquomodo fallere potest aut mentiri. 611
Omne, quod est verum, à prima veritate verum est. - 612
Quod ab omnibus dicitur non potest totaliter falsum esse. 613
Illud, quod non impletur, nisi aliqua variabili conditionè existente, non habet immobilem veritatem. - - 614
Magis debet concedi, quod est verum per se, quàm quod est verum per accidens. - - - - 615
Veritas majoris est efficaciæ, quàm figura. - - 616
Voluntas non fertur in incognitum. - - - - 617
Nihil tam est in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas. 618
Vellè quod non deceat, id ipsum miserimum est. - 619
Mala voluntate vel sola quisque efficitur miser, sed miserior potestate, qui desiderium malæ voluntatis implet. - 620
Viventia non viventibus præponuntur. - - - - 621
Volenti non fit injuria. - - - 622
Utrum detur distinctio realis, intentionalis Bacconica seu formalis ex natura rei, in linea intelligibili. - - - 623

SUPPLEMENTUM

Ad dicta de supereminentia Trinitatis Divinæ.

QVoniam brevitati studendo, omisimus textus S. Scripturæ servientes pro supereminentia Trinitatis Divinæ

næ salvativa ejusdem Mysterii ab argumentis Infidelium, proinde hic omissionem istam supplemus, & præfatos textus adferimus. Et sic 1mo. Hieremias Propheta cap: 33. de DEO inquit: *Magnus Consiliô, & Incomprehensibilis cogitatu.* Sed DEUS non est Incomprehensibilis cogitatu, secundùm unitatem Essentiæ, ut certum omnibus. Ergo est Incomprehensibilis secundùm Trinitatem Personarum. Si ergo DEUS secundùm Trinitatem Personarum sumptus, est Incomprehensibilis. Ergo per nullum modum naturalem, & per nullam distinctionem realem, nemine cogitante talem, etiam mediatam & inadæquatam extensivè comprehendi potest, consequenter contra argumenta Infidelium, Trinitatem Divinam impugnantia, recurrendum est ad incomprehensibilitatem seu supereminentiam ejusdem Trinitatis Divinæ, cum adminiculo distinctionis rationis, quæ fieri solet per actum intellectûs, non autem ad ullam distinctionem realem, nemine cogitante talem, inter Naturam Divinam & Personas.

2do. S. Paulus 2da ad Corinth cap: 10mo inquit: *Et in captivitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi.* Præterea 1ma ad Timotheum cap: 6to de DEO Trino & Uno dicit: *quod inhabitet lucem inaccessibilem, quam nullus hominum videre potest.* Tandem 1ma ad Corynth: 2do inquit: *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam verò non hujus sæculi, neq; Principum hujus sæculi, sed loquimur DEI Sapientiam in Mysterio, quæ est abscondita.* His addi potest illud quod Apostolus inquit ad Rom: 11mo: *O altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ DEI, quàm incomprehensibilia sunt Judicia Ejus, & investigabiles viæ Ejus.* Dum ergo Apostolus svadet, redigendum esse in captivitatem intellectum, in obsequium Christi, certe id svadet specialiter in Mysterio Trinitatis: Dùm item docet, quòd DEUS inhabitet lucē inaccessibilem, quam nullus hominum videre

potest,

poteſt, id ſpecialiter veriſſimum eſt de Trinitate Divina, quæ per lumen naturæ non eſt cognoſcibilis. Dùm ulterius loquitur Sapientiam DEI in Myſterio abſconditam, id intelligendus eſt loqui, de Myſterio Trinitatis, abſcondito ab intellectu noſtro, qui Myſterium Trinitatis lumine naturali cognoſcere non poteſt. Ad extremum ſicut eſt tanta altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ DEI, ut Ejus Judicia ſint incomprehenſibilia, & inveſtigabiles viæ Ejus, ita Myſterium Trinitatis, eſt incomprehenſibile, & non eſt qui poſſit inveſtigare vias Ipſius. In cognoſcendo ergo & perſvadendo Infidelibus Myſterio Trinitatis, potius recurrendum eſt ad id, ad quod recurrebat Apoſtolus, quàm ad alios quoscunq; modos naturales.

In eundem ſenſum loquitur Concilium Lateranenſe, quòd exponendo totam difficultatem Myſterii Trinitatis, & definiendo quod Naturæ Divinæ & Perſonis competant prædicata contradictoria, tunc ante iſtam ſuam definitionem præmittit, quod hæc una Res ſeu Natura Divina Unica, conſtans tribus Perſonis, realiter inter ſe diſtinctis, & cum eadem Natura realiter adæquatè identificatis, ſit Summa, incomprehenſibilis, & ineffabilis, ut conſtat ex verbis ejuſdem Concilii cap: *Damnamus* dicentis. Nos Sacro approbante Concilio credimus & confitemur, quòd una quædam Summa Res eſt, incomprehenſibilis quidē, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus &c. &c. Id ipſum ſentit & Concilium Nicænum, quod ad probandum Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis utitur illis Scripturæ verbis: *Nemo novit Filium niſi Pater, Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Iiſdem verbis utitur & Concilium Antiochenſe.

Ad pleniorem objectioni ñro 285. propoſitæ reſponſionem, illud addo: quòd licet ratio Theologica, ſemper innitatur veritati revelatæ, eamq; eſſentialiter præſupponat, & licet ratio Theologica, non ſit merè naturalis,

tamen

tamen eadem ratio Theologica, non eſt ſemper ſupra lumen rationis. Fundamentum hujus eſt, quia ens ſupernaturale, non eſt idem quod ens ſupra lumen rationis, quia gratia ſanctificans, & habitus infuſi, ſunt entia ſupernaturalia, & tamen non ſunt entia ſupra lumen rationis. Pariter in tota Theologia, plurimæ adferuntur rationes Theologicæ veritatibus revelatis innixæ, & tamen illæ, non ſunt ſupra lumen rationis, & ſupra principia lumine naturæ nota.

Ad extremùm illud addo. Dùm agerem munus Profeſſoris Theologiæ, in Conventu Noſtro Cracovienſi ad S. Hedvigim, & oppugnarem, Theſes Theologicas, de Sanctiſſima Trinitate, in quadam Nobiliſſima & Doctiſſima Religione expoſitas, tunc contigit mihi tale argumentum adferre, quòd à Defendente non poterat ſufficienter ſolvi. Dùm autem ego ſolutionem & reſponſionem urgerem, tunc à quodam prætatæ Religionis Doctiſſimo Meritiſſimo, & Veterano Profeſſore, ultimatò mihi reſponſum eſt hîs verbîs: *Eſt Myſterium Trinitatis; non poteſt adæquatè reſponderi.* Proinde ſi mei diſcurſus, rationes, & reſponſiones, circa Myſterium Trinitatis allatæ, videbuntur alicui minus ſufficientes, tunc cuilibet legenti reſpondeo: *Eſt Myſterium Trinitatis; non poteſt adæquatè reſponderi.* In materia enim de Sanctiſſima Trinitate, tutiùs eſt noſtrã imbecillitatem confiteri, quàm propriis rationibus, & ingenio confidere. Concludo igitur verbis S. Ephremi Syri relati in Bibliotheca Orientali fol: 115. ñro 75. relati, ubi agendo de Myſterio Trinitatis inquit: *Solem lucernam tuam miraris vilis homuncio nec capis! qui ergo Conditorem capias? Homo es! noſce te ipſum.* Quod idem eſt acſi diceret? Solem lucernam tuam miraris, & capere non potes, quomodo ergo poteris capere Conditorem, ſeu DEUM Unum in Trinitate Perſonarum? Hæc pro ſupplemento ſufficiant.

E R-

ERRATA TYPI SIC CORRIGE.

Numerus 1mus est marginalis, 2dus numerus est, versûs positi sub eodem numero marginali.

40. versu 7. secuda, lege secunda.
54. 7. q æ; l, quæ
58. 12. ph sicè l. physicè
64. 14. fondamentum l, fundamentum
69. 15. probabibus l. probabilibus.
71. 11. inmediate l. immediate
76. 1. distrbutivo l. distributivo.
78. 10 est forma l. & forma.
80. 11. sunt hæc, l. sunt hæ,
 18. Item l. Idem
 19. quos l. quæ
83. 20. patium l. partium
99. 4. & fugia l. & non fugiat mala.
115. 4. æqnæ l. æquè.
118. 12. caniæ l. causæ.
137. 21. materialies l. materiales.
146. 15. pr fanis l. profanis
151. 11. ennatiatur l. enuntiatur
155. 11. ex ex fide l. est ex fide
158. 1. suhstantiæ l. substantiæ
160. 7. ncmpe l. nempe
190. 8. crearuras. l. creaturas.
225. 8. nequive l. nequire
 16. opus est distinctionem illam actualem, l. opus est. quod non suscipiant distinctionem illam actualem.
250. 3. repræsentivè l. repræsentativè.
258. versu ultimo iu l. in
259. 7. patsem l. partem
 8. Glowiki l. Gzowski
262. 23. in salvando Mysterium l. in salvando Mysterio.
274. 3. in articulo immediatè sequenti, l. in articulo 29.
275. 2. Catheticus, l. Catchisticus
 24. decuerunt l. docuerunt.
278. 9. Perro l. Porro
281. 22. quamquam l. quanquàm
 32. tamquam l. tanquam
284. 22. in articulo sequenti l. in articu. culo 28.
292. v. ultimo: Catholicum l. Catholicorũ
299. 22. si inqnit: l. sic inquit:
302. 5. vel non esse l. & non esse
308. 4. & quidem ex hac ratione l. & quidem ex hac tantùm ratione.
323. 32 Msterium l. Mysterium
324. 10 Hæc autem supposito l. Prædicta autem supposito
357. 16. revolare l. revelare
361. 1. ropugnat l. repugnat.
381. 5. distinctio entis l. definitio entis
390. 12. Proinde prima l. Proinde licet prima
400. 20. definitonicus l. definitionibus
401. 6. demonctrationes l. demõstrationes
404. 3. non nuntiaverit l. non pronuntiaverit.
409. 18. superemiaantiam l. supereminentiam
415. 19. salvant hoc Mysterium per supereminentiam l. salvant hoc Mysterium per superexcellentiam
496. 16 abundatius l. abundantius
 19. Dhristi l Christi.
542. 18. abjecto l. objecto
569. 12. ab quam l ob quam
586. 3. efficim l. officium
624. 4. entitivam l. entitativam.
656. 4. iutellegibilem l. intelligibilem
 versu ultimo: iu probatione 1oma l. in probatione 1ma.
686. 9. Triplex est divisio l. Triplex est distinctio.
 12. divisio entium l. distinctio entiũ.
760 6 dictinctio l. distinctio.

Si quos plures errores advertet Benevolus Lector, præsertim in citandis locis, Articulis, vel capitibus aut Libris SS. Patrum, aliorumq; Authorum, id non mihi, sed Typographiæ imputet: hos enim errores difficilius est vitare, quàm Librum conficere.



